# PLVTARCHI VITARVM COMPARATARVM appendix:

complectens & ipsa Vitas excellentium quorundam imperatorum, sed duas tantùm comparatas: & has quidé, à Donato Acciaiolo, cæteras verò, ab AEmylio Probo cóscriptas.

A

# VITAE COMPARATAE ANNIBALIS ET SCIPIONIS,



## *DONATO ACCIAIOLO autore potius quàm interprete.*

B

SI primi Punici belli, quod Carthaginẽses cum populo Rom. gessere, memoria repetatur, multi imperatores nobis occurrent qui ex rebus gestis gloriam cõsequuti, celebrem famam suis posteris reliquerunt. Sed ex Pœnorum ducibus nemo est quem omnes Græci Latinique scriptores magis extollant quàm Hamilcarem Annibalis patrem cognomento Barcham, virum sine dubio præstantem, & rei militaris, vt in illa quisque ætate poterat, peritissimum. Is primum in Sicilia Romanorum impetum, qui multas inflixerant suæ reip. clades, diutius quàm par erat sustinuit. Deinde Aphrico bello quum mercenarii milites seditione facta rẽ Carthaginensium in extremum periculũ cõiecissent, sic strenuè incendium illud restinxit, vt sit omniũ sententia iudicatum, ea tempestate vnius Hamilcaris opera patriam fuisse seruatam. In Hispaniam posthæc cum imperio missus, quo tempore Annibalem puerũ secum duxisse traditur, quum multa gessisset memoratu digna, tandem nono anno quàm in eam prouinciam venerat aduersus Vetheones fortiter pugnans interiit. Post Hamilcaris morte Hasdrubal eius gener, quem Carthaginenses fauẽte factione Barchina exercitui præfecerant, octo fermè annos imperiũ obtinuit. Is Annibalem non multo tempore post interitum patris, repugnantibus etiã alterius factionis principibus, in Hispaniam vocauit, vt sicut antea puer vi-

C

D

A uente Hamilcare cœperat bellicis artibus erudiri, sic etiam tunc robustiore ætate periculis, laboribus, ac omnibus officiis militaribus assuesceret. At verò etsi ab initio memoria patris non parum sibi in exercitu profuisset ad fauorem conciliandum: paulo tamē postea sua opera atque ingenio factum est vt veteres milites aliorum ducum desiderio deposito, hunc sibi animo proponerēt, quem præcipuè imperatorē deligendum putarēt. Omnia enim quæ magno futuro duci expetenda esse videbantur, abūdè Annibali aderāt:
B quippe erat ei consiliū ad egregia facinora promptū. consilio autem neque industria neque audacia deerat. Nulla pericula, nulla incommoda corporis, quæ cæteros remorari solēt, & à rebus gerēdis abducere, inuictum animi virum terrebāt: vigilare, festinare, cūcta obire quæ aut strenuo milite, aut egregio imperatore digna videbātur. His artibus Annibal sub Hasdrubale per triennium meruit. Quo quidem tēpore adeò totius exercitus fauorē sibi conciliauit, vt statim post Hasdrubalis mortem, ingenti militum consensu, im-
C perator sit appellatus. Quam prærogatiuam militarē, fauēte factione Barchina, populus Carthaginēsis sine controuersia cōprobauit. Sex & viginti annos quū est imperator ab exercitu declaratus, Annibalē natū comperio. Nouem enim annorum fuisse constat quū eum pater in Hispaniam duxit: atque ab eo tempore vsque ad interitū Hasdrubalis, autore Polybio, septē & decem numerantur anni. Verùm ex quo die Annibal exercitum ac totius reip. administrationem suscepit, non longam moram interponēdam putauit quin
D populo Rom. quod multo antè animo agitauerat, bellum inferret. Nam erat ei indignatio primùm aduersus Romanos, ob Siciliam Sardiniámq; amissam, cū omnibus Carthaginēsibus penè communis. Accedebat deinde priuatum odium, & quasi hæreditariū ab Hamilcare patre acceptū, quo nemo alter ex Carthaginensium ducibus nomini Romano fuerat infestior. Traditum quoque memoriæ est, Hamilcarem sacrificantem eo tempore quo in Hispaniam profectionē

parabat, Annibalem admodum puerum iureiurando A
obstrinxisse, quum primùm per ætatem liceret, popu
li Rom. fore inimicum. Cuius quidem rei memoria
& acerba sanè recordatio veluti quædam paterni o-
dii imago ante oculos iuuenis versabatur, animúmq;
vrgebat, vt ea semper moliretur quæ ad euertendum
imperium Rom. pertinerent. Præterea factio Barchi
na frequentibus stimulis eum incitare nõ desistebat
vt armis & imperio opes quammaximas cõpararet.
Hæ igitur tum publicæ tum priuatæ causæ quum An-
nibalem hortarentur ad suscipiendum cum Roma- B
nis bellum, ferox iuuenis occasionem nouãdarum re-
rũ ex tali materia cepit: Erant in Hispania per id tẽ
pus Saguntini quasi medii inter Romanorum & Car
thaginensium fines, iure fœderis in libertate relicti:
hi postea se totos Romanis addixerant, initáque so-
cietate Romani imperii fidissimi cultores habeban-
tur. Quare Annibal constituit animo, nihil opportu-
nius fieri posse ad eliciendum Romanorum iram, ac
incendium, quod sibi optatissimum erat, concitandũ,
quàm Saguntinos armis bellóque lacessere. Sed prius
quam socios populi Rom. apertè adoriretur, statuit C
in Olcadas aliósque trans Iberum populos exerci-
tum ducere: ac iis ad deditionem compulsis, aliquam
Sagunto nocendi causam reperire, qua non tam me-
ditato consilio à se illatum, quàm à Saguntinis con-
tractum bellum videri posset. Primùm igitur Olca-
dum gente ad deditionem compulsa, Vacceos dein-
de aggreditur: agros depopulatur, oppida permulta
expugnat, Hermandicam & Arbocolam vrbes opu-
lentissimas capit. Ac iã propè omnẽ regionem in po-
testatem redegerat, quùm plerique ab Hermandica D
profugi se inuicem confirmantes aduersus Pœnum
coniurant, multitudinem cogunt, exules Olcadum so
cios sibi adsciscunt: deinde persuadent Carpentanis,
qui sibi finitimi erant, vt communi consilio Pœnum
in reditu suo nihil tale expectantem inuadant. Facilè
in hanc sententiam discedentes populi bellandi cu-
pidi, recentibúsque iniuriis lacessiti, arma capiunt:

A ac ingenti multitudine coacta (erant enim supra centum millia) Annibalē redeuntē ex Vacceis prope flumen Tagum adoriuntur. Ad quorum conspectum subitò constitere Carthaginensium signa, totóque agmine pauor & trepidatio fuit. Nec ambigitur quin Pœni eo die insignem cladem accepturi essent, si repētino hostium aduentu commoti, prædáque onusti cum ferocissimis gentibus conseruissent manus. Sed prouidus imperator Annibal hæc animaduertēs, prælio supersedere statuit, atque ibi castra posuit. Proxi-
B ma deinde nocte quanto maximè silentio potuit copiis amnem traductis, locum ea parte qua transitus hosti facilimus dabatur, ab omni præsidio vacuum reliquit: vt partim simulato metu, partim occasione oblata, barbaros ad transeundum flumen alliceret. Nec virū qui astutia omnes duces ætatis suæ sine cōtrouersia superauit, opinio in decipiendo hoste consiliúmque fefellit. Barbari enim natura feroces, multitudine quoque sua plus nimio fidentes, dum Carthaginenses perterritos esse arbitrantur, magno impe-
C tu se in aquam proiiciunt. Hos incompositos implicatósque, prius quàm omnino flumen traiiciāt, equitibus primùm, mox omnibus copiis aggrediūtur Pœni: magnóque eorum numero interfecto, reliquos in fugam vertunt. Post hanc victoriam cuncti trans Iberum pòpuli deditionem faciunt, præter Saguntinos: qui etsi Annibalem suis ceruicibus imminentem conspiciunt, tamen populi Rom. societate confisi, defensionem suscipiendam putant: Romam quàm celerrimè legatos mittunt, qui senatum doceant quanto in
D periculo res eorum sint, & aduersus acerrimum hostem iam sibi vim haud dubiè inferentē auxilium petant. Vix Saguntinorum legati ex Hispania discesserant Romam profecturi, quum Pœnus iam in apertum bellum prorumpens, omnibus copiis ad obsidendum oppugnandúmque Sagūtum accessit. Quod vbi Romam nunciatum est, agitatúmque in senatu de sociorum iniuria, miti sententia decreuerunt patres vt P. Valerius Flaccus & Q. Fabius Pamphilus

ad Annibalem mitterentur vt à Sagunto recederet: A
qui si non parêret, Carthaginem ire iussi sunt, ad ducem ipsum pro violato fœdere deposcendum. Hos oratores auditos esse ab Annibale, vanáque ab eo tulisse responsa, Polybius refert. Liuius contrà, nec auditos, nec in castra admissos scribit. Ambo tamen in eo conueniunt, quamprimùm in Hispaniam, deinde in Aphricam profectos Carthaginem venisse: expositísque patrum mandatis, sic aduersam habuisse dicunt factionem Barchinã, vt neglecti despectíque re
infecta Romam redirent. Erant omnino in senatu B
Carthaginensium factiones duæ: quarum altera iam inde ab Hamilcare cognomento Barcha initium trahens, Annibali filio quasi ex hæreditate obuenerat, auctáque deinceps in tantas creuerat opes vt domi forisq; in omni re decernẽda superior haberetur. Altera verò principẽ habebat Hannonẽ, virũ grauẽ, summæque in ea rep. dignitatis, toga tamen magis quàm armis egregium. Is ea tempestate qua legati Romanorum Carthaginem venerunt questum de sociorũ
iniuriis, solus fuisse traditur qui omni propè repu- C
gnante senatu fœdus cum populo Rom. seruandum censuit: monuítque vt ab eo cauerent bello, quòd extremam erat suæ patriæ perniciem allaturum. In quo si Carthaginenses non tam animum Hannonis quàm eius consilium respicere voluissent, & pacis potiùs quàm belli autorem audiendum censuissent, sanctius sibi suæque reip. foret consultũ. At illi vnius iuuenis seu furorem seu cupiditatẽ sequuti, tantorũ malorũ, quę postea in sua capita redũdarũt, ex eo tẽpore occasionẽ dedere. Quocirca sapiẽtes viros & optimos re- D
rũp. gubernatores finẽ magis in reb' humanis quàm initiũ spectare, & priusquã ad arma bellaq; prorũpãt, experiri omnia cõsilio decet. Cæterùm Sagũtini per id tẽpus quo ab Annibale obsessi sunt, quũ præter ius fásque sibi bellum inferri viderent, plures menses obstinatis animis obsidionem tulerunt. Ad extremũ multitudine hominum superãnte Pœno, (ad centum enim & quinquaginta millia habuisse in armis credi

A tur) quum iam magna ex parte diruta mœnia essent, excidium vrbis expectare maluerunt quàm in acerbissimi hostis potestatē venire. Octauo mēse quàm cœptum oppugnari, captum Saguntum quidam autores sunt: quibus nec Liuius assentiri videtur, nec aliud certum tempus obsidionis illius in medium afferre. At verò expugnatio huius opulentissimæ vrbis cœptis Annibalis multis in rebus adiumento fuit. Nam ciuitates nonnullas quæ Punici imperii pertæsæ metum defectionis præbebant, exemplo Saguntinæ
B cladis in fide retinuit, militum animos confirmauit, ditato exercitu ingenti præda. Pretiosa munera ex spoliis Saguntinorum Carthaginem misit: quibus sibi primarios obligauit ciues, paratioresque reddidit ad futurum bellū quod cū populo Rom. nō in Hispania, vt multi arbitrabantur, sed in Italia sibi erat in animo gerere. Inter hęc legati Romanorū quum in vrbē à Carthagine rediissent, vana quæ ibi acceperāt referētes respōsa, & sub idem propè tempus excidiū Saguntinum nunciatum esset, sera tandem populum
C Rom. pœnitentia cepit, quòd labenti reip. sociorum, opémque in extremò periculo postulanti, non subuenisset. Ita plebs patrésque incredibili misericordia moti, simul indignatione accensi, cōsules prouincias sortiri iubent. P. Cornelio Hispania, T. Sēpronio Aphrica (hi enim tum consules erant) cum Sicilia euenit. Legatos deinde Carthaginem mittunt principes ciuitatis. Qui coram senatu post lōgam disceptationem, de fœderum iure quum semina futuræ contentionis quasi in conspectum omnium effudissent, magnáque
D ferocitate obtulissent bellum: Carthaginenses contrà non minore audacia oblatum suscepere, malo tamen consilio, vt postea res ipsa & belli exitus declarauit. Verùm Annibal cognitis iis quæ in senatu Carthaginensium acta erant, quum iam tempus esse arbitraretur vt, sicut ab initio instituerat, Italiam peteret, res necessarias ingenti studio parat, classem instruit, ex fidissimis ciuitatibus auxilia

accersit,omnes copias Carthaginem nouam cõueni- A
re iubet.Post hæc Gades profectus,ante omnia commodissimum esse statuit opportunis custodiis Aphricam Hispaniámque munire: ne,dum ipse in Italiam contendit, vacuæ ab omni præsidio Romanis relinquantur.Itaque in Aphricam primùm mittit equites mille & ducétos,peditum ex Hispanis tredecim millia.Deinde ex diuersis ciuitatibus Aphricæ quatuor millia peditum euocat, quos Carthaginem tueri iubet,obsides simul habiturus & milites. Hispaniæ autem præficit Hasdrubalem fratrem, eíque relinquit B
L nauium classem,& ad duo millia equitum,peditum verò ad duodecim millia. atque iis præsidiis vtranque prouinciam firmat: non quia ea sufficere arbitraretur aduersus Romanas opes,si moles belli aut in Hispania aut in Aphrica sustinenda foret: sed quòd hæc satis esse existimet ad hostem suis finibus arcendum,dum ipse terrestri itinere exercitum ducens bellum in Italiam transferat. Sciebat præterea populum Carthaginensem pro magnitudine imperii facilè pos- C
se quum vellet nouas copias parare, nec solùm reficere exercitum domi, si opus esset,sed etiam supplementum sibi in Italiam mittere. Ex quo enim graue ac periculosum bellum mercenariorum indignatione contractum à suis ceruicibus depulerant, Hamilcare primùm,deinde Hasdrubale, postremò Annibale duce continenter victores,ita Punicum imperium auxerant, vt ea tempestate qua Annibal in Italiam venit,longè latéque eorum paterent opes. Nam omnem Aphricæ oram quæ nostro mari abluitur, te- D
nebant,ab aris Philænorũ,haud multum distantibus à magna Syrte,vsque ad columnas Herculis. Continet ea lõgitudo duo millia passuum. Transgressíque paruum fretum quod Aphricam Europámque interiacet,omni propè Hispania potiti erant vsque ad Pyrenæũ montẽ,qui eam prouinciam à Galliis diuidit. His rebus in Hispania atque Aphrica constitutis,Annibal Carthaginẽ nouam reuertitur,vbi iã copiæ instructæ paratæq; in armis erãt. Quapropter nil vltrà

A expectandum ratus, aduocata concione, militum animos verbis confirmat, spem magnarũ rerum proponit, fertilitatem Italiæ prædicat, amicitiam Gallorum commemorat. Demũ hortatur vt lætis animis profectionẽ suscipiant. Sequenti die à Carthagine mouens per maritimam oram ad Iberum ducit. Sunt qui proxima nocte quiescenti Annibali iuuenem admirabili specie visum in somnis tradunt, hortantem primò vt se ducem in Italiam sequeretur: deinde cum magno strepitu serpentem apparuisse raræ magnitu-
B dinis: cupientique scire quidnã id portenderet, visum sibi audire vastitatem Italiæ esse. Nec mirãdum fuisset si intentæ Annibalis curæ cogitationésque vehementes, quibus ille vigilans bellum Italicum agitabat, quasdam nocturnas peperissent species, nunc victoriæ, nunc cædis & incendii, aliarúmq; belli calamitatum similitudinem præ se ferentes. Fit enim interdum, sicut Orator inquit, vt cogitationes sermonésque nostri pariant aliquid in somno tale quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet sæpissimè
C vigilans solebat cogitare & loqui. Annibal superatis Pyrenæis iugis, conciliatisque sibi multis donis Gallorum animis, paucis diebus ad Rhodanum venit. Rhodanus amnis non longè ab Istri Rhenique fontibus surgens, octingentis propè emensis stadiis in lacum Lemanum se condit: inde egressus in occidentem se vertens, Gallias aliquandiu dirimit, Ararisque & aliorum fluminum accessione non mediocriter auctus, tandem inter Volcas & Cauares pluribus capitibus in mare influit. Volcarum gens ea tempe-
D state circa vtranque ripam colebat Rhodani, hominũ abundãtissima erat, & inter Gallicas gentes opulentissima. Hi primo Annibalis aduentu amnem trãsgressi constiterant in ripa fluminis, vt Pœnos transitu prohiberent. Nam cæteris pacatis Gallis, hos neque donis capere Annibal, neque metu compellere potuit vt amicitiam experiri quàm vim Carthaginensium mallent. Igitur dolis cum tali hoste agẽdum ratus, Hannoni Bomilcaris filio præcipit vt occultè

Rhodanum transmittat, & cum parte copiarum Gal- A
los nil tale opinantes adoriatur. Is, vt imperatum e-
rat, lõgiore itinere progressus, vbi commodissimum
visum est flumen, traiicit: & circũductis copiis prius
ad hostiũ castra peruenit quàm planè ab his videri,
aut quid rei gereretur cognosci posset. Galli clamo-
re à tergo audito, quum neque consilii habendi, ne-
que arma capiendi spatium daretur, & iam à fronte
instaret Annibal, pluribus nauigiis ad traiiciendum
paratis, subitò castris excessere: &, quantum cursu ac
viribus efficere potuerunt, se in præcipitem dede- B
runt fugam. Sic igitur ex aduersa ripa hostibus pul-
sis, reliquæ Carthaginẽsium copiæ incolumes tradu-
cuntur. Interim crebri rumores de aduentu Anniba-
lis ad P. Cornelium Scipionem, qui paulo antè Mas-
siliam venerat, deferebantur. Quæ vt certius cogno-
sceret consul, alam lectissimorum equitum ad explo-
randa consilia hostium mittit. Quibus, vt mandatum
erat, celeriter proficiscẽtibus, quingenti Numidæ e-
quites obuii fiunt, missi & ipsi à Pœno speculatum
Romana castra. Nulla mora interiecta est quin præ- C
lio contenderent. Pugnatum est acriter ab vtrisque.
Tandem superiores Romani multis ex suis amissis,
pluribus ex hostibus cæsis, reliquos in fugam conie-
cerunt. Posthæc Annibal certior factus quo in loco
Romanorum copiæ essent, agitare secum cœpit, præ-
staretne cœptum iter in Italiam prosequi, an aduer-
sus præsentem consulem exercitum ducere, & euen-
tum totius rei experiri. Quum multæ vtrinque ra-
tiones occurrerent, tandem fluctuantem animo Bo-
iorum legati in eam partem traxerunt vt omnibus D
rebus postpositis in Italiam contenderet. Nam Boii
iam ante Pyrenæi montis transitum, legatis Roma-
norum per fraudem captis, Manlio prætore magna
clade affecto, solicitatis Insubribus, ad Pœnum defe-
cerant, ea præcipuè causa indignati quòd Romani
paulo antè Placentiam Cremonámque colonias mi-
serant. Itaque horum consiliis persuasus Annibal,
castra mouit: & per ripam Rhodani aduerso flumine

A profectus, paucis diebus peruenit ad locum quē Insulam Galli appellāt. Hanc Arar & Rhodanus amnis ex diuersis mōtibus confluentes efficiūt: ibi nunc Lugdunū est celeberrima Galliæ vrbs, quā lōgis postea tēporibus à Planco Munatio conditam fuisse accepimus. Hinc profectus Annibal, regionem Allobrogum ingreditur, discordiisque duorum fratrum de regno inter se certantium sublatis, per Castinorum & Vocontiorum fines ad flumē Druentiam venit. Druentia oritur ex Alpibus, & citato descendens cursu in
B Rhodanum sese effundit: & quia vada frequēter mutat, ægrè pedibus transiri potest. Eo tamen transmisso amne, per aperta loca, quātū facultas dari potuit, exercitū ducens Alpes petit. Verùm in superādis Alpibus tot tantáq; incōmoda perpessum Annibalē tradūt, vt quidam autores æquales tēporibus eius belli, ex ipso Pœno audisse dicant, se supra triginta hominū millia maximúmque iumētorum numerum in transitu Alpium amisisse. Non solùm enim cum montanis incolis multoties sibi pugnandū, sed etiam aduersus angu
C stias asperitatésq; viarum sic ei laborādū fuit vt quibusdam locis per ingentia saxa igni acetóq; putrefacta sibi aperuerit iter. Quintodecimo die superatis Alpibus in agrum Taurinū descendit. Quo mihi verisimilius videtur per montē Genuæ, (sic enim vulgò appellant) qui ex altero latere flumen Druentiam, ex altero exitum in Taurinos habet, Pœnum transisse. Postquam in Italiam ventum est, quæ aut quantæ copiæ Annibali fuerint, quia diuersa autores retulere, difficile ad fidem est exacto affirmare numero. Alij
D centum millia peditum, viginti equitum: alii viginti peditum, sex equitum ex Aphris Hispanísque. quidam verò Gallis Liguribúsque additis L X X X millia peditum, decem equitum fuisse scribunt. Sed credere libet, neque ita magnum illi fuisse numerum copiarum vt asserunt primi, post tot emensa terrarum spatia, tantáque detrimenta accepta: neque ita exiguum vt secundi volunt, quum maximè res quas postea gessit, menti occurrunt. Qui verò mediam se-

quuntur viam, probabiliora dicere videntur, quum A
ex octoginta millibus peditum, decem millibus equitum quæ ex Hispania mouit, magnam partem in Italiam duxerit, satísque constet confluxisse ad eum ingentem multitudinem Ligurum Gallorúmq;, qui ea tempestate non minore odio in Romanos quàm Pœni ardebant. Quum ex Taurinis in agrum Insubrium venisset Annibal, aduersum habuit P. Corn. Scipioné, qui à Massilia ingenti celeritate in Italiam reuersus, Pado Ticinóque traiectis, haud procul ab hoste consedit: breuíq; interiecto spatio ambo ii duces B
alter alterius castra speculatum profecti equestre prælium commiserunt. In quo aliquandiu pari propè certamine dimicatum est. ad extremum Romani, quum vulneratus esset cõsul, & Numidæ equites paulatim circumeundo à tergo imminerẽt, pedem referre coacti sunt. Itaque sensim cedendo & consulem protegendo, sese in castra receperunt. Sunt qui ab Africano filio iam tum pubescente seruatum patrem Cornelium scribunt. Quæ quidem laus etsi maxima sit in tam recenti teneráque ætate, non tamen à vero nec à præclaris rebus quas posteà gessit, aliena videtur. C
Hoc prælio expertus Scipio quantum equitatu præualeret hostis, statuit sibi ea loca petenda esse in quibus pedestres copiæ & consistere tutius, & dimicare commodius possent. Itaque sequenti nocte quanto maximè silentio potuit, omni exercitu Padum traducto, in agrum Placentinum contendit. Eòdem paulo pòst T. Sempronius Longus, literis senatus ex Sicilia accersitus, vt ambo consules communi imperio communíque consilio remp. administrarent. Anni- D
bal etiam post equestrem pugnam cum omnibus copiis Scipionem sequutus ad flumen Trebiam consederat, sperãs propinquitate castrorum fore aliquam dimicandi facultatem: quam sibi datum iri vehementissimè cupiebat, non solùm quia longam moram sustinere non poterat ob commeatus inopiam, sed etiam quia verebatur infirmitatẽ Gallorum, qui & spem nouarum rerum, & equestris victoriæ fa-

A mam ſequuti vt facilè in ſuam fidem atque amici-
tiam conceſſerant: ſic etiam leui momento fieri poſ-
ſe credebat vt durante in ſuis ſedibus bello odium
à Romanis in ſe vnum autorem belli transferrent. I-
gitur omnibus modis materiem quærebat vnde oc-
caſio committẽdi prælii oriretur. Accidit autem op-
portunè per eos dies, vt Sempronius cõſul nactus ho-
ſtium agmen præda graue, palatúmque per agros, in-
uaderet, in fugámque coniiceret, atque ex ea re pro-
ſperè geſta de euentu totius rei coniecturam faciens,
B in maximam ſpem veniret victoriæ conſequendæ,
ſi iuſta acie confererentur manus. Quare priuſquam
Scipio conualeſceret, & noui conſules crearentur, a-
licuius præclari facinoris edendi cupidus, in certamẽ
prodire decreuit, rem improbante collega, claman-
téque nihil intempeſtiuius agi poſſe quàm omnibus
propè aduerſantibus Gallis ſummam reip. in diſcri-
men afferre. Horum diſſenſiones per occultos explo-
ratores deferebantur ad Pœnum. Quibus cognitis,
callidus imperator extemplò locum inter vtraque ca
C ſtra ſeptum vndique & veſtitum vepribus & dumetis
inuenit, ibíque Magonem fratrem cum delecta ma-
nu conſiſtere iuſſit. Deinde equitibus Numidis nego
tium dedit vt adirent Romana caſtra, hoſtémque la-
ceſſentes ad præliũ excitẽt. Ipſe interim reliquũ exer
citum cibo potúque refectum in aciem deducit, vt
in omnem occaſionem gerendæ rei intentus para-
túſque in armis eſſet. Sempronius conſul ad primum
tumultum Numidarum, ſubitò equitatum, deinde
ſex millia peditum, poſtremò omnes copias ex caſtris
D deducit. Erat autem brumæ tempus, & ſumma vige-
bat aſperitas hyemis, in iis præſertim locis quæ Al-
pibus Apenninóque clauduntur. Numidæ, vt præce-
ptum erat, citra flumen Trebiam Romanum ſenſim
trahentes, vbi ad eum locum venerunt vnde ſuorum
ſigna conſpici poterant, ſubitò verterunt in effuſum
hoſtem equos. Eſt enim Numidarum conſuetudo vt
ſponte plerunque cedant, mox vbi viſum fuerit ſi-
ſtant, rurſúſque maiore impetu quàm prius hoſtem

inuadant. Sempronius extemplò equitibus ad subsidia reuocatis, pro necessitate temporis aciẽ instruit, pugnam cum hoste, qui omnia ad futurum certamen præparauerat, commissurus. Iam enim cum instructis copiis aderat Annibal, vt præsenti occasione certandi vteretur. Pugna primùm à leui armatura, deinde ab equitatu inita est, in qua Romani equites quum impetum hostium sustinere non possent, facilè cesserũt loco. Prælium deinde legiones excepere, tanta contentione, támque paratis ad dimicandum animis, vt resistere posse viderentur si eis fuisset cum solo pedite decernendum. Sed hinc equites elephantiq; terrebant, hinc pedites instabant acriter pugnantes aduersus corpora fame frigoréque confecta. Itaque magis animis quàm viribus hanc molem circũstantium incommodorum sustinẽtes Romani, pugnam extraxere, quousque Mago ex insidiis exortus, cum clamore ac tumultu incautos inuasit, & media Pœnorum acies iussu Annibalis impetum in Cenomanos fecit. Tunc fuga ab auxiliaribus cœpta Romanorum fregit animos. Nam ad decem millia peditum ex Romano exercitu fuisse dicuntur qui per medios erumpentes hostes se Placentiam contulere. Ex reliquis copiis fugientes persequuti maiorem partem conciderunt Pœni. Euasit tamen Sempronius consul, summo periculo manibus hostium euitatis. Nec Pœnis incruenta victoria fuit, multis ex suis militibus, ac omnibus propè elephãtis amissis. Post hanc pugnam Annibal per omnem regionem vagatus, cuncta ferro igníque vastauit, oppida quædam cepit, ac ingentem multitudinẽ incolarum nullo ordine militari in certamen euntem, parua manu fudit fugauítque. Vere primo maturius quàm tempus postulabat ex hybernis mouens, quum in Hetruriam contenderet, & prope Apennini iuga sæua tempestate repulsus, exercitũ in agrum Placentinum reduxit, breuíque interiecto spatio, quum multæ necessariæ vrgerent causæ, rursus eandem profectionem, sicut instituerat, suscipiendam putauit. Nam Gallorum insidiis propè circum-

A uentus, calliditate ingenii periculum capitis euitauerat. Ægrè enim ferentes Galli bellum in suis agris diutius consistere, vnum Annibalem caput belli petebant. Quo periculo compulsus Pœnus, maturandum sibi atque in aliam prouinciam omnem exercitum traducendum putabat. Accedebat præterea quòd ad opinionem gentium, & suorum militum alacritatem magni interesse arbitrabatur, tantas videri Carthaginensium vires, tantum ducis animum, vt in propinquas Romanæ vrbi regiones arma transferre aude-
B ret. Quare postpositis omnibus rebus, castra mouit: superatisque Apennini iugis, per Ligures ea via qua ad paludes ad planitiem fluminis Arni est iter, in Hetruriam descendit. Arnus vehementius excreuerat per eos dies, atque omnes circumadiacentes campos aquis inundauerat. Igitur Annibal tantum exercitum secum trahens, priusquam è palustribus locis egrederetur, vitare non potuit quin ingentem hominum ac iumentorum iacturam faceret. Ipse quoque dux etsi elephanto, qui vnus superfuerat ex multis, emi-
C nens veheretur, plures tamen dies ac noctes aeris intemperie vigiliisque confectus alterum amisit oculũ. Inter hæc C. Flaminius consul exercitu à Sempronio accepto Arretium venerat, inconsulto senatu ægréque ferente quòd relicto Romæ Cn. Seruilio collega, sine insignibus, sine lictoribus, furtim in prouinciam contendisset. Hunc virum natura ferocem plebis fauor supra modum extulerat, atque ita audacem reddiderat vt appareret omnia incautè inconsultéque acturum. Quod vbi Annibal comperit, commo-
D dissimum esse statuit, ingenium consulis iritare: conarique omnibus modis vt antequam collegæ iungeretur, ad pugnam alliceret. Itaque castra mouens, per agrum Fesulanum Arretinúmque magno impetu vagatur, omnem regionem terroribus implet, cuncta ferro igniq; peruastat: nec prius populationibus aut incendiis finem facit quàm passim vastatis agris ad montes Crotonenses, atque inde ad Thrasimenum lacum peruenit. Ibi locum contemplatus, quum ca-

pere insidiis hostem quæreret, propè angustam viam A
quæ ad Thrasimenum ducit, sub quibusdam tumu-
lis equitatum locat, post montes leuem armaturam
considere iubet. Ipse cum reliquis copiis in planitiem
descendit, suspicatus id quod accidit, Romanum cō-
sulem non quieturum. Homines enim furentes inge-
nio facilè ad omnes machinas atque insidias hostium
patent, sæpéque salutaribus consiliis spretis sum-
mam rerum in discrimen obiiciunt. Flaminius, vbi
passim agros sociorum diripi, frumenta succidi, ædi-
ficia incendi sensit, subitò contra omnium senten- B
tiam qui collegam expectandum cēsebant, castra mo
uit, citatúmque agmen ad hostem duxit. Quum
occidente iam sole ad angustias Thrasimeni lacus
peruenisset, eo in loco constitit continenti itinere
indefessus miles. Sequenti die, sub primam lucem,
nulla re antea explorata, saltum transcendit. Anni-
bal verò qui omnibus antea præparatis occasionem
expectabat gerendæ rei, vbi in patentiorem campum
Romanum deductum cernit, dat omnibus inuaden-
di signum. Tunc vndique surgentes Pœni, hostem C
lacu & montibus clausum adoriuntur, nec solùm
à fronte, sed etiam à tergo & lateribus instant. Con-
trà Romani nullo ordine militari prælium ineun-
tes, constipati conglobatíque in nebula quæ omniū
oculos occupauerat, veluti in vmbra pugnant, vt mi-
randum fuerit, quum ab omni parte circumsepti te-
nerentur, quibus rebus freti tandiu pugnam distu-
lerint. Nam supra tres horas ita acriter certatum
constat, vt neque maximus terræmotus eo tempo-
re à pugnantibus auditus sit, nec prius Romana in- D
clinata acies quàm manu equitis, cui Ducario no-
men erat, consulem tota acie volitantem interfectum
fama vulgauit. Tunc Romani spoliati præsidio ducis,
ac omni spe destituti, terga verterunt, alii montes, a-
lii lacum petentes, quorum multi in fuga comprehen
si sunt atque interfecti. Cecidere in pugna ex copiis
Romanorum ad quindecim millia hominum, & ad
decem millia variis itineribus euasere. Fuisse etiam

A dicuntur sex millia peditum qui ab initio pugnæ impetu facto saltum superarunt, & in eminenti quodam tumulo constiterunt. postea verò finito prælio accepta à Pœnis fide, proditi fraudatíque in victoris potestatem venerunt. Annibal hac ingenti victoria parta, multos ex captiuis Italici generis liberaliter prosequutus, sine pretio dimitti iussit, vt humanitatis & indulgentiæ fama per populos vulgaretur, à quibus tamen virtutibus ingenium eius longissimè aberat. Fuit enim Annibal ferus immanísque natu-

B ra, & adiunxit etiam à prima pueritia disciplinam, qua non iura, non leges, non ciuiles consuetudines, sed bella cædésque & hostiles proditiones tractare didicerat. Itaque crudelissimus euasit dux, & in fallendis hominibus callidissimus. Nam ad decipiendum hostem semper intentus, quos aperto marte superare non poterat, dolis aggrediebatur, vt facilè ex præsenti pugna, & prælio quod antea cum Sempronio ad Trebiam commisit, possumus iudicare. Sed hæc in alium locum differantur. Romam verò vbi

C Flaminium consulem victum cæsúmque cum magna parte copiarum nunciatum est, ingens repentè luctus ciuitatem inuasit. Alii publicam, alii priuatam, quidam vtramque calamitatem deplorabant. Miserabile spectaculum erat multitudinis mulierum virorúmque confluentis ad portas vt priuatim quisque de suis necessariis certior redderetur. Proditum quoque memoriæ est, mulieres duas stantes sollicitis atque pendentibus animis pro salute filiorum, quum præter spem filii occurrissent, subita lætitia

D expirasse. Sub idem tempus quatuor millia equitum ad Flaminium consulem mittebantur à Seruilio collega, nondum sciente prælium ad Thrasimenum factum. Hi in itinere audita suorum clade, quum in Vmbriam se reciperent, ab equitatu hostium excepti ad Annibalem deducuntur. Cæterùm quum tot támque multiplicibus acceptis cladibus in summo periculo res Romana esset, placuit extraordinarium imperium quæri, dictatorémque creari: quod vnum

remedium alienissimis temporibus reip. adhiberi solitum erat. Sed quum obsessis omnibus viis Seruilius consul Romam venire non posset, nouo exemplo populus Rom. dictatorem dixit Q. Fabium, cui postea Maximo fuit cognomen: qui M. Minutium magistrum equitum dixit. Erat autem Fabius vir magni consilii & prudentiæ, & summæ in rep. dignitatis. Itaque eo tempore omnes ciues hunc vnum intuebantur, iámque sibi persuaserant, eo duce, aut nullo alio, defendi statum ciuitatis posse. Hæc ille nô ignorans, ingẽti fiducia rebus necessariis comparatis, ab vrbe proficiscitur, & exercitu à Seruilio consule accepto, duabúsque legionibus additis, ad hostem pergit. Iam Annibal à Thrasimeno lacu recto itinere Spoletum profectus, tentauerat primo impetu si id oppidum capi posset. Concursu oppidanorũ ad tuenda mœnia facto, quum egregiè defenderetur, vastatis omnibus eorum agris, vicis, ædificiísque incensis, in Picentes, atque inde per Marsos & Pelignos in Apuliam contenderat. Dictator hostem sequutus, prope Arpos haud procul à Punicis castris consedit, eo consilio vt morando cunctandóque bellum traheret. Nimia enim superiorũm ducum ferocia in eum locum rem Romanã deduxerat vt à toties victore hoste non vinci eo tempore pro victoria haberetur. Itaque omnia repentè mutauit imperator mutatus. Nam quum Annibal primò in aciem deduceret, deinde quiescente hoste omnem regionem popularetur, vt vastãdo in oculis agros sociorum, dictatorem excitet ad præliũ capessendũ, nihilo magis motus Fabius suos in castris côtinebat. Hanc cunctationẽ Romani ducis iniquo animo ferẽs Annibal, frequenter castra mutare constituit, vt pluribus adeundis locis aliqua vel fallẽdi hostem, vel committendi prælii occasio oriretur. Quapropter superato Apennino, ex agro Arpinati in Samnium venit: paulóque pôst quibusdam Campanis quos ad Thrasimenum captos liberaliter dimiserat, afferentibus spem Capuæ potiundæ, castra mouit, perito quodam regionis admo-

A nito vt in agrum Casinatem exercitum duceret. Similitudine nominis Casilinũ dux itineris pro Casino accipiens, longè diuersa via per Calentinũ & Calenũ agrum in campum Stellatem Annibalẽ traxit. Vbi quum septa vndique montibus & fluminibus regio teneretur, cognito errore, Pœnus hominem crudeliter excruciatum necari iussit. Fabius per id tempus incredibili patientia vsus, vagari Pœnum permisit, donec occupato Gallicano & Casilino monte, opportuna loca præsidiis firmauit. Quo factum est vt Punicus

B exercitus propè circumuentus, vel opprimi commeatus inopia, vel turpi fuga sibi consulere cogeretur, nisi Annibal arguta fallacia frustrato hoste periculum euasisset. Nam hac re animaduersa, quum sibi opportunum visum est, imperat militibus suis vt ex agresti præda, quàm abundè in castris habebat, ad duo millia boum ad se deducant. Horum cornua facibus vinciri iubet, deinde quosdam idoneos deligit viros qui sub primam vigiliam facibus incensis ad summos montes belluas concitent. Nihil ex

C his quæ imperata erant prætermissum fuit. Agitati boues ardentibus facibus summa montium petunt. copiæ paulatim sequuntur. Romani, qui multo antè firmis præsidiis saltus occupauerant, re noua perterriti & insidias esse rati, subitò ex opportunis locis discessere. Fabius quoque Punicam fraudem suspectam habens, quum non satis constaret quídnam rei esset, suos in castris continuit. Interim Pœnus haud procul ab aquis Suessanis, quem locum hac tempestate incolæ regionis Turrim balneorum

D appellant, saltum transgreditur, atque in agrum Albanum cum omnibus copiis incolumibus sese recipit: breuíque interiecto spatio castra mouet, quasi recta via Romam petiturus. Sed postea conuerso itinere in Apuliam rediit. Ibi potitus oppido Glereno, opulento sanè & abundãti omni copia rerum, hyberna in iis locis habere constituit. Nec multo pòst dictator subsequutus, haud procul à Punicis castris in agro Larinati consedit. Inde reipublicæ causa

Romam accersitus, quũ celeriter sibi proficiscẽdum A
esset, magistro equitum denunciat vt sese loco teneret, néve absente se cum hoste manum consereret: Nam sicut ab initio proposuerat animo, ita etiam postea in eo perseuerandum putabat, vt neque hostem in prælio lacesseret, neque lacessitus in aciem descẽderet. Sed accidit post discessum eius vt M. Minutius præceptorum immemor, hostium manum adoriretur frumentatum ab Annibale missam, palantémque per agros cum multa cæde in castra coniiceret. Extemplò huius rei fama Romam perlata, au- B
ctáque rumoribus, veluti adeptæ victoriæ nomẽ obtinuit, ac ita multitudinis impleuit aures, vt repentè sit magistro equitum, quod ante id tempus contigit nunquam, cum Fabio dictatore æquatum imperium. Hanc iniuriam sibi indigno illatam magno animo ferens Fabius, in castra reuertitur. Iam duo dictatores vno tempore erant, res ante eam diem inaudita: diuisísque inter se copiis, sicuti consulibus mos fuit, pari imperio exercitibus præerant. At M. Minutius ex rebus tantam sibi arrogantiam sumpserat, C
vt, quod vix Annibal toties victor auderet, ausus sit quadam die inconsulto collega certamen inire, ac in eum locum copias suas perducere vbi Punicis insidiis circumuentæ ad arbitrium hostium cædebantur, nec vllam euadendi viam habebant, nisi Fabius publicæ salutis magis quàm acceptæ iniuriæ memor, in tempore subuenisset. Nam recentibus copiis certamini superueniens, haud dubiè terruit Pœnum, & facultatem legionibus Romanis dedit vt sese in locum tutum reciperent. Maximam hinc virtutis & D
prudentiæ famam cùm apud suos, tum apud hostes est Fabius consequutus. Nam & Annibalem in castra redeuntem dixisse tradunt, eo prælio à se M. Minutium, se autem à Fabio esse superatum. Et ipse Minutius cognita prudentia viri, iuxta Hesiodi sententiam, meliori parendum ratus, cum omnibus copiis in castra Fabii venit, magistratúque deposito, honorificentissimis verbis patrem Fabium

A ſalutauit: longéque is fuit cunctis militibus lætiſſimus dies. Cæterùm vtriſque exercitibus in hyberna diſcedentibus, poſt longam contentionem creati ſunt conſules noui, L. Paulus Æmilius, & C. Terentius Varro, homo ex infima plebe, populari aura ad conſulatum euectus. His conceſſum eſt vt maioribus copiis quàm conſueuerant priores duces, rem Romanam gererent. Auctæ legiones, & nouæ quoque veteribus additæ. Profecti ad exercitum conſules diuerſi ingenii diuerſam in adminiſtrando
B imperio rationem ſeruabant. L. Paulus vir prudens & Fabianæ artis & conſilii memor, bellum trahere, hoſtem morari, prælio abſtinere: Varro contrà furere, audere, certamen expoſcere. At breui ſpatio interpoſito, patefactum eſt magna cum calamitate ac pernicie ciuitatis, quantum inter modeſtiam Æmilii, & Varronis arrogantiam intereſſet. Nam Annibal inopia frumenti timens ne aliquis motus in caſtris oriretur, ex Glereno profectus, quum calidiora petiiſſet Apuliæ loca, cum o-
C mnibus copiis ad Cannas conſedit: quem inſequuti Romani conſules, bina propè poſuerunt caſtra, ita inter ſe iuncta vt tantùm Aufido dirimerentur amne. Is ſolus fluuiorum, vt tradunt quidam, Apenninum diuidit, atque ex ea parte qua montes ad mare inferum ſpectant, oriens, in Adriaticum influit ſinum. Verùm L. Paulus, quum videret Pœnum in aliena morantem terra non poſſe tot támque diuerſarum gentium copias diutius ſuſtinere, in eadem ſententia perſeuerabat vt bellum duceret: hanc v-
D nam tutam vincendi viam, hanc hoſti pernicioſam, ſuæ reipublicæ ſalutarem eſſe cenſebat. Quòd ſi hoc C. Terentio perſuaſum eſſet, ſatis apparebat à ſedentibus Romanis frangi poſſe Annibalis opes. Sed vir inquieti animi non ſolùm non mouebatur autoritate Æmilii prudentiſſimè conſulentis, ſed ipſum etiam increpabat, fremebátque per vulgus quòd in aciem prodeunte hoſte militem otioſum in caſtris contineret. Quamobrem quum veniſſet dies in qua

summa imperii sibi obtigerat,(vicissim enim exercitibus præerãt)prima luce transmisso Aufido, signum dimicandi proponit inconsulto collega, inuitóque magis,quia repugnare nõ poterat,quàm sponte eum sequente. Annibal lætus occasione pugnandi,quòd omnem dilationem sibi aduersam esse censebat, copias amnem traducit, paratissimas quidem atque omni armorum genere ornatissimas. multa enim spolia ex hostibus parta materiam præbuerant ad ornatum. Erat autem Romanorum acies in meridiem versa. Horum oculos occupabat puluis meridiano excitatus vento, quem incolæ Vulturnum appellant: hostes contra septentrionem spectabant: atque ita in acie dispositi erant vt vtrunque cornu tenerent Aphri, in medio consisterent Galli atque Hispani. Primùm à leui armatura, deinde ab equitibus concursum est: & quia exiguum ad peruagandum spatium inter amnem peditatúmque relictum erat, atrox magis quàm longum fuit certamen. Pulso tamen equitatu Romano pedestris acies prælium excepit, tanto ardore animorum vt nullum aliud tempus ad dimicandum habitura videretur. Sed nimia vincendi cupiditas vt primo congressu initium lætum, sic etiam postea exitum tristem Romanis dedit. Nam Galli atque Hispani, quos in medio locatos suprà ostendimus, non sustinentes impetum Romanorum, sese ad Aphrorum subsidia recepere. Romani verò effuso cursu in hostem delati, dum vrgendo cedentes in medium coeunt, occasionem dederunt Pœnis vt ex vtraque parte cornua circunducerent. Quingenti quoque Numidæ equites qui paulo antè simulata fuga à consulibus fuerant comiter accepti, ac in postremo agmine consistere iussi, vbi tempus visum est gerendæ rei, à tergo sese ostendunt, subitóque imprudentes atque inopinantes hostes aggrediuntur. Tum vndique perturbata Romana acies haud dubiã Pœno victoriam dedit. Ad quadraginta millia peditum, ad duo millia supra septingẽtos equites, autore Liuio, eo prælio cæsa dicuntur.

A Polybius longè maiorem numerum cæſorum affert. Sed his in medio relictis, illud affirmare libet, hac Cannenſi clade nullam maiorem vnquam nec primo nec ſecundo Punico bello à Pœno hoſte illatam eſſe Romanis. Nam in ea pugna cæſus eſt Paulus cōſul, vir memoria dignus, & vſque ad ſupremum diem omni officio in patriam functus. Seruilius quoque prioris anni conſul, & alii conſulares, tum prætores prætoriíque viri, tribuni militum, ac ædilitii quidam, aliíque permulti honeſtiſſimi ſenato-
B res, tum optimorum ciuium exercitus, qui ad ſatietatem crudeliſſimi hoſtis interempti ceciderunt. Terentius conſul, qui autor fuerat prælii committendi, vbi in omni parte Pœnum ſuperiorem vidit, ſalutem ſibi comparauit fuga. Et Tuditanus tribunus militum cum magna manu per medios hoſtes erumpens, Canuſium venit. Ibi ad decem millia hominum ex manibus hoſtium tanquam ex tempeſtate emerſa conuenerunt, ſummáque imperii omnium conſenſu ad Appium Pulchrum & P. Cor-
C nelium Scipionem, qui poſtea hoc bellum confecit, delata eſt. Hunc tandem exitum Cannenſis habuit pugna. Quæ celeriter Romam perlata, etſi omnem ciuitatem (vt par erat) mœſtitia luctúque repleuit, ſenatus tamen populúſque Romanus in tam aduerſis rebus dignitate retenta, non modò de ſeruanda vrbe, ſed etiam de reparando exercitu cogitauit, iuniores ad arma conciuit, nec Siciliam Hiſpaniámque neglexit: vt hæc conſiderans mirari debeat, tantum ea tempeſtate vel animi vel cōſilii in illo ordine
D populóque fuiſſe. Nam vt cæteras omittam clades, ad Ticinū, ad Trebiam, ad Thraſimenum acceptas, hoc poſtremū vulnus quo penè Romani imperii opes conciderunt, quæ alia gens ſuſtinere potuiſſet? Tulit tamen populus Romanus, atq; ita tulit vt neque induſtria conſilio, neque conſilium magnitudini animorum defuiſſe videretur. Annibal quoque victor in reficiēdo exercitu tempus terens, ſpatiū victis dedit ad reſpirandum. Nam ſi extemplò finita pugna

victorem exercitum Romam duxisset, proculdubio A
aut succumbendum omnino, aut extremum subeundũ discrimen Romanis erat. Huius postea tarditatis sæpe pertæsum Annibalem tradunt, palámque cõquestum quòd consulentibus quieti militum magis eo tempore credidisset quàm Maharbali præfecto equitum, qui subitò Romam caput belli petendum censuit: cunctantique Pœno illud vulgatum protulisse dicitur: Vincere scis Annibal, sed victoria vti nescis. Verùm non omnia (vt Nestor ille apud Homerum inquit) data sunt hominibus simul. aliis enim ars vincendi, aliis celeritas conficiendi, quibusdam etiam cõ B
seruandi studium defuit. Pyrrhum Epirotarum regẽ, qui bellum intulit populo Romano, præstantissimũ belli ducem fuisse accepimus: hunc tamen memoriæ proditum est egregium in acquirendo imperio, in cõseruando verò minimè aptum fuisse virum. Sic etiam alia aliis adfuisse, quædã etiam defuisse bellicis laudibus digna, per veteres historias cognoscere licet. Cæterùm post hoc prælıũ ad Cannas commissum, Atellani, Calatini, Samnites, Brutii præterea, atque Lucani, aliíque permulti Italiæ populi, fama ingentis victoriæ moti, ad Annibalem defecerunt. Capua quoque C
(quod multo antè concupiuerat Annibal) veteribus relictis sociis, noua se ei societate coniunxit, ídque ad opinionem gentium magnum momentum rebus Carthaginensium attulit. Erat enim ea tempestate validissima vrbs multitudine ciuium incolarúmque, & post Romam florentissima omnium Italiæ ciuitatum. Hãc Hetruscorum coloniam (vt multa quæ de ea referuntur, paucis verbis complectar) Vulturnum primò, Capuam deinde à duce eorum Capio, vel (quod propius D
vero est) à campestri agro appellatam constat. Circũ enim adiacent campi omni fertilitate terræ pulchritudinéque agrorum insignes, *quos κήπους appellant Græci.* Hanc quoque regionem ex omni parte illustres populi cingunt. Nam maritimam oram incolunt Suessani, Cumani, Neapolitani. Mediterraneam, à septentrione Calentini, & Caleni: ab oriente & me-

A ridie Dauni & Nolani. Præterea locus ipse natura munitissimus est: hinc mari, illinc maximis perpetuisque montibus cingitur. Ea verò tempestate florentes mira felicitate Campani, quum viderent propè ad internecionem Romani imperii pugnatum esse ad Cannas, facilè, vt plerunque fit, ad victoriam inclinarunt, Annibalémque victorem non solùm sibi societate iũxerunt, sed etiam incredibili honore acceperũt in vrbem, sperantibus ciuibus, confecto bello se inter Italos potentia atque opibus lõgè primos fore. adeò ple

B runque mortales in rebus humanis spes ac opinio fallit. Venienti Capuã Annibali ingens multitudo obuiam effunditur, studio visendi celeberrimi nominis ducem, cuius tot victoriæ & secunda commissa prælia in ore atque oculis omnium versabantur. Ingressus vrbem deducitur ad domum Pacuuii familiaris, viri & potentia atque existimatione facilè principis Campanorum. Cœna conquisitissimis epulis comparatur. Ex Campanis ciuibus nemo ad conuiuium adhibetur præter Vibellium Tauream, virum fortissimum, & filium Pacuuii hospitis: cui pater iratum An

C nibalem, eo quòd Decium Magium pro Romana societate pugnantem sequutus erat, magno negotio placauit. Sed operæpretium est videre quanta & quàm varia pericula præter opinionem hominum maximis interdum accidant viris. Nam is iuuenis licet simulatione reconciliatus Annibali, nocendi tamen occasionem expectans, dũ celebratur omnium sermone lætitiáque conuiuium, patrem in interiorem partem ædium adducit, eúmque hortatur vt simul secum gratiam populi Romani graui peccato amissam summo

D beneficio redimere velit. Consilium deinde aperit quo animum induxerat Annibalem patriæ suæ totiúsque Italiæ hostem de medio tollere. Homo qui id autoritatis & parens esset, filii dicto vehementer obstupuit, iuuenémque complexus, magno labore, multis cum lacrymis vix tandem exorauit vt abiecto gladio domi suæ hospitem tutò esse sineret. Ita Annibal, qui ab Oceano Hispaniæque vltimis oris per in-

gentia terrarum ſpatia militem trahens, nunc hoſtiũ A
telis, nunc Gallorum inſidiis petitus euaſerat, parum abfuit quin vnius iuuenis manu inter epulas menſáſque necaretur. Poſtero die frequẽs ſenatus Annibali datus eſt à Campanis, in quo ille gratiſſimis verbis audientium impleuit aures, multa promittens, multa ſuadens: quæ facilè credebant Campani, proptereáque ſibi opinionis errore de Italiæ principatu ſperabant. Quare ita turpiter ſe ſubmiſerũt Pœno, vt quaſi libertatis obliti, non ſocium in vrbem, ſed dominum acceptiſſe viderentur. Quinetiam præter alia petenti B
Annibali ſibi tradi Decium Magiũ principem factionis aduerſæ, non modò ſeruili decreto eſt ſenatus aſſenſus, ſed etiam paſſus eſt vt ſpectante populo catenis vinctus in caſtra duceretur, vir antiquæ ſocietatis memor, reíque publicæ magis quàm barbaris gẽtibus affectus ciuis. Dũ hæc Capuæ geruntur, interim Mago Annibalis frater Carthaginem profectus feliciſſimæ victoriæ nuncium ſuis ciuibus detulit, reſque ab Annibale geſtas magnificentiſſimis verbis in ſenatu expoſuit, & ad faciendam fidem orationi ſuæ C
effundi iuſſit in veſtibulo curiæ aureos annulos Romanis equitibus ademptos, quorum cumulum alii modii vnius, alii trium modiorum dimidiique menſuram exceſſiſſe tradunt. Petitum deindè ſupplementum, conceſſúmque à ſenatu eſt maiore ſtudio quàm poſtea miſſum. Nam præſentibus rebus commoti Carthaginenſes, vt initium lætum, ſic proſperum belli finem ſibi animis proponentes, fauendum Annibali, delectum habendum, perſeuerandúmque in armis cenſuerunt: vno tantùm repugnante Hannone, perpetuo hoſte factionis Barchinæ: cuius ſalutare D
conſilium pacem ſuadens, cùm alias ſæpe, tum eo tempore maximè, poſthabitum reiectúmque à Pœnis eſt. Annibal poſt ſocietatem cum Campanis initam, ad vrbem Nolam exercitum admouit, oblata ſibi ſpe per voluntariam deditionem illius oppidi potiundi. Nec eum fefelliſſet opinio, niſi prætor Marcellus concitatam multitudinem ſubito aduentu

A repressisset, succedentémque mœnibus hosté, tribus portis eruptione facta, cum magna cæde in castra adegisset. Hic est Marcellus vir bello insignis & militari gloria clarus, qui primus magnitudine quadam animi atque ingenii Annibalē docuit posse vinci. Post hæc Annibal rem Nolanam in aliud tempus differendam ratus, Acerras petit, nullo negotio vrbem capit, diripítque. Maiore deinde conatu Casilinum aggressus, locum ad nocēdum Capuæ peropportunum, quum oppidanos Prænestinósque qui ibi præsidio e-
B rant, neque pollicitationibus, neque denunciatione periculi permouere posset, exiguam partem copiarū ad obsidendum oppidum reliquit, ipse reliquum exercitum in hyberna deducit. Capuam autem locum statiuis deligit, vrbem amœnam & omni deliciarum genere abundantem. Ibi miles assuetus sub diuo vitā agere: frigus, famem, sitim patienti animo tolerare, quum variæ species voluptatum sibi quotidie offerrentur, breui ex strenuó ignauus, ex forti timidus, ex solerti iners mollísque euasit. Corrumpunt enim blā-
C dæ voluptates omne robur animi, indolémque virtutis, ingenium labefactant, consilium eripiunt. quo quid perniciosius humano generi afferri potest? Meritò igitur Plato escam malorum appellat voluptatem. Et in præsentibus rebus Cāpanæ deliciæ magis quàm Alpium iuga, quàm armati Romanorum exercitus, Pœnis obfuerunt. nam vna hyems segniter mollitérque acta, tantum valuit ad extinguendum vigorem animorum, vt milites principio veris in campum progressi, omnis virtutis bellicæ obliti viderentur. Annibal exacta hyeme ad Casilinum reuertitur, sperans oppidanos post tam longam obsidionem etiam inuitos in suam potestatem venturos. At hi etsi omnium rerum inopia laborarent, tamen constituerant animis extrema etiam experiri, priusquā se crudelissimi hostis fidei arbitrióque permitterent. Quamobrem farre primum, nucibus deinde per Vulturnum à Romanis acceptis, rem eousque extraxere vt confectus tædio Annibal, pactione, quod antea recusauerat, oppi-

dum reciperet. Cæterùm hoc bellũ,in quo mira felicitate omnia propè læta secundáque euenerant Pœnis, nulla tot victoriis intercedente clade memoriæ digna,cœpit per id tempus varios euentus variámq; rerum conditionem sortiri. Nam societas inita cum Philippo Macedonum rege,& supplementum à Carthagine missum,& Petilia,Consentia,aliæque in Brutiis expugnatæ vrbes,spes Carthaginensium confirmabant.Ex altera parte Romani maximis prælus in Hispania Sardiniáque hostibus fusis animos vehemẽter erexerant ad spem bene gerendæ rei. Præstantissimos eo tempore quæsiuerant duces, Fabium Maximum,Sempronium Gracchum,& M.Marcellum,virum omni bellica laude dignum:qui ita impigrè rem Romanam administrabant,vt sentiret Pœnus sibi cũ acerrimo simul prudentissimóque hoste bellum esse gerendum.Primùm enim apud Cumas à Sempronio Graccho magna suorum cæde repulsus, coactus est obsidionem relinquere: paulóque pòst apud Nolam iusta acie cum Marcello magnam plagam accepit.Nã ex Romanis citra mille, ex Pœnis sex millia partim prælio cæsa,partim in fuga capta dicũtur.Hæc autem pugna quanti momenti fuerit,facilè ex eo intelligilicet quòd extemplò Annibal Nolæ oppugnatione omissa,Apuliam petens, militem in hyberna deduxit. His factum est vt veluti ex graui morbo respirantes Romani summis viribus aduersus hostem contenderent,iámque nõ solùm tueri sua,sed etiam aliena aggredi auderent.Maximè verò conuersi erant ad Capuam oppugnandam, refricante animos frequenti Campanorum iniuria,quòd extemplò post Cannensem pugnam alienissimo reipublicæ tempore defecerant ad victorem Pœnum, multorum beneficiorum obliti quæ olim Romani in eam ciuitatem contulerant. Campani contrà sui delicti conscii, nouóque apparatu Romanorum perterriti, ad Annibalem in Apuliam mittunt oratum vt maximè necessario tempore sociæ vrbi subueniat. Is,nulla interposita mora,ex Apulia profectus,magnis itineribus in Campa-

niam venit,castrísque ad Tifata super Capuam posi-
A tis,magis distulit in aliud tempus quàm prohibuit imminentem pestem Campanis.Sed quũ crebris excursionibus per agrum Neapolitanũ vagaretur, oblata est illi denuò spes Nolæ per proditionẽ occupandæ.Erat enim in ea vrbe,sicut in plerisque Italiæ ciuitatibus,plebs à senatu diuisa.Multitudo auida nouarum rerum,Annibali : optimates meliores cõsilio,populo Romano fauebant.Pœno igitur ad occupandam Nolam proficiscenti, vt aliàs sæpe, sic etiam tunc,
B cum instructis copiis Marcellus occurrit, primóque congressu prælium committere nõ dubitauit.In quo superior Romanus tãta alacritate hostẽ reiecit vt satis appareret eo die calamitosam fuisse Carthaginensibus futuram pugnã,si equites diuerso itinere profecti, vt à Marcello institutum erat, in tempore adfuissent.Annibal non sine magno detrimento copiis in castra reductis,paulo pòst ex eo loco proficiscitur, atque in agrum Salentinum exercitum ducit. Nam quidam iuuenes Tarentini in aduersis præliis Romanorum iampridem capti,liberalitérque dimissi, quũ
C in referenda gratia memores esse vellent, spem Tarenti recipiendi Annibali fecerant, si propius vrbem exercitum admouisset.Quorum pollicitationibus cõpulsus Pœnus, omnibus modis huic rei studendum censuit,vt,quod multo antè animo concupiuerat,aliquo maritimo oppido potirétur. Erat autem ex maritimis vrbibus nulla alia Tarento commodior ad auxilia ex Græcia accersenda, & multa in exercitum transportanda quæ in dies ad necessarium vsum expetebantur. Verùm etsi aduersante Romanorum
D præsidio res in longum protracta sit, tamen nõ prius ab incepto destitit Annibal,quàm Nico & Philomenus autores defectionis prodiderunt vrbem.Arx solùm à Romanis retenta,quæ tribus ferè partibus mari abluitur : reliqua quarta est, quæ aditum habet à terra quam murus & fossa muniebat. Ab hac parte Annibal frustrà expugnationem expertus, quum

ſtrenuè defenderetur, fauces Tarentini portus im- A
pedire inſtituit, ratus hanc vnam ſupereſſe viam qua
Romani commeatu excluſi ad deditionem compel-
lantur. Sed difficile opus apparebat futurum, quum
clauſtra portus poſſiderēt hoſtes, & naues quibus exi
tus obſidēdi erant, exiguo ſpatio incluſæ tenerentur.
Has ex portu, cui arx ſupererat, ſubducere oportebat,
& in proximum mare deferre. Nemo ex Tarentinis
reperiebatur qui rationem huius rei explicandæ in
medium afferret. Annibal tantùm, quum optarent
reliqui, vnus vidit, naues machinis ex portu ſubdu- B
ci, plauſtriſque impoſitas per mediam vrbem ad ma-
re deferri poſſe. Itaque adhibita ſolertia hominum,
paucis pòſt diebus ſubductæ naues, in altum delatæ
cōtra fauces portus ſtetere. Annibal recuperata poſt
centeſimum propè annum quàm in Romanorum
poteſtatem venerat, Tarentina vrbe, & arce terra ma
ríque obſeſſa, in Samnium rediit. Nam conſules Ro
mani frumentatoribus Campanis oppreſſis direptiſ-
que ad Capuam duxerant legiones, ac omnia ſtudia
belli in expugnationem eius vrbis intenderant. Quā
obrem Pœnus cogitationem Campanæ rei ſtudio C
ingenti ſuſcipiens, cum omnibus copiis aduerſus
hoſtem contendit: breuíque interiecto ſpatio, non
detrectantibus pugnam Romanis, vtrique in certa-
men progrediuntur: præliúmque inſigne appare-
bat futurum, niſi eodem tempore Sempronianus
exercitus, qui Sempronio Graccho in Lucanis a-
miſſo à Cn. Cornelio in Campaniam ducebatur, cer-
tantes diremiſſet. His enim copiis procul viſis priuſ-
quam diſcerneretur quis eſſet, territi Romani pa-
riter Pœníque, copias in caſtra reducunt. Poſt hæc D
conſules vt Capua auerterent Pœnum, quum diuer-
ſas regiones, alter Lucaniam, alter Cumas petiiſſent,
Annibal in Lucanos profectus occaſionem cepit
cum M. Centenio confligendi, qui temeritate atque
audacia inſignis, exercitum ſibi à ſenatu parum
prudenter creditum callidiſſimo hoſti obiecit.
Commiſſo prælio Centenius audaciſſimè pugnans

A occiditur:ex reliquis pauci euadunt. Acceſſit tunc ad hoc incommodum vt Annibal paulo pòſt in Apuliã proficiſcens, alium exercitum Romanorum, cui præerat Fuluius prætor, inſidiis circumuentum profligaret delerétque. Nam ex viginti millibus hominum, quum ad libidinem crudeliſſimi ducis trucidarentur, vix duo millia ſuperfuere. Cõſules inter hæc ex diſceſſu Annibalis occaſionem nacti, cum omnibus copiis ad Capuam redeũtes, vndique cinxerunt vrbẽ. Quod vbi Annibal cognouit, cum expedito exercitu in Cã-

B paniam profectus, primo aduentu caſtra Romanorũ inuadit, monitis antè Campanis vt eodem tempore eruptionem faciant. Imperatores Romani ad primũ tumultum hoſtium partitis inter ſe copiis obuiam progrediuntur. Campanis nullo negotio in vrbem compulſis, durior aduerſus Pœnum dimicatio fuit, qui cùm alias ſæpe, tum eo die acerrimum imperatorem ſe præſtitit in prælio conferendo. Tentauit etiam ſi qua fallacia capere hoſtem poſſet. Nam quum ſui caſtra Romanorum irrumpere conarentur, miſit quendam Latinæ peritum linguæ qui iuſſu conſulũ

C alta voce denunciaret Romanis vt caſtris iam propè amiſſis in proximos montes confugerent. Vox inopinata facilè audientes mouiſſet, niſi Romani Punicis dolis aſſueti cognouiſſent fraudem. Itaque celeriter ſe inuicem confirmantes, hoſtem pedem referre, ſéque in caſtra recipere coegerũt. Annibal tentatis omnibus modis, quũ videret nullam ſibi facultatem relinqui qua duces Romanos à Capua remoueret,

D pro ſociorum periculo anxius, confugit ad iam multo antè agitatum, & veluti ad extremum reſeruatum conſilium. Cunctis enim neceſſariis comparatis, caſtra mouet, & quanto maximè ſilentio poteſt, tranſmiſſo Vulturno amne, per agrum Sidicinum, Alifanum, Caſinatem, infeſtis ſignis Romam petit, ratus aut hac via, aut nulla alia, ſolui tam pertinacem obſidionem poſſe. Quod vbi Romam certis autoribus nunciatum eſt, tantus repentè terror inuaſit, vt rarò fit vnquam intra mœnia vehementius trepidatum.

Cernebant

Cernebant enim acerrimum hostem, quem toties in magnis reipublicæ malis experti erant, infesta iam patriæ signa inferre, & quem absentem sustinere non poterát, præsentem senatui populóque Romano seruitutē minari. Igitur in tā trepida re placuit vt Fuluius Flaccus, alter ex ducibus Romanis, à Capua accersitus, & consules noui, Sulpitius Galba & Cornelius Centimalus, extra vrbem haberent castra, & C. Calphurnius prætor valido præsidio Capitolium tueretur, & ii ciues qui summos magistratus gessissent, repentinos tumultus autoritate imperióque sedarent. Annibal continuato itinere, non priusconstitit quàm ad Anienem, tria millia passuum ab vrbe, posuit castra: paulóque pòst cum duobus millibus equitum ex eo loco profectus, ita vrbi appropinquauit vt à porta Collina vsque ad tēplum Herculis obequitans, situm mœniáque tam amplæ ciuitatis non solùm spectaret, sed etiam otiosè contemplaretur. Quem conspicatus Fuluius Flaccus, ferre indignitatem non potuit. Itaque celeriter Romanos equites aduersus hostem immisit, qui, vt imperatum erat, magno impetu prælium ineuntes, facilè ex eo loco summouerunt Pœnum. Sequenti die Annibal exercitū ex castris educit, aciem instruit, nullam dimicandi moram facturus si allicere hostem ad certamen possit. Idem Romani faciendum, & prælium committendum putant. Quare progrediuntur in campum armatæ vtrinque copiæ, tanta alacritate animorum vt nullum periculum recusaturæ viderentur pro eius diei victoria consequenda. Etenim Carthaginenses de imperio orbis terræ, quod in eo veluti supremo certamine collocatum putabant; Romani de patria, de libertate, de bonis omnibus, vtrum sua vel in hostiū potestate futura essent, paulo pòst dimicaturi erant. Sed accidit res memoratu digna. Nam dum parati in armis signum dimicandi expectant, repentè superuenit imber frequentibus procellis effusus: cuius tanta vis & asperitas fuit vt cogeretur quisque militem in castra reducere. Proximo quoque die, in quē pa-

A gna dilata videbatur, rurſus in aciem vtriſque exeuntibus, ſimilis tēpeſtas exoritur, quæ non minus quàm ſuperior Romanos pariter ac Pœnos affixit, compulitque vt inſtantis dimicationis obliti, de ſalute tantùm & fuga cogitarent. Hæc animaduertens Annibal, conuerſus ad ſuos exclamaſſe dicitur, modò ſibi mentem potiundæ vrbis Romæ, modò facultatem nō dari. Id quoque turbauit Pœnum, quòd ſe tantis equitum peditúmque copiis ex propinquo Romam vrgēte, ſupplementum in Hiſpaniam miſſum, & agrum in
B quo ipſe conſtiterat longè maiore pretio quàm par erat, emptum fuiſſe cognouit. Quare indignatione accenſus, argētarias officinas ciuium Romanorum per præconē venire iuſſit. Verùm poſt hæc, ſiue animo reputans quantæ molis eſſet expugnare Romanā vrbem, ſiue inopiā frumenti metuēs, (decem enim dierum ſecum cibaria tulerat) caſtra mouere conſtituit. Itaque ex eo loco decedens, ad lucum Feroniæ ſe recipit, ac templum quod ibi opulentiſſimum fuiſſe tradunt, diripit, paulóque pòſt in Brutios Lucanóſque
C contendit. Quod vbi Capuani cognouere, deſperātes de ſumma rerū, dederunt vrbem Romanis. Sic igitur Capua recepta & in Romanorum poteſtatē redacta, magnū momentum apud omnis Italiæ populos, magnúmque nouarum rerum deſiderium fecit. Mouit etiam animos gentium ipſe Annibal hoſtis, qui multa oppidaquæ tueri non poterat, malo conſilio diripi vaſtaríque iuſſit. Nam vt antea ſæpe victor, pleriſque captiuis ſine pretio dimiſſis, multorum voluntates liberali officio deuinxerat, ſic etiam per id tēpus inhuma
D na quædā illius crudelitas cauſa fuit vt multæ vrbes Punici imperii pertæſæ in Romanorū fidē redirent. Quarū in numero Salapiā fuiſſe tradunt, quæ autore Blacio, principe factionis Romanæ, prodita conſuli Marcello eſt, & lectiſſimorū equitū ala quæ vrbi præſidio erat, propè ad internecionē deleta. Hæc eſt vrbs in qua ſcriptores nōnulli Pœnum amore cuiuſdā puellæ captum fuiſſe tradunt, & immodicam cupiditatē viri calumniis proſequūtur. Alii ſunt qui huius ducis

modestiam efferentes, nec primùm quũ bellum in Ita- A
lia gessit, nec postea quum in Aphricam rediit, aut cu
bantem cœnasse, aut plusquam sextario vini indulsisse
dicunt. Quidam etiam reperiuntur qui Annibali cru
delitatem, perfidiam, aliáque eiusdẽ generis vitia tri-
buentes, nullam de pudicitia, aut de impudicitia ho-
minis mentionem faciũt. Vxorẽ tantùm ei fuisse scri
bunt Hispani generis ex Castulone non ignobili op-
pido, cui ob egregiam eorũ hominum fidem, Cartha
ginenses indulgebant præcipuè & confidebant maxi
mé. Verùm, vt suprà ostẽdimus, Annibal amissa Sala- B
pia, paulo pòst occasionem habuit lõgè maiorẽ quam
acceperat reddendi Romanis cladem. Nam per id tẽ-
pus Fuluius proconsul apud Herdoneam sedebat spe-
rans se vrbe sine vllo certamine potiturum. Sed quia
nullus in propinquo esset hostium metus, (cõcesserat
enim in agrum Brutium Annibal) negligẽter obibat
munera vigiliarum; atque in omni administratione
belli indignam Romanó duce segnitiem præstabat.
Hanc negligentiam quum per occultos exploratores
cognouisset Pœnus, non putauit occasionem negotii C
bene gerendi sibi omittẽdam esse. Itaque in Apuliam
cum expeditis copiis profectus, tãta celeritate ad Her
doneam venit vt parum abfuerit quin Fuluium nil ta
le opinantẽ in ipsis castris opprimeret. Romani tamẽ
ingenti animorum fiducia primum impetum excipiẽ
tes, pugnam diutius quàm par erat extraxere. Demũ
sicut biẽnio præterito circa ea loca duce alio Fuluio,
sic etiam auspicio huius Fuluii proconsulis victæ supe
ratæque Romanæ legiones profligantur, & dux ipse
cum magna parte copiarum occiditur. Erat per id D
tempus in Samnio Marcellus consul: quò quum es-
set nunciata clades imprudentia ducis accepta, quan
quam serum auxilium perditis rebus allaturus vide-
batur, tamen cupiens, quod proximum auxilio e-
rat, detrimentum sarcire, in agrum Lucanum (eò
enim post victoriam se receperat Annibal) exer-
citum ducit, castrísque in conspectu hostium po-
sitis, paulo pòst in aciem descendit: nec Pœni di-

A micationem sibi fugiendam putant. Prælium extemplò committitur, tanta obstinatione animorum vt æquis propè viribus vsque ad occasum solis certatum sit. Nox dubiæ pugnæ finem fecit. Postero die Romani iterum in aciem exeuntes, timoris confessionem expresserunt hosti. Annibal enim suos intra vallum tenuit, & sequenti nocte silenti profectus agmine, in Apuliam venit. Marcellus quoque per vestigia sequutus Pœnum, occasionem quærebat vt aliqua memorabili pugna de summa belli decerne-
B ret. Iam enim sibi persuaserat, maximè ex Romanis ducibus se consilio, solertia, disciplina, ac omni munere militiæ conferendum Annibali esse. Sed tempus iam instantis hyemis impedimento fuit ne iusta acie cum hoste contenderet. Nam leuibus quibusdam commissis prælιis quum non fatigandi milites frustrà viderentur, in hyberna cõcessit. Principio veris partim literis Fabii, qui alter ex nouis consulibus eius anni erat, partim natura sua excitatus, celerius opinione omnium ex hybernis egreditur, & aduersus
C sedentem eo tempore ad Canusium Pœnum, exercitum ducit. Factum est autem propinquitate castrorũ & certandi studio, vt paucis diebus ter collatis signis acie dimicarent. Primo die quũ pari propè spe vsque ad noctem perduceretur pugna, & ad neutram partẽ victoria inclinaret, vtrique veluti ex composito se in castra recipiunt. Secundo die superior Pœnus duobus propè millibus & septingentis ex hostibus cæsis, reliquas copias in fugam vertit. Tertio die Romani diluendæ ignominiæ cupidi quá ex proximo detri-
D mento acceperant, primi pugnam exposcunt, & à Marcello in aciem deducuntur. Cuius ferociam admiratus Annibal, dixisse traditur, Rem cum eo hoste sibi esse gerendam qui nec victor, nec victus quiesce re posset. Prælium deinde atrocius quàm vllum ex superioribus fuit, nitentibus Romanis recens incommodum resarcire: Pœnis verò indignantibus quòd nuper victi victores vltrò ad pugnam prouo-

carent. Tandem Romani à Marcello increpiti, monitíque vt darent operam vt non antè cladis quàm victoriæ nuncius Romam veniret, gradum acrius intulere: nec prius dimicationi finem fecere quàm triplicata propè illata clade, hostem in fugam coniicerent. Sub idẽ tempus simili propè ratione qua amissum fuerat, Fabius Maximus Tarentum recepit. Quod vbi Pœno nunciatum est, dixisse eum tradunt: Et Romani suum Annibalem habent. Sequenti anno Marcellus & Crispinus creati consules, omnibus viribus incumbentes ad bellum, duos consulares exercitus aduersus hostem ducunt. Quos Annibal æquo campo sustinere posse diffidens, cùm aliàs sæpe, tum eo tempore omne ingenium adhibendum putauit vt hostem quem aperto marte superare non poterat, dolis caperet. Hæc cogitanti longè maior quàm ausus esset optare, occasio gerendæ rei obiicitur. Syluestris erat tumulus medius penè inter Punica & Romana castra, sub quo turmæ quædam Numidarum latebant, iussu Annibalis opportunis locis constitutæ, vt aliquos ex hostibus vagos palantésque exciperent. Ex altera parte consules communi omnium voce & sententia moti, visendum hunc tumulum, deinde si opus foret, occupandum censent, ne eo neglecto potiantur hostes, & suis deinde ceruicibus immineant. Sed priusquam exercitum moueant, vt speculentur naturam loci ambo ex castris exeunt, & eò cum paucis equitibus proficiscentes, incautius quàm tantos viros decebat, in præparatas insidias incidunt. Momento temporis circumuenti, quum neque perrumpere à fronte possent, & à tergo cæderentur, necessitate magis quàm consilio prælium ineunt, in quo Marcellus egregiè pugnans occiditur: & Crispinus vulneratus vix tantum spatii adeptus est vt se ex manibus hostium eriperet. Annibal postquam M. Marcellum, qui maximè ex Romanis ducibus represserat cursum victoriarum suarum, interfectum audiuit,

A subitò in collem vbi pugnatum fuerat, transtulit castra. Ibi inuentum Marcelli corpus honorificentissimè sepeliri iussit. Ex quo percipi licet quantum valeat apud omnis generis homines animi magnitudo excellentiáque virtutis, quum interitum præstantissimi ducis ne crudelissimus quidem hostis honore sepulturæ passus sit carere. Romani interim altero consule amisso, altero saucio, extemplò se in proximos montes receperant, & in loco tuto posuerant castra. Ipse autem Crispinus ad B vicinas ciuitates montium miserat, quia collega interiisset, & annulo eius potitus esset hostis, à literis nomine Marcelli compositis vt cauerent. Salapiam iam Crispini nuncius venerat quum literæ ab Annibale afferuntur, significantes Marcelli nomine se eò proxima nocte venturum. Salapitani cognita fallacia viri, nunciόque remisso, intentissima cura hostium aduentum expectant. Quarta vigilia Annibal ad vrbem venit. In primo agmine locati ex industria erant perfugæ Romanorum, vt La C tinè loquentes fidem facerent Marcellum adesse. Horum quum ad sexcentos oppidani introduxissent, clausa porta reliquas copias telis repellunt, introductos ad internecionem cædunt. Ita Annibal irriti incœpti pertæsus castra mouet, & in Brutios proficiscitur, vt Locrensibus terra maríque à Romanis obsessis auxilium ferat. Post hæc ingenti cura patrum plebísque noui consules facti duo, peritissimi belli duces, Marcus Liuius & Claudius Nero: qui partitis inter se copiis in prouincias proficiscuntur. Claudius in Salentinos, Liuius in Galliam contendit aduersus Asdrubalem Barchinum, qui, superatis Alpibus, ingentibus peditum equitúmque copiis iungere se fratri properabat. Accidit autem per id tempus vt Annibal magnis afficeretur incommodis à Claudio consule, qui primùm in Lucanis adhibitis etiam Punica arte insidiis, hostem fudit. Deinde in Apulia prope Venu-

ſiam Pœno congreſſus, tumultuariam pugnam tanto impetu conſeruit vt magnum numerum hoſtium interficeret. Quo detrimento affectus Annibal, extemplò ad reparandum exercitum Metapontum ſe contulit. Ibi paucos moratus dies, copias ab Hannone accipit, & ſuis adiungit, ac rurſus Venuſiam repetit. Claudius non longè à Venuſia habebat caſtra: & interceptis hoſtium literis, quum Aſdrubalem appropinquare cognouiſſet, dies noctéſque agitabàt animo quibus modis efficere poſſet ne tantorum ducum copiæ ſimul iungerentur. Itaque omni ratione ſubducta, conſilium cepit periculoſum, vt apparebat, futurum, ſed forſitan eo tempore neceſſarium. Nam ſub legati cuſtodia caſtris relictis, ipſe cum parte exercitus magnis itineribus in Picenum profectus, ſexto die Senam peruenit. Ibi conſules ambo iunctis copiis propter Metaurum flumen Aſdrubalem adorti, ſecundiſſimo prælio confixerunt. Ad quinquaginta ſex hoſtium millia eo die cæſa dicuntur, parémque propè aiunt acceptæ ad Cannas redditam hoſti cladem. At Claudius Nero poſt hanc memorabilem victoriam non minus celeriter quàm profectus erat, Venuſiam repetens, caput Aſdrubalis prope ſtationes hoſtium poni, captiuóſque dimitti iuſſit, qui tantæ calamitatis nuncium ad Pœnum deferrent. Nam eum ignorare cõpertum eſt quæ parata primùm occultis conſiliis, quæ deinde acta proximis diebus fuerant. In quo mirari libet, calidiſſimi ducis ſolertiam ſic deceptam fuiſſe à Claudio in tam modico caſtrorum interuallo, vt prius cæſum cum omnibus copiis fratrem, quàm profectum reuerſúmque in caſtra conſulem Romanum ſciret. Verùm Annibal hoc tam ingenti non ſolùm publico, ſed etiam priuato perculſus vulnere, viciſſitudinem Carthaginenſium rerum ſe agnoſcere inquit: paulóque pòſt ex iis locis profectus, in agrum Brutium ſe recepit. Non enim latebat peritiſſimũ ducem, quantum acceſſio-

A B C D

A nis Romanæ rei ea plaga ad Metaurum accepta,quã túmque momenti ad summam vniuersi belli factura esset. Ipse tamen omnibus viribus quæ sibi in Italia post tot conserta prælia,tot expugnatas vrbes relinquebantur,simul collectis,inuicto animo per id tempus bellum sustinuit. Et,quod mirum cuique videri debet,exercitũ ex Hispanis, Aphris, Gallis, atque ex aliis gentibus missum,sic concordem siue autoritate siue prudentia tenuit, vt ne minima quidem seditio dissensióve militaris sit in castris audita. Nec iam Ro

B mani Sicilia,Sardinia,Hispaniísque receptis,hunc hostem aut in Italia delere, aut ex Italia deducere prius potuerunt quàm in Aphricam mitterent P. Corneliũ Scipionem: qui ex propinquo inferens Pœnis arma, in tantum discrimen rem Carthaginensem impulit vt extemplò necessitate coacti Annibalem ex Italia reuocarent. Erat per id tempus,sicut antè dictum est, in agro Brutio Pœnus,ac excursionibus magis quàm iustis præliis gerebat bellum , nisi quòd aliquando cum Sempronio consule tumultuariam pugnam conseruit: nec multo interiectó spatio, cum eodem iu-

C sta acie dimicauit. Primo certamine Pœnus, secundo Romanus superior fuit. Nec iam vltrà in Italia quicquam memoria dignum apud Græcos Latinósque autores ab Annibale gestum comperio. Iussu enim Carthaginensium in Aphricam accersitus, post sextum & decimum huius Punici belli annum Italiam reliquit, multum prius de senatu Carthaginensi, multum etiam de seipso questus. De senatu

D quidem, quòd se tam diuturno tempore in hostili commorantem terra, parum supplemento, pecunia, & cæteris rebus quæ ad vsum belli expetebantur, adiuuisset. De se verò,quòd toties Romanis legionibus fusis cæsísque,moram semper post victoriã trahens,spatium dedisset hosti ad respirandum. Memoriæ quoque proditum est,eum,priusquam classem conscenderet, prope Laciniæ Iunonis templum arcum condidisse Punicis Græcisq; literis insculptum,

in quo res à se magnificè gestæ summatim contine- A
bantur. Decedens autem ex Italia Annibal, satis prospera nauigatione vsus, paucis diebus Leptim tenuit, & omnibus copiis in terram expositis, Asdrumētum primò, atque inde Zamam profectus, quum cognouisset quo in statu res Carthaginensium essent, commodissimum esse statuit de finiendo bello consilium inire. Itaque placuit ei vt ad Scipionem mitteret qui ab eo postularent vt aliquem locum medium vtriusque colloquio deligeret: velle sese de summis rebus cum eo agere. Nec satis constat vtrum iussu senatus B
an priuato consilio id factum à Pœno sit. Colloquii renuendi Scipioni causa non est visa. Quamobrem constituto die conuenere in patenti campo cum singulis interpretibus duo celeberrimi duces, & potentissimarum gentium imperatores, diuersis sententiis de pace & bello sermonē habituri. Nā Annibal maximè ad pacem inclinauerat animum, quòd cernebat rem Carthaginensium deteriorem indies fieri, Siciliam, Sardiniam, Hispanias iam esse amissas, bellum ex Italia in Aphricam translatum, Syphacem potentissimum regem à Romanis captum, omnem spem C
salutis in his copiis esse repositā quas ipse velut diuturni belli reliquias ex Italia traiecisset. quib' si quid durius contingeret, vix tantum Carthaginensibus vel externi vel ciuilis roboris superesse vt ad tuenda Carthaginis mœnia sufficere posset. Igitur longa oratione vsus, vehementissimè contendit Scipionem in eam sententiam trahere vt pacem quàm bellum mallet. Sed Scipio quum in magna spe esset conficiēdi belli, à pacis consiliis abhorrere videbatur. Itaque D
post longum sermonem vltrò citróque habitum, re infecta ex colloquio discesserunt. Nec multo interiecto spatio prælium illud memorabile apud Zamam conseruerunt, quod secundissimum Romanis accidit. Primo concursu elephanti Carthaginensium in suos conuersi equitatum Annibalis perturbarunt, & Lælius ac Masinissa ex vtroque cornu pauorem au-

A gentes, nullum equitibus ſpatium dederunt vt ſe ex fuga reciperent. Pugnatum eſt tamen à pedeſtri acie diu atque acriter, quum Pœni ſuperioribus victoriis freti, in ſuis dextris totius Aphricæ ſalutem collocatam putarent: Romani autem animo pares, ſpe etiam ſuperiores eſſent. Sed Romanis non mediocre momentum ad victoriam fuit quòd Lælius ac Maſiniſſa profligatis equitibus, opportunè in prælium redeuntes maximum terrorem iniecerunt hoſti. Eorum enim aduentu celeriter factum eſt vt Pœni re-
B mittentes ardorem pugnæ, nullum ſaluti ſuæ, præterquam in fuga, remedium quærerent. Supra viginti millia hoſtium eo die à Romanis cæſa, totidem pro pè capta dicuntur. Ipſe Annibal dux ad vltimum euentum pugnæ moratus, è media cæde cum paucis effugit. Accerſitus deinde Carthaginem, vt labenti reip. ſubueniret, oſtendit ſenatui nullam ſpem in armis vlterius eſſe ponendam: ſuaſitque vt poſtpoſitis cæteris rebus, mitterent ad imperatorem Romanum qui quacunque ratione poſſent, de pace agerent.
C Miſſi decem legati quũ pacis conditiones Carthaginem retuliſſent, ferunt Giſgonem quendam paci aduerſantem, ſententiam dixiſſe de renouando aduerſus Romanos bello: quæ quũ à multis audiretur, indignatus Annibal eo tempore ab imperitis viris talia iactari, dicentem adhuc hominem ex ſuperiore loco deturbauit. Et quum hoc audax negotium ac libera ciuitate indignum viſum multitudini eſſet, ſuggeſtum aſcendens, neminem inquit indignari oportere, ſi is qui à prima pueritia à Carthagine profe-
D ctus in bello & armis ætatem egiſſet, vrbanas conſuetudines ignoraret. Poſt hæc de conditionibus pacis ita prudenter diſſeruit vt extemplò Carthaginenſes tanti viri autoritate commoti, accipiendas eas leges quas victor & neceſſitas daret cenſerent. Fuerunt autem conditiones admodum duræ, quales victores victis in extremis rebus imponere cõſueuere. Sed præter cætera Carthaginenſes annuum ſtipendium po-

pulo Romano vsque ad certum tempus soluere tenebantur. Quum venisset dies in quo prima pensio conferenda Romanis erat, & ingemiscerent omnes ad vocem tributi, ferunt Annibalem commotum inutili lamentatione Pœnorum risum effudisse: & increpitum ab Asdrubale Heduo quòd in communi totius ciuitatis mœstitia tam effusè lætaretur, respondisse, non lætantis hominis illum esse risum, sed eorum inanes lacrymas deridentis, quæ eo tempore in leuiore malo, quod cuiusque priuati ciuis pecuniam tangeret, potius manarēt quàm antea quum Romani classes, arma, & amplissimarum victoriarum spolia Carthaginensibus detrahebant, victísque imponebant leges. Non me præterit autores esse qui dicāt Annibalem veritum ne petenti Scipioni dederetur, statim re malè gesta in Asiam profugisse. Sed vtrum subitò hoc factum fuerit, an aliquanto post prælium illud ad Zamam commissum, parum referre arbitramur, qūum satis constet, eum desperatis rebus in Asiam profectum, exilióq; mulctatum ad Antiochum peruenisse. Fama quoque haud dubia est, tam hospitaliter, támq; honorificè acceptum esse à rege, vt statim publicis pariter ac priuatis consiliis adhiberetur. Erat enim Annibalis nomen magna apud omnes gloria: communis insuper accedebat ira, communéque in Romanos odium, vehemēs stimulus ad excitandum bellum. Quare opportunè accessisse videbatur, non solùm ad inflammandum animum regis, sed etiam ad aperiendam viam gerendi aduersus Romanos belli, quam vnicam tantùm esse dicebat, si arma in Italiam transferrentur, & Italici generis compararentur milites, quibus solis victrix aliarum gentium prouincia superari posset. Centum nauium classem, decem & sex millia peditum, mille equites petebat à rege. His copiis se Italiam intraturum pollicebatur, ac turbaturum Italicas gentes quas sciret ob recentem memoriam Punici gesti belli vehementer horrere Annibalis nomen. Spem insuper

A afferebat de Punico renouando bello, si per regem sibi liceret Carthaginem mittere qui factionem Barchinam concitarent, atque eorum animos permouerēt quibus imperium populi Romani erat inuisum. Assentiente rege, Aristonem quendam Tyrium delegit, hominem callidum & idoneum ad hoc negotiū conficiendum. Huic magnis præmiis pollicitationibúsque persuasit vt Carthaginem peteret, amicos cōueniret, & mandata quædam verbis suis ad eos deferret. Ita Annibal patria exul per totum orbem ter-

B rarum aduersus Romanos concitabat bellum. Nec iam inanes eæ cogitationes videbantur futuræ, si Antiochus vt ab initio cœpit, sic etiam postea ei magis quàm adulatoribus & purpuratis suis fidem præstitisset. Sed inuidia, quam plerunque regiæ domus alunt, multos Annibali aduersarios peperit: qui quum vererentur ne callidus imperator his consiliis aucupando gratiam regis, in maximum autoritatis & potentiæ gradum ascenderet, eum suspectum reddere nitebantur. Accidit etiam per id tempus, vt P. Vil-

C lius legatus Ephesum veniens, frequentem cum Pœno sermonem haberet, ex quo facilè data est obtrectatoribus criminandi facultas, & tanta suspicio de fide Annibalis Antiocho orta vt omnino à consilio regio excluderetur. Sunt qui dicunt, eodem tempore P. Aphricanum vnum ex legatis ad Antiochum missum cum Pœno esse loquutum, & inter alia multa ab Annibale petiisse vt ex animi sententia diceret quem maximum imperatorum fuisse censeret: Annibalem autem respondisse, primo loco Alexandrū Ma-

D cedonum regem, secundo Pyrrhum Epirotam, tertio seipsum collocandum videri. Ad hoc leniter arridentem Aphricanum dixisse: Quid censeres Annibal si me vicisses? Me proculdubio, inquit, cunctis aliis imperatoribus anteferrem. Hoc respōsum placuisse Scipioni ferūt, quòd se nec posthabitum, nec adhibitum in comparationem, sed veluti incomparabilem occulta quadā assentatione à Punico ingenio relictum vi-

deret. Posthæc Annibal occasionem nactus Antiochum alloquendi, iam inde à prima pueritia repetẽs, sic seipsum purgauit, sic de odio suo in Romanos disseruit, vt in pristinam gratiam regis quam propè amiserat, amicitiámque rediret. Itaque rex constituerat animo hunc ducem cum regia classe in Italiam mittere, vt præstantissimi viri & perpetui hostis populi Romani, sicuti iam sibi persuaserat, animum ingeniúmq; experiretur. Sed vnus Thoas, princeps Ætolorum, huic sententiæ aduersatus, seu inuidia, seu quòd re vera ita agendum censeret, mutauit animum regis, & hanc deliberationẽ, quæ magnum momentum ad bellum habitura videbatur, omnino euertit. Hortatus est enim Antiochum vt in Græciam traiiciens, ipsemet rem suam ageret, nec pateretur huius belli gloriam ad alium peruenire. Rex igitur persuasus, paulo pòst in Græciã proficiscitur ad excitandum aduersus Romanos bellum. Vbi non longo interiecto spatio quum de concilianda Thessalorum gente communi cõsilio agitaret, Annibal nominatim sententiã rogatus, non tam de Thessalis quàm de summa rerum ita elato animo disseruit vt approbationem omnium qui ibi aderant, assensúmque moueret. Non enim de Thessalis magnopere laborandum, sed curandum omnibus modis censuit vt Philippus Macedonum rex aut in belli societatem veniret, aut neutri parti adhærens dimicationem otiosus spectaret. Adiecit præterea consilium de inferendo ex propinquo Romanis bello: suam quoque operam ad id conficiendum amplissimis verbis pollicitus est & detulit. Auditus est Pœnus summa attentione, sententiáque illius laudata magis quàm postea re aut effectu comprobata. Ex quo plerique mirantur hunc ducem qui tot annos cum populo Romano omnium penè gentium victore certauerat, eo tempore posthabitum esse à rege, quo erat eius opera & consiliũ maximè expetendum. Quis enim in toto orbe terrarum callidior imperator reperiri poterat? quis ad gerendum cum Romanis bellum accommodatior? Hunc

A tamen posthabuit rex initio gerendarum rerum, nec multum tempus præteriit, quum cæterorum consilia deridens, fassus est vnum Annibalem præuidisse ea quæ in rem essent. Nam quum bellum in Græcia prosperè euenisset Romanis, cessit ex Europa Antiochus, & Ephesum se recepit, ibíque solutus curis pacem animo destinabat, minimè credens timenda esse in Asia Romana arma. Nec deerat talia concupiscenti adulatorum assentatio, perpetuum malum regum: qui dum ea quæ volunt, libenter audiunt, se a-
B dulari sinunt, & falli æquo animo patiuntur. Sed Annibal, cui nota erat potentia Romanorum & dominandi cupiditas, regem monuit vt de omnibus aliis præterquam de pace cogitaret, Romanos crederet nunquam quieturos nisi quum experti essent an sicut in Aphrica Europáque, ita etiam in tertia parte orbis terrarum extendere fines imperii possint. Motus autoritate viri Antiochus, extemplò Polyxenidam, hominem sagacem & maritimis certaminibus assuetum, aduentanti Romanorum classi ire
C obuiam iussit, & Pœnum in Syriam misit vt magnam vim nauium compararet. Huic deinde classi Annibalem ipsum & Apollonium quendam ex purpuratis suis præfecit: qui quum audissent Polyxenidam cum Romanis congressum haud prosperè rem gessisse, prælium ipsi cum Rhodiis, qui socii erant populi Romani, committendum putarunt. Annibal in ea pugna Eudamum præfectum Rhodiorum à sinistro cornu inuadens, iam prætoriam nauim circumuenerat, & sine dubio superior erat, quum ex alio
D cornu hostes fugato Apollonio aduolarunt, & victoriam propè iam certam ex eius manibus extorserũt: Post hanc naualem pugnam parum feliciter tẽtatam, nihil ferè memoria dignũ ab Annibale gestum accepimus. Nam debellato Antiocho, Romani præter alias conditiones quas imposuerunt regi, Annibalem perpetuum suæ reipub. hostem sibi tradi postulabant. Hæc Annibal multo antè prospiciens, subitò post illam memorabilem pugnam ad Magnesiam com-

missam, qua regiæ opes conciderunt, ab Antiocho A
discessit, & longius erroribus euagatus, tandem ad
Prusiam Bithyniæ regem confugit, non quòd in amicitia
eius spem multam reponeret, sed quia per
orbem terrarum longè terra marique dominantibus
Romanis armis, locum magis necessarium quem
posset quàm tutum quem vellet, sibi petendum censebat.
Sunt qui victo Antiocho in Cretá profectú ad
Gortynios Annibalem dicunt, ibíque extemplò vulgatum
esse, cum magnam vim auri argentíque secum
ferre. Ex quo veritum ne Cretenses sibi manus B
iniicerent, tale remedium inuenisse ad periculum
euitandum: Amphoras plumbo aurato refertas
in templo Dianæ collocari iussit, simulans se earum
veluti thesauri sui maximam curam solicitudinémque
habere. Ex altera parte statuas æneas quas pecunia
impleuerat, domi abiecit. Dum illi templum
custodiunt, ne amphoræ se insciis auferantur, interim
Annibal velis in altum datis in Bithyniam profugit.
Est autem in Bithynia vicus iuxta littus maris
quem incolæ regionis Libyssam appellant, de C
quo vulgatum carmen circumferri solitú aiunt: Corpus
Annibalis Libyssa tumulabit terra. Eo in loco diuersabatur
Pœnus, non inerti quidem otio vitam agens,
sed in nautis, equis, ac militibus exercendis studium
adhibens. Dicunt auté scriptores quidam, hoc
tempore Prusiam gerétem bellum cum Eumene Pergami
rege, qui socius & amicus erat populi Romani,
classi Annibalem præfecisse. Hunc verò nouo commé
to Eumenem aggressum, ex nauali prælio victoriam
reportasse. Nam priusquam pugnam inirent, Annibalem D
tradunt magnam serpentum copiam in vasa
fictilia conieciste, deinde inito prælio, dum omnium
animos oculósq; occuparet certamen, vasa in hostiú
naues immisisse, atque eo pacto implicatos hostes &
re noua perterritos, in fugam vertisse. Eius autem
sic gestæ rei non vetustiores annales, sed Æmilius
& Trogus meminerunt. Itaque fides penes autores
sit. Cæterùm horum regum cótentionibus Romam

A perlatis,ſenatus Q. Flaminium,cuius ob res in Græcia geſtas celebre nomen eſt, legatum in Aſiam miſit vt(quantum coniectura aſſequi poſſum) cum vtroq; rege de pace ageret.Is quum ad Pruſiam veniſſet,iniquo animo ferens hominem inimiciſſimum nomini Romano ex tot domitis gentibus populiſque cæſis ſupereſſe,magna contentione à rege impetrauit vt ſibi Annibal dederetur. Iam inde ab initio Pœnus leuitatem Pruſiæ ſuſpectam habens,in diuerſorio plures cuniculos fecerat, ſeptémque exitus præparauerat ad capeſſendam fugam,ſi qua repentina neceſſitas compuliſſet. Auxerat etiam nõ mediocriter hanc ſuſpicionem ſuam Flaminii aduentus,quem ſibi tum publicè ob commune odium vrbis,tum priuatim ob memoriam Flaminii patris ad Thraſimenum lacum interempti, omnium Romanorum infeſtiſſimum eſſe credebat. Ita anxius curis remedia ( vt ſuprà diximus)ad euadendum inuenerat, parum ſibi aduerſus tantas opes profutura. Quum milites regii frequentes ad eum capiendum miſſi vndique cinxerunt domum, ad primum eorum aduentum,tentauit Annibal per quàm occultiſſimum exitum fugam capeſſere.Vbi eum locum cuſtodiis teneri ſenſit, omni ſpe euadendi abiecta,ſtatuit morte voluntaria Romanorum manus effugere.Alii ſeruum ab eo iuſſum compreſſa gula ſpiritum interclusiſſe tradunt. Quidã ſanguinem tauri,ſicut Clitarchus Stratocléſque de Themiſtocle finxit,bibiſſe eum dicunt, atq; eo potu mortuum concidiſſe. Liuius autem,locupletiſſimus hiſtoriæ autor, Annibalem ſcribit venenum ad ſimiles caſus præparatum popoſciſſe,& penè mortiferam illam potionem tenentem manu dixiſſe, Soluamus ingenti cura populum Romanum,vbi mortis iam conſumpti ſenis tantum támque præſens deſiderium tenet.Romani patres Pyrrhum Epirotarum regem infeſtis ſignis appropinquantem mœnibus Romanæ vrbis à veneno monuerunt vt caueret: hi autores fuere vt regiæ dignitatis iunctæque dextræ oblitus hoſpes,hoſpitem ſcelere proderet. His dictis regem Pruſiam

Prusiam multis execrationibus detestatum, veneno sibi consciuisse mortẽ LXX ætatis anno, quidam memoriæ prodiderunt. Defuncti corpus apud Libyssam collocatum dicunt in lapideo sepulcro, in quo scriptum fuit, ANNIBAL HIC SITVS EST. Sed eius mortis nuncium accipientes Romani, variè id, prout cuiusque ingenium erat, interpretabatur. Plerique Flaminium crudelitatis arguebant, quòd veluti præclari cuiusdã facinoris gloriam adepturus, autor extitisset opprimendi exacta ætate virum, à quo nullum vlterius periculum reipub. iam propè victrici omnium gentium timeri poterat. Quidam verò factum excusantes, Flaminio etiam tribuebant laudi, quòd perpetuum hostem populi Rom. de medio sustulisset: cui etsi vires corporis ac robusta ætas, non tamen ingenium, consilium, rei militaris peritia deesset, quibus Prusiam ad arma concitare, Asiámque nouis bellis commouere ac perturbare potuisset. Erant enim per id tempus ita amplæ Bithyniæ regni opes, vt non facilè contemnendæ viderentur. Nam posteris temporibus Mithridates Bithyniæ rex, diu naualibus terrestribúsq; copiis populum Rom. fatigauit, aduersúsque L. Lucullum ac Cn. Pompeiũ præstantissimos imperatores cum magnis exercitibus in acie stetit. Idem à rege Prusia, duce præsertim Annibale, timeri poterat. Quare nonnulli ea præcipuè causa Q. Flaminium opinantur ad Prusiam missum esse legatum vt Annibalis necem secretis consiliis agitaret. Verùm credere libet hoc quæsitum esse à Q. non tam vt præsenti morte Annibalem de medio tolleret, quàm vt homo qui tot inflixerat suæ reipub. clades Romam viuus perduceretur, idq; populo Romano vtile, sibi verò honorificum esse censeret. Tali genere mortis interiit Annibal Pœnus, vir, vt alia omittam, bellicis sine dubio laudibus vehementer excellens, cuius siue animus, siue ingenium, siue egregia rei militaris disciplina quanti momenti fuerit in rebus, facilè ex eo intelligi licet quòd Carthaginenses bello tanta contentione suscepto non prius

A B C D

A se victos confessi sunt, quàm quum fuit Annibal apud Zamam magno illo prælio superatus, vt bellicæ eorum vires stetisse simul cum Annibale duce, atque vnà cum eo concidisse viderentur.

# SCIPIONIS APHRI-
B cani vita,

### *DONATO ACCIAIOLO autore potius quàm interprete.*

CORNELIO Scipioni qui primus nomine victæ à se gentis Aphricanus est dictus, patrem fuisse constat P. Scipionem, virum patritium, ex nobilissima Corneliorũ gente, cum
C quo primùm Romano imperatore Annibal Pœnus signa in Italia contulit. Is quum multas esset in Hispania victorias consequutus, résque gessisset memoratu dignas, demum quodam prælio aduersus hostes inito, dum sese offert vbi plurimus labor, plurimum periculi erat, subitò perculsus ictu occiditur. Simili penè casu Cn. Scipio eius frater paucis pòst diebus fortiter pugnãs interiit. Ambóque hi imperatores, præter rerum ge-
D starum nomen, magnum quoque fidei, temperantiæ, virtutis desiderium non modò militibus suis qui superfuere, sed etiam Hispanis gentibus reliquerunt. At verò Cn. Scipionis P. Cornelius Nasica filius fuit, vir consularis, triumphalísque: qui adolescens quùm esset, pro accipienda matre Idæa in tota ciuitate est vir optimus iudicatus. Publii autẽ filii fuere Scipiones duo, egregia sine dubio proles, quorum alterum ob Asiam deuictam Asiaticum, alterum verò domitorem Aphricæ, ob memorabilem victoriam de Anni-

bale & de Pœnis, vt suprà diximus, Aphricanum appellant. De quo hæc scribenda suscepimus, non tam vt eius nomē à Græcis Latinísque scriptoribus celebratum his literis fieret illustrius, quàm vt rerum gestarum series & domestica disciplina esset nostra opera in oculis hominum collocata, quam veluti imaginem præclaræ virtutis imperatores & duces quum intuerentur, imitatione dignissimam iudicarent. P. Cornelius Scipio iam inde à pueritia quum eximiæ indolis & summæ virtutis specimē præ se ferret, sub auspicio patris cœpit disciplinis militaribus erudiri. Ductus est enim in castra initio secundi Punici belli septimum & decimum agens annum, ac breui temporis spatio factum est vt magnam laudem à summo viro & ab exercitu consequeretur, equitando, vigilando, omnia militari labore tolerando. Ea insuper documenta animi atque ingenii dedit vt gratiam simul adipisceretur, & admirationem gentium commoueret. Nam equestri prælio quod ad Ticinum amnem P. Cornelius consul cum Annibale commisit, interfuisse Scipionem constat: proditúmque memoriæ à quibusdam autoribus est, Cornelium patrē saucium ac propè ab hostibus circumuentum, à Scipione filio iam tum pubescente fuisse seruatum. Eo deinde tempore quo apud Cannas cum magna calamitate ac propè pernicie Romani imperii certatum est, quū ad decē millia hominū Canusium perfugissent, & omnes vno ore Appio Pulchro, qui proximè ædilis fuerat, & Cornelio admodū iuueni imperium detulissent, declarauit Scipio quanta sibi virtus, quantáque animi magnitudo inesset. Nam quibusdam iuuenibus de relinquenda Italia agitantibus, in consultantium cœtum prorupit, ac stricto gladio iurare omnes coegit se rempub. non deserturos. Hæc aliáque eiusdem generis magnitudine quadam animi atque ingenii ab eo iuuene edita, populum Romanum cōpulerunt vt ei supra ætatem, supra etiam consuetudinem, magistratus curámque maximarum rerum deferret. Quippe ante legitimū tempus ædilitatem pe-

A tens, etsi tribuni plebis aduersarentur, quia nondum satis annorum esset, peruicit tamen vt per tribus duceretur, atque extemplò frequentibus suffragiis Quiritũ ædilis curulis est declaratus. Quum verò pater patruúsq; , duo egregii imperatores, breui interuallo in Hispania cecidissent, curandúmque à populo Romano esset vt aliquis dux singulari virture in eorum locum succederet, nemo reperiebatur qui ad hoc graue & periculosum bellum, post tantorum imperatorum interit proficisci auderet. Itaque habitis co-
B mitiis vt proconsul crearetur, quum cæteri reip. principes in tanta facultate silerent, vnus Scipio quatuor & viginti annos natus in medium prosiliens, ingenti fiducia professus est se hoc munus libenti animo suscepturum. Hac fortissima iuuenis audita voce, nulla mora interposita est quin incredibili studio suffragiorum imperium in Hispaniam Scipioni decernerent. Sed paulo pòst secum reputantes Quirites aduersus quos Pœnorũ duces & in quibus regionibus bellum gerendum esset, vix censebant fieri posse vt
C imbecillitas ætatis tantam grauitatem rerum sustineret. Quare momento temporis, quasi iam decretæ rei centurias pœniteret, magna animorum commutatio facta est. Quod vbi animaduertit Scipio, statim aduocata concione, sic de ætate sua ac de bello quod gerendum erat, disseruit, vt ad se vnum intuendum omnes audientes, & ad pristinam spem bene gerendæ rei populum Romanum conuerteret: animo quippe aliisque virtutibus vehementer excellens, sed præstans etiam pulchritudine oris & totius corpo-
D ris forma cõspicuus erat, læta atq; hilari fronte: quæ plurimum valent ad gratiam hominum conciliandam. Habebat & in gestu & in motu summam dignitatem. Ad hæc animi bona muneráque naturæ quum militaris accederet gloria, dubium erat, gratiórne gẽtibus domesticis virtutibus, an mirabilior bellicis artibus foret. Imbuerat etiam animos multitudinis superstitione quadam, quòd singulis diebus ex quo virilem togam sumpserat, in Capitolium ascendere,

ac ſine arbitris ædẽ ingredi cõſueuerat, vt crederent A
homines,ſicut iam multo antè Numam Pompilium ab Ægeria nympha,ſic etiam ipſum arcana quædam in templo doceri quæ cæteris non eſſent communia. Prætereà vt olim de Alexandro Macedonum rege,ſic ea tempeſtate de Scipione quidam finxiſſe videntur, anguem in cubiculo matris frequenter viſam. Cæterùm iis omiſſis P. Scipio ex Italia decedens cum decem millibus peditum,triginta nauium claſſe,(omnes autem quinqueremes erant) in Hiſpaniam proficiſcitur: ac paucis diebus ad emporia delatus, copias B
exponit, terreſtríque itinere Tarraconem concedit. Ibi concilio indicto,legati ex ſociis vrbibus frequentes conuenere,qui comiter benignéque accepti grata reſponſa domum retulerunt. Poſt hæc Scipio ingenti cura ad futurum bellum intentus, commodiſſimum eſſe ſtatuit, reliquias veteris exercitus quæ virtute L. Martii ſeruatæ erant, ſuis copiis adiungere. Nam poſt duorum Scipionum interitum, quũ Hiſpaniæ propè amiſſæ,Romanæ legiones fuſæ fugatæque C
eſſent, vnus L. Martius Romanus eques, collectis duorum exercituum reliquiis, præter omnium ſpem exultantes victoria hoſtes contriuit, bellúmque in Hiſpania aduerſus tres Pœnorũ duces incredibili virtute induſtriáque ſuſtinuit. Ad has igitur copias quæ in hybernis conſtitutæ erant,quum veniſſet Scipio, excitati ſunt omnium animi ad ſpem bene gerendæ rei,& veterum imperatorum memoria renouata, vt nemo miles eſſet qui iuuenem intuendo explere deſiderium poſſet. Ipſe verò collaudatis militibus quòd D
de repub.non deſperaſſent, ante omnes L. Martium in præcipuo honore habuit,vt oſtenderet virum qui ſuis virtutibus confideret, alterius gloriæ non inuidere. Exacta hyeme quum nouũ veterémque exercitum ex hybernis deduxiſſet, omniũ primùm Carthaginẽ nouã oppugnare cõſtituit. nulla enim ex Hiſpanis ciuitatibus opulentior habebatur, nulla commodior erat ad bellum terra marique gerendũ.Quin etiam Carthaginẽſium duces omnẽ apparatũ belli &

A quicquid pretio dignum habebant, in hanc vrbem congesserant: eam quoque ac eius arcem validis præsidiis munierant. Ipsi verò, ne tribus vna regio premeretur, diuersa petierant loca, nihil minus eo tempore quàm Carthaginis oppugnationem timentes. Scipio iam omnibus necessariis comparatis, ad eam obsidẽdam cum omni exercitu profectus, terra maríque vrbem aggreditur. Negotium arduum & diuturnum apparebat futurum, quòd vrbs munita erat, & defensores ita animati vt non modò tueri Carthaginis B mœnia, sed etiam erumpere in hostem, & castra Romanorum aggredi auderent. Verùm multa interdum quæ viribus superari non possunt, ingenio conficiuntur. Compertum habebat Scipio, stagnum quòd haud procul abest à Carthaginis mœnibus, æstu maritimo decrescere, & vado ea parte transiri posse vnde ad murum facilior esset accessus. Tali occasione, qua nulla maior ad capiendam Carthaginem dari poterat, vtendum ratus, quum tempus commodum visum est, expediri acies, & distributis copiis vrbem C vehementius quàm vnquam antea oppugnari iubet. Ipse interim fortissimorum virorum manum deligit, quibus imperat vt superato stagno in murum ab ea parte quæ minimè suspecta erat euadant. At hi quibus negotium datum est, prosperè traiecto stagno quum ex alia parte vrbis acerrimè pugnaretur, locum quem petebant, neglectum inueniunt, celeritérque scandentes murum hostes à tergo adoriuntur. Oppidani & externi præsidii milites, quibus tantum repentini periculi præter opinionem acciderat, ex-D templò mœnia deserunt, ancipitique pauentes malo se in fugam coniiciunt. Instant tergis Romani, subitóque vrbem capiunt, diripiúntque: vbi ingens præda, & omnium rerum quæ ad bellum vsui erant, summa est facultas inuenta. Scipio ob bene nauatam operam collaudatis donatísque militibus, quum ei qui primus murum ascenderat, muralis corona danda esset, & contentio inter duos milites orta omnem propè exercitũ in certamen traxisset, extemplò con-

cione aduocata, compertum se habere dixit ambos A
pariter murum ascendisse, atque ambos coronis muralibus donandos esse. Quo factum est vt omnis contentio quæ iam ad summum peruenerat, tolleretur. Post hæc obsides, quorum in ea vrbe ingens copia erat, ciuitatibus Hispaniæ restitui iussit: ex quo maximè humanitatis & clementiæ nomen sibi comparauit, multósque populos hac indulgentia mouit vt ad Romanum redirent à Punico imperio. Sed omnium primum eius famam & beneuolẽtiam auxit id, quod à cunctis scriptoribus vt summæ virtutis exemplum B
celebratur. Adducta est enim in conspectum imperatoris vna ex captiuis virgo longè ante alias specie ac pulchritudine insignis. hanc & Scipio custodiri diligentissimè, & seruari integerrimè iussit: paulóque pòst quum desponsatam comperisset Luccio principi Celtiberorum, sponso ad se accito (is adolescens erat) integram inuiolatámque restituit. Res est profectò celebranda literis, & ipse Scipio dignus vt tantæ mansuetudinis & continentiæ ab omnibus scriptoribus ferat fructum. Huius beneficii memor Lu- C
ceius, quum liberalitatem, modestiam & singularem in omni genere virtutis præstantiam Romani ducis per suos populos diuulgasset, paulo pòst cum magna equitum manu in Romanorum castra rediit. Carthaginensium duces Mago, Asdrubal Barchinus, & alter Asdrubal Gisgonis filius, Carthagine noua amissa, etsi non ignorabant quantum ad opinionem gentium & summã vniuersi belli esset detrimenti acceptum, tamẽ rem primò tegere, deinde vulgatã extenuare verbis quoad poterant nitebantur. Scipio ve D
rò multis populis principibúsq; Hispanis, inter quos duo reguli Mãdonius & Indibilis fuere, sic adiũctis, cõstituit animo in ea loca iter facere quibus in locis Asdrubalem Barchinum esse audiebat, vt prius cũ eo quàm Mago & alter Asdrubal se ei cõiungerent, decertaret. Asdrubal Barchinus prope flumen Besulam habebat castra, auidus & ipse certaminis, & suis copiis satis fidens. Verùm vbi appropinquare Scipio-

A nem cognouit, ex planitie in tumulum quendam satis natura munitum sese recepit. Quem insequutæ Romanæ legiones, nullam moram interponendam putarunt quin cedenti instarent hosti, & primo aduentu castra adorirentur. Non secus quàm si vna expugnaretur vrbs, circa castra pugnatum est. Carthaginenses natura loci & necessitate, quæ etiam ignauos excitare solet, fidẽtes, impetum hostium sustinere nitebantur. Romani contrà spe & audacia pleni acriter dimicabant, atque eo magis quòd in conspectu
B Scipionis atq; omnis exercitus res gerebatur, vt nullum paulo fortius factum latêre posset. Itaque non prius remissa oppugnatio est quàm omni conatu annixi Romani vallum superarunt, pluribúsq; locis castra irrumpentes in fugã compulerunt Pœnũ: Asdrubal verò dux priusquã castra in potestatẽ Romanorum venissent, cũ paucis militibus fugit. Hoc prælio facto, Scipio consuetudine sua omnes captiuos Hispani generis ad se vocari, & sine pretio dimitti iussit. Adolescẽtem ex his regii generis, Masinissæ nepotẽ, co-
C miter benignéq; acceptũ ad Masinissam remisit, magnificentissima quoque adiecit dona, vt ostenderet imperatorẽ exercitus nõ minus liberalitate & domesticis virtutibus quàm bellicis artibus ornatum esse oportere. Est enim belli finis victoria, cuius fructus maximè in liberalitate clementiáque consistit. Hinc ducum gloria, hinc imperatoriæ laudes emanant, vt in præsentibus accidit rebus. Nam Hispanorum multitudo, quæ ibi frequens aderat, hanc indulgentiam Romani ducis admirata, contineri non poterat quin
D eum honoris & virtutis gratia appellaret regem. Sed Scipio hanc vocem Romanis auribus insuetam subitò oppressit, nec eum titulũ sibi tribui passus est, quẽ optimorum ciuium consuetudini, & Romanæ libertati aduersum esse sciebat. Hortatus est tantùm Hispanas gentes vt si in referenda gratia memores esse vellent, fidem in populum Romanum beneuolentiámq; seruarent. Dum hæc à Scipione gerebantur, interim alii duo Carthaginẽsium duces accepto nuncio malè

gestæ ad Besulam rei, iungere copias properarunt: A
paulóque pòst Asdrubali Barchino se coniunxerunt,
vt communi consilio de summa belli decernerent. Itaque inter se colloquuti, post longam disceptationẽ in ea sententia conuenere, vt Asdrubal Barchinus in Italiam, vbi Annibal frater & caput belli erat, transiret: Mago verò & alter Asdrubal in Hispania remanerent, supplementum à Carthagine peterent, nec prius cum imperatore Romano signa conferrent quàm vndique conuocatis auxiliis ingentes copias contraxissent. Post hæc petente Italiam Asdrubale, B
missus est ex Aphrica in eius locum imperator Hanno: quem primo aduentu Celtiberiam concitantem M. Syllanus iussu Scipionis aggreditur, præliόque cõmisso superat, capítque. Erat vna vrbs, quam incolæ regionis Oringen appellant, opulentissima sanè & accommodatissima ad renouandum bellum. ad hanc oppugnandam cum parte copiarum missus L. Scipio, locum munitiorem inuenit quàm vt primo impetu capi posset. Itaque corona circundedit vrbem, paucísque diebus expugnatam direptámque in potestatem C
redegit. Instabat iam propinqua hyems, & tempus admonere videbatur vt hyberna vtrique peterent. Quare his rebus prosperè gestis, Scipio Tarraconem, Mago & Asdrubal Gisgonis filius se ad oceanum receperunt. Sequẽti æstate magna contentione renouato in vlteriore Hispania bello, Romani Carthaginensésque prope Besulam congrediuntur, iustáque acie prælium committunt. In quo post longum certamen superior Scipio in fugã vertit hostes, magnóq; numero eorum interfecto, neque sui colligendi, neq; D
consistendi facultatem dedit, neque prius victoriæ modum imposuit quàm Asdrubal & Mago ex continenti pulsi, Gades se recipere coacti sunt, omnibus propè copiis amissis. Erat in exercitu Carthaginensium Masinissa, iuuenis magni animi, magníque consilii, qui opportunitate capta clàm cum Syllano congrediendi, primos aperuit ei amicitiæ aditus, siue Scipionis liberalitate allectus, siue tempus venisse

A ratus in quo victoribus Romanis adhærendum censeret. Hic est Masinissa qui postea beneficio Romanorum potentissimus euasit Numidiæ rex, ac multis in rebus populo Rom. vsui & adiumento fuit. Cæterùm eo anno, qui erat decimusquartus secūdi Punici belli, felici auspicio proconsulis Scipionis, Hispānia prima ex continentis regionibus victa, postrema tamen in prouinciæ formam redacta ab Augusto Cæsare longo interuallo fuit. Scipio nō contentus maximis rebus quas breui tempore in Hispania gesse-
B rat, quum iam sibi Aphricam animo destinaret, commodissimum esse statuit Syphacem Masæsulorum regem omni arte in Romanorum amicitiam trahere. Itaque explorata voluntate regis, quum non alienam à societate populi Romani comperisset, extemplò omnibus rebus postpositis, duabus quinqueremibus in Aphricam contendit. Veniebat à Gadibus eodem tempore Asdrubal Gisgonis filius, ac veluti ex composito hi duo clarissimi imperatores regem adierunt, certatim quisque pro sua rep. amicitiam petituri. Syphax hospitio ambos comiter benignéque accepit,
C operámque dedit vt pariter eadem mensa, eodem cubiculo vterentur, ne alter alteri prælatus in honore videri posset. Tradunt Asdrubalem præsentis Scipionis animum ingeniúmq; admiratum, secum agitasse quantū periculi ex eo viro suæ ciuitati atq; omni Aphricę immineret. Iuuenē enim acrem, & summis virtutibus præditū, tum multis præliis victorem esse cernebat: nec in tam florenti ætate adduci posse credebat vt pacem quàm bellum mallet. Suspicabatur etiam, ne Syphax eius autoritate & præsentia motus
D ad Romanos animum inclinaret. Nec iam eum fefellit opinio. Nam Syphax, etsi primo aduentu parem se vtrisque præbens, sermonem induxisset de finiendo inter Romanos Carthaginensésque bello, tamē postea negante Scipione, inconsulto senatu quicquam agi de pace posse, posthabendum Asdrubalem censuit, ac desiderio Scipionis obsequutus, cum populo Romano fœdus iniit. Scipio in Hispaniā reuersus, Ili-

turgium & Castulonem & quasdam alias ciuitates A
quæ populi Romani detrectabant imperium, partim ipse vi expugnauit, partim auspicio L. Martii in ditionem redegit. Et ne tot tantísque rebus prosperè gestis aliquod deesset lætitiæ genus, Carthaginem nouam profectus ludos gladiatorum magnifico apparatu fecit: quibus non solùm spectando, sed etiam pugnando multi clari viri interfuerunt. Sed ex Hispanis duo præter alios insignes nobilitate principes, Corbis & Orsua, de regno inter se dissidentes, eo die con-
trouersiam finiere, altero eorum alterius manu inter- B
empto. Grauis spectantibus eorum dimicatio, grauior etiam (quia patrueles erant) mors interempti fuit. Post hæc Scipionẽ longè maiora quàm ea quæ gesserat meditantem, aduersa valetudo corripuit: cuius fama per Hispaniam vulgata, &, vt plerunque fit, sermonibus aucta, ad spem nouarum rerum non solùm Hispanas gentes, sed etiam Romanorum exercitum, quem ille ad Sucronem reliquerat, concitauit. Soluta primùm militum disciplina imperatoris absentia fuerat: mox rumores de ægritudine eius & de
periculo vitæ in exercitũ delati, tantam seditionẽ mo- C
túmque fecerunt vt quidam contempto tribunorum imperio, hísque demum fugatis, duos gregarios milites sibi crearent imperatores: qui non solùm nomen imperii à vanis autoribus delatum, sed etiam fasces & secures præ se ferre ausi sunt: adeò furor plerũque & mala ambitio mortaliũ mentes exagitat. Nec quieuere Hispanæ gentes, Mandonius præsertim atque Indibilis, qui affectantes Hispaniæ regnum, post expugnationem Carthaginis nouæ ad victorem Scipio-
nem defecerant. Deinde Romanorum potentiam lõ- D
gè latéque diffusam, iniquo animo tolerantes, aliquã nouandarum rerum occasionem quærebant. Acceptis autem rumoribus non solùm de morbo, sed propè etiam de morte P. Scipionis, fidéque adhibita, extemplò exercitũ cõpararũt, & Suesitanis, qui socii & amici erant populi Romani, intulerunt bellum. Verùm conualescente Scipione, vt ex fama eius mortis

A falſo credita multiplex tumultus fuerat exortus, ſic comperta veritate rei, territi ſunt omniũ animi, nec quiſquam auſus eſt in nouandis rebus vlterius progredi. Scipio magis externis bellis quàm domeſticis ſeditionibus aſſuetus, etſi militibus qui deliquerant grauiter ſuccenſendum putabat, tamen ne dum iræ indulget exceſſiſſe in puniendo modum exiſtimari poſſet, de hac re ad cõſilium refert. Maior pars in eos à quibus initium tumultus ortum erat, animaduertẽdum, & reliquis ignoſcendum cenſuit. ſic enim fieri

B poſſe oſtendit vt pœna ad paucos, exemplum ad multos perueniret. Hanc ſententiam ſequutus Scipio, extemplò exercitum ſeditionis autorem ad accipiendũ ſtipendium Carthaginem nouam acciri iubet. Edicto paruerunt milites, alii ſuam culpam, vt plerunque ſibi indulgent homines, leuiorem rati, alii Scipionis freti ingenio, quod mite in puniendo eſſe compererant. Dicere enim ſolitus fuit, malle ſe vnũ ciuẽ conſeruare, quàm mille hoſtes perdere. Vulgatum quoque erat, alium Scipionis exercitum paratum eſſe in armis,

C & aduẽtum eorum opperiri, vt omnes copiæ ſimul iũctæ aduerſus regulos in Sueſitanos ducantur. Quamobrem ex Sucrone diſcedẽtes, magna ſpe veniæ conſequendæ Carthaginem veniunt. Sed poſtridie eius diei quo vrbẽ ingreſſi ſunt, in forum vocati ac inermes conſiſtere iuſſi, armatis legionibus circundantur. Tum imperator Romanus tribunal aſcendens, vniuerſæ multitudini ſeſe oſtendit ea valetudine, eo vigore qualis in pubeſcẽte ætate vnquam fuerat. Cõcionem deinde habuit longè acerrimam, & grauiſſi-

D mis querimoniis plenam, vt nemo miles ex inermi exercitu eſſet qui aut à terra oculos erigere, aut dicentis vultum ſuſtinere per pudorem poſſet. Conſcientia enim perpetratæ rei ac ſuppliciorum metus terrebat animos, & optimi ducis præſentia noxiis pariter atq; innoxiis ruborem incutiebat. Itaque triſti ſilentio torpebant omnia. Poſteaquã finem dicendi fecit, principes ſeditionis in conſpectum multitudinis producũtur. Ibi virgis cæſi, more maiorũ, ſecuríque percuſſi,

horribile ſpectaculũ viſentibus præbuere. His rebus A
ita compoſitis, Scipio reliquis militibus nouo ſacramento adactis, expeditionem in Mandonium atque Indibilem pronunciari iubet. Nam hi ſecum reputantes, à militibus Romanis qui caſtrenſis ſeditionis autores fuerant, pœnam eſſe repetitam, omnem ſpẽ abiecerant veniæ impetrandæ, atque ex eo x x millia peditum, duo millia equitum comparauerant, vt his copiis aduerſus Romanos progrederẽtur. Quod vbi cognouit Scipio, priuſquam augerẽntur regulorũ vires, B
& plures populi conſpirarent, maturat à Carthagine proficiſci, & quanta maxime celeritate poteſt, ad hoſtem pergit. Reguli loco ſatis munito habebant caſtra, ſicque ſuis copiis fidebant, vt nec alios prouocare, nec prouocati pugnam detrectare parati eſſent. Factum eſt autẽ propinquitate caſtrorũ, vt paucis poſt diebus à Romanis laceſſiti in prælium deſcenderent, in quo quidem aliquandiu ſumma contentione dimicatum eſt. Tandem Hiſpani à tergo circumuenti, ac in orbem pugnare coacti ſuperantur. Vix tertia pars C
ex eorum numero aufugit. Mandonius atque Indibilis nullum remedium perditis rebus eſſe cernẽtes, legatos ad Scipionem miſerunt qui ſuppliciter pacẽ peterent, & veniã deprecarentur. At Scipio, etſi quãtum in ſe atq; in populum Romanũ facinus admiſiſſent, intelligebat, tamen nõ minus decorum putans hoſtẽ clementia & manſuetudine ſuperare, quàm armis, regulis ignouit, pecunia tantùm vt militi ad ſtipendiũ ſoluerẽt imperata. Per id tẽpus Maſiniſſa à Gadibus profectus in continentem venit, vt amicitiæ fidẽ, quã D
per M. Syllanum abſenti Scipioni obtulerat, præſenti confirmaret, ſimul vt ipſum Scipionem alloqueretur, quẽ ob res egregiè geſtas præſtãtiſſimum eſſe virum cõſtituerat animo. Verùm nec iã opinioni Numidæ virtus P. Scipionis, nec expectationi (vt plerũque accidere conſueuit) præſentia defuit. Nam præter ingentia animi bona, quibus Scipio cæteros alios anteibat, præ ſe etiam ferebat eximiam formam, & omni amplo dignam imperio. Erat præterea vir benignus

A in audiendo,facundus in respondendo, & in conciliā dis hominibus egregius artifex:habitu corporis virili,cæsarie promissa vtebatur. Hunc igitur Masinissa salutatum veniens,vt primùm conspexit, sic virū admiratus esse dicitur vt nec ab eo dimouere oculos, nec intuendo explere desiderium posset. Amplissimis verbis ei gratias egit pro nepote ad se remisso,& fidē se præstaturum initæ amicitiæ dixit:quam postea erga populum Romanum vsque ad exitum vitæ constantissimè coluit. Iam verò omnes Hispaniæ populi aut B imperium aut societatem Romanorum acceperant, quum Gaditani idem sibi licere arbitrantes, sponte Romanis se dedidere:gens vetusta origine,&,si famæ credere libet,vt Carthago in Aphrica,in Bœotia Thebæ,ita Gadis ad oceanū colonia Tyriorū fuit. Scipio receptis Hispaniis,pulsis Carthaginensibus, quū nihil relinqueretur quod sibi constituēdum putaret, L.Lentulo & Manlio Accidio prouincia tradita,Romam rediit.Venienti senatus extra vrbem datus est in æde Bellonæ.vbi quum res à se per multos annos fortiter felicitérque gestas exposuisset, ostendissétq; C quatuor hostium duces, quatuor exercitus multis præliis à se victos, Carthaginenses ex Hispaniis eiectos,nullas gentes in his terris relictas quæ non venissent in populi Romani potestatem, res amplissimo triumpho dignas esse censebat senatus. Sed quia nemini adhuc contigerat vt quum proconsul & sine magistratu esset,pro rebus gestis triumphanti inuehi liceret in vrbem,nec patribus visum est, nec ipse Scipio magnoperè contendit, vt nouo exemplo morem maiorum sui causa commutarent. Ingressus vrbem D paulo pòst ingenti studio populi Romani consul declaratur.Tradunt, raro vnquam frequentiorem multitudinem,non tam ad celebranda comitia,quàm ad conspiciendum P.Cornelium Scipionem Romam venisse.Itaque non solùm Quirites,sed externi etiā homines hunc vnum intuebantur,publicè priuatímque dicebant mittendum in Aphricam esse ad inferēdum ex propinquo Carthaginensibus bellum.Idem quum

ſentiret Scipio, de hac re ad populum ſe relaturum ſignificabat, ſi tam ſalutari conſilio aduerſaretur ſenatus. Quidam enim ex patribus, atque inter eos præcipuæ autoritatis, Fabius Maximus huic ſententiæ acriter reclamabat. Scipio in contrarium nitebatur, rationibus multis oſtendens hac vna via ſuperari Pœnos, & Annibalem deduci ex Italia poſſe, cætera vana eſſe conſilia. Poſt longã altercationem Scipioni Sicilia decreta, permiſſúmque à ſenatu eſt, vt ſi arbitraretur vtile éxque rep. eſſe, cum omni exercitu in Aphricam traiiceret. Hoc ſenatuſconſulto in populum edito, ſic erecti ſunt omnium animi ad ſpem magnarum rerum, vt iam de Aphrica cogitarent, & bellum poſſe confici non diffiderent. Sed Scipioni in rebus neceſſariis comparandis maxima difficultas proponebatur, cùm ob ærarii inopiam, tum ob iuuentutis penuriam, cuius florem præteritæ clades à Pœno illatæ abſumpſerant. Ipſe tamen ne tantæ expectationi deeſſet, ingenti ſtudio in apparatum belli intendit. Et adfuerunt ei multi Hetruriæ atque Vmbriæ populi, quorum alii materiam ad fabricandas naues, alii arma, quidam frumentum ac omnis generis commeatum ad iuuandum exercitũ detulerunt. Quadrageſimoquinto die, quod vix cuiquam credibile videretur, fabricata inſtructáque claſſe, ex Italia decedens Scipio in Siciliam contendit. At quum exercitum in ordines redigeret, eos præcipuè ſeligendos putauit qui ſub M. Marcello multos annos meruerant, ſummámque ſcientiam rei militaris habere exiſtimabantur. Siculos autem partim autoritate, partim gratia impulit ad ſubminiſtrandum auxilium futuro bello quod in Aphricam transferre quum primùm per anni tempus poſſet, omni ſtudio parabat. Tradunt præter alia Scipionem ex variis ciuitatibus CCC iuuenes legiſſe totius prouinciæ nobiliſſimos, ac eis præcepiſſe vt certa die cum armis equíſque adeſſent. Hi, vt imperatum erat, quum præſtò fuiſſent ad conſtitutam diem, optionem detulit conſul qua vel ipſi ſecum in Aphrica militarẽt, vel totidem aliis ſubſtitutis equos

A armáque largirentur, vtrum vellent acciperent. Singulis remissionem militiæ petentibus, dati sunt vicarii CCC Romani iuuenes, quos Scipio inermes ex Italia adduxerat, eo consilio vt Siculorum impensa, sicut euenit, armis equísque instruerentur. Horum opera multis postea certaminibus fideli atque vtili in Aphrica vsus est. Iam tẽpus hybernorum erat, quum Scipio non solùm in apparatibus belli, sed etiam in cõponendis Siciliæ rebus curam adhibendam ratus, Syracusas petit. Vbi quum ex multorum querimoniis
B cognouisset, satis magnam copiam Italicorum militũ in eadem vrbe versari, qui res bello partas, deinde Syracusanis per senatum restitutas retinerent, statim eos partim edictis, partim iudiciis cõpulit ad ea implenda quæ senatus censuisset. Qua ex re magnã gratiam & iusti consulis famam apud Siculas gentes est adeptus. Interim per C. Lælium multa cum præda ex Aphrica redeuntem certior fit, Masinissam regem cupidissimè aduẽtum suum opperiri, monere atque rogare vt, si reipubl. commodo facere possit, quamprimùm in Aphricam traiiciat. Idem cupere multos A-
C phricæ populos, qui odio habẽtes Carthaginensium imperium, aliquam nouandarum rerum occasionem expectent. Nec iam vlla Scipionis socordia eam profectionem distulerat, quum rarò quisquam alter imperator aut efficacior, aut solertior in rebus agendis fuerit. Verùm Siculæ res & occasio recipiẽdi Locros impedimento fuere quo minus negotium pro suo arbitratu conficeret. Accessit etiam causa quædam Ple-
D minii legati, qui Locris à Scipione relictus, quum omne genus improbitatis, libidinis, auaritiæ, in oppidanos exercuisset, facilè multitudinem perpulit vt omnia mallet quàm impurissimi hominis imperium ferre. Missi igitur à Locrensibus Romam legati quũ in senatum venissent, & grauissimas iniurias à Plemi nio acceptas questi essent, sic patres mouerunt, vt non solùm in Pleminium, sed etiam in Publium Scipionẽ atroces sententiæ dicerentur. Hinc obtrectatores Scipionis amplam materiam calumniæ nacti, asserere nõ dubitabant

dubitabant, eum cognouisse Locrensium iniurias, Ple- A
minii scelera, suorum militum dissensiones, atque omnia lentius tulisse quàm optimum consulem deceret. Addebant præterea, exercitum in Sicilia habere vecordem, & omni disciplina solutum militari, ipsum ducem oscitantem totum se ad voluptates & otium contulisse. Et præter cæteros Fabius Maximus in Scipionem inuectus sic modum excessit, vt extemplò reuocandum ex Sicilia, abrogandúmque ei imperium censeret. Hæc nimis aspera visa omnibus sententia est. Quamobrem Q. Metelli consiliũ sequuti patres, decreuerunt vt decem legati in Siciliã transmittentes, B
cuncta quæ de Scipione ad senatum delata erant, diligenti studio perquirerent: si nocentem inuenissent, statim iussu senatus in Italiam reuocarent: sin verò falsa essent crimina, & vanæ inuidorũ calũniæ, dimitterent ad exercitum, hortarentúrque vt fidenti animo bellũ susciperet. Profecti in Siciliam legati, in discutiendis singulis rebus nullã Scipionis culpam inuenire potuerunt, nisi quòd iniurias à Pleminio Locrensibus illatas nimis leni animo pertulisset. Erat enim Scipio in remunerando largus, in puniẽdo mitis & clemens. Exercitum verò, classem, & omnẽ appara- C
tum belli quũ intuerentur, sic admirati esse dicuntur copiam & ordinem singularũ rerũ, vt postea in vrbẽ redeũtes amplissimis laudibus P. Scipionẽ efferrẽt, & reiectis inuidorũ calũniis, ad certissimã victoriæ spẽ senatum populúmq; Romanũ reuocarẽt. Cæterùm domesticis impedimentis sublatis, aliæ foris superuenerunt curæ, quæ non mediocriter animũ Scipionis mentémque turbarũt. Nam oratores à Syphace missi denunciarunt ei nouum sibi fœdus cum Carthaginen- D
sibus ictũ, affinitatem cum Asdrubale contractã, filiam eius sibi matrimonio iunctam: propterea monere vt si suæ reipublicæ consulere velit, Aphrica abstineat, eosdem enim quos Pœni haberent, se amicos inimicósque habiturum. Hos legatos Scipio, ne mandata regis efferrentur, extemplò ad Syphacem remisit cum literis, quibus postulabat vt initæ societatis iũ-

A ctæque dextræ memor, caueret ne quid nomine Romano & regia fide indignum moliretur. Post hæc cócione aduocata, legatos Syphacis venisse in Siciliã dixit, vt sicut antea Masinissa, sic etiam hi nimiam dilationem aduentus sui quererentur. Itaque maturandũ in Aphricam esse, atque ideò cunctis militibus edicere vt arma expediant, & ad profectionem necessaria cóparent. Hoc edictum Romani ducis vbi per Siciliã vulgatum est, statim multitudo ingens Lilybæum cófluxit, non hominum solùm qui in Aphricã traiecturi erant, sed eorum etiam qui spectatum venerãt Romanam classem: qua raró vnquam instructior aut omni armatorũ genere ornatior visa fuerat. Ipse verò Scipio satis iam omnibus cõstitutis, è Lilybæo sol uit, tanta cupiditate transmittendi, vt nulli ei neque remi neque venti satisfacerent. Deuectus est tamen paucis diebus ad promótorium Pulchri, atque ibi omnes copias in terrã exposuit. Sed celeriter eius aduẽtus Carthaginem nunciatus sic ciuitatem turbauit vt conclamatum esse ad arma, stationésque in portis mu

C rísque dispositas, quidam autores sint. Nam à M. Regulo vsque ad eum diem L propè annorũ intercesserat spatiũ, ex quo nullus imperator Romanus cũ valido exercitu terram Aphricã intrauerat. Meritò igitur pauoris ac tumultus omnia erant plena. Augebat etiã terrorem Scipionis nomen, cui Carthaginenses quẽ ducem aut opponerent, aut parem arbitrarẽtur, non reperiebant. Asdrubal Gisgonis filius egregius ea tempestate imperator habebatur, quem victum à Scipione fugatúmque ex Hispania meminerant. In eo ta

D men atque in Syphace potentissimo rege magnã spẽ seruandæ patriæ reponentes, Pœni hunc rogare, illum monere nõ desistunt, vt quanta maxima celeritate possint, Aphricæ rebus subueniãt. Sed dum hi copias iungunt, interim Hanno Amilcaris filius proximam regionẽ tueri iussus, obuiam Romanis progreditur. Scipio populatis agris, ditatóque exercitu ingenti præda, prope Vticam cum omnibus copiis consederat, vt celebrem vrbem & opportunam ad bellum terra

maríque gerendum,si qua via fieri posset, in potestatem redigeret. Et sub idem tempus Masinissa in castra Romanorũ venerat,ardens incredibili cupiditate belli gerendi aduersus Syphacẽ regẽ,à quo nõ multo antea paterno regno fuerat expulsus. Húc Scipio, quia iuuenem acrem & manu promptum in Hispania cognouerat,priusquam maiores copiæ à Carthaginensibus cogerentur, speculatum mittit hostium castra,atq; ei præcipit vt omni ingenio adhibito Hãnonem ad pugnam eliciat. Masinissa, vt imperatum erat, hostem iritando, sensimque trahendo perducit ad ea loca quibus in locis Scipio cum armatis legionibus constiterat,expectans occasionem gerendæ rei. Defessa iam erat hostiũ acies,quũ Romani recentibus copiis obuiam facti,prælium ineunt:Primò congressu superatur Hanno,& ipse cum parte copiarum occiditur.Reliqui terga dantes,quà potest quisque fugam per diuersa petunt. Post hanc victoriam, Scipionem ad oppugnandam Vticam redeuntem,absistere incepto coegit subitus Asdrubalis & Syphacis aduentus,qui ingentes peditum equitúmque copias secum ducentes,haud procul à Romanis posuerũt castra.Quod vbi animaduertit Scipio,statim soluta obsidione,castra in quodam promontorio communiuit, vnde procedere obuiam hosti, & vexare Vticẽses,& classem subductam tueri posset.Cæterùm quum tempus postulare videretur vt hyberna vtrinque peterẽt, placuit ei ad Syphacem mittere qui tentarent animũ regis,& quantum in eis esset à Carthaginensium amicitia abducerent.Hunc enim sciebat Sophonisbæ nuptiis agitatum, & quasi muliebribus instinctũ furiis, eò insaniæ deuenisse vt non modò Romanos non iuuandos, sed etiam contra ius fœderis oppugnandos censeret:quòd si qua vxoris satietas hominẽ cepisset, iam ad sanitatem eum reuerti posse arbitrabatur. Syphax auditis his quæ nomine Scipionis ad eum deferebantur,tempus iam esse respondit vt non de relinquenda Pœnorum societate, sed de abiiciendis belli consiliis agatur:se optimum pacis autorem fore pol-

A licetur. Huic sermoni Scipio aures adhibendas putat, solerti animo rem nouam meditatus. Nam ex omni exercitu strenuos milites deligit, quos seruiles vestes indutos comitari oratores iubet, & quid fieri velit ostendit. Hi, vt præceptum erat, dum legati & Syphax de conditionibus pacis inter se agunt, & longior con sulto producitur sermo, speculatum proficiscuntur hostium castra, omnes aditus exitúsque explorant. Hoc sæpius facto, ad Scipionem reuertuntur. Certũ erat induciarum constitutum tempus. quo elapso Sci

B pio simulat se omni spe pacis abiecta, arma, classem machináque parare, vt quemadmodum antea orsus fuerat, Vticam oppugnatum redeat. Hoc quàm latè per regionem vulgari, hoc ab hostibus credi volebat. Ipse verò tribunis militum conuocatis, consilium suũ aperit. Docet bina esse hostium castra, paruo inter se diuisa spatio, quorum altera ex lignis hybernacula, altera ex arundinibus contexta habeant: vtraque deleri incẽdio posse. Quamobrem Masinissam & C. Lælium ad se vocat, atque eis præcipit vt intempesta no

C cte Syphacem aggrediantur, ignem castris iniiciant: se ex altera parte Carthaginenses inuasurum pollicetur. Hi mandata impigrè exequentes, constituta hora Numidarum castra adoriuntur, & ignem arundinibus applicant: quæ subitò incendium effuderunt, & penè in omnem locum castrorum distulerunt. Numidæ fortuitum primo incendium arbitrati, ad opẽ ferendam celeriter concurrerunt: mox vbi in legiones hostium incidentes trucidari cœpti sunt, ancipiti pauentes metu, sese fugæ mandarunt. Simili penè ra

D tione ab altera parte exercitus, cui Scipio præerat, incensa sunt Carthaginensium castra, & profligati hostes, tanta fugientium strage vt ad XL millia hominum ex Pœnis Numidísque ea nocte absumpta quidam autores sint. Hæc clades Carthaginem delata, sic terruit ciuium animos vt alii ex Italia Annibalem reuocandum, alii pacem petendam à Scipione censerent. Sed factio Barchina, potens pollénsque, quum abhorreret à consiliis pacis, peruicit vt noui delectus

haberentur ad restituendum bellum. Igitur Syphax A & Asdrubal magna multitudine peditatus equitatúsque coacta, celerius opinione omnium exercitum repararunt, atque rursus in conspectu Romanorũ posuerunt castra. Qua re cognita, Scipio non cunctandum existimauit, dum milites sui alacres essent & fiduciæ pleni, quin pugna decertaret. Accidit autẽ ab initio ex propinquitate castrorum, vt leuia quædam committerentur prælia: ad extremum verò omnibus copiis concursum est, tantúsque ardor Romanorum militum fuit vt primo impetu Numidas Pœnósque B in fugam conuerterent, magnámque partem fugientium interficerent.. Asdrubal & Syphax citato cursu ex media cæde profugerunt. Ad quos consectandos Scipio Masinissam & C. Lælium cum expedito equitatu misit. Syphax in Numidiam, atque inde in antiquum regnum profectus, ex omni genere hominum exercitum coegit, obuiámque Masinissæ & Lælio factus prælium committere non dubitauit: malo tamen consilio, quum esset hostibus longè inferior non tam dimicantium numero, quàm quòd nec mi- C les cum milite, nec duces cum ducibus erant conferendi. Itaque à bellacissimis viris facilè superatur, &, quod Masinissa vix ausus esset optare, in prælio capitur, & cum multis nobilibus viris ad Scipionem perducitur. Ceperat primùm lætitia omnium animos, quum Syphacem in castra adduci nũciatum est: deinde vbi vinctus in conspectum multitudinis est perductus, tanti viri præsentia, & pristinæ maiestatis recordatio, misericordiam intuentibus mouit. Meminerant enim quàm celebre eius regis nomen, D quàm florentes opes & amplissimi regni vires paulo antè extiterant: postea verò ex tanto fastigio prolapsum cernentes, miserabantur. Ipse autem imperator Romanus benignè eum affatus, quæsiuit quænã tanta causa animum eius mutasset, impulissétque ad inferendum Romanis bellum. Tum rex veteris hospitalitatis, iunctæque dextræ memor, fidẽti animo Scipioni respondit, se cõiugis Sophonisbæ amore captũ

A tantum facinus quantum omnes scirent, in populum Romanum admisisse, atque extemplò eas dedisse pœnas quas cæteri pro documento habere possent vt in fide atque officio permanerent. Sed in extremis malis hoc sibi solatii contigisse, quòd inimicissimũ hominẽ Masinissam, eadẽ insania qua ipse laborasset, correptũ videret. Nam post victum captúmque Syphacem, Masinissa Cyrtham, caput regni, petens, quũ vrbẽ in potestatem redegisset, Sophonisbam multis precibus sibi blandientẽ ardere cœperat, mulieríque fidem dede-
B rat, se eam à Romanorum manibus vindicaturum: & vt id commodius præstare posset, nouis nuptiis sibi deuinctam vxorem duxerat. Hæc celeriter ad Scipionem delata, magnopere hominem perturbarunt. Cõstabat enim auspiciis Romanorum victum Syphacẽ esse, & quæcunque suæ ditionis fuerant, ad eorum iudicium pertinere: quòd si Masinissa inconsulto Scipione patrocinium Sophonisbæ suscipiẽdum putarat, simul & imperium ducis & maiestatem populi Romani visus fuerat cõtempsisse. Accedebat huic culpæ tur-
C pissima libidinis causa, quæ tanto grauior videri debuit quanto erat Romani imperatoris cõtinentia maior, quam Masinissa ante oculos habebat ad imitandum. Nam Scipio præter cætera virtutis documenta, in omnibus locis quibus hostem superauerat, à captiuis mulieribus victrices semper abstinuerat manus. Indignatus igitur aduersus Masinissam, etsi primùm in castra redeũtem præsente multitudine benignè accepit, postea tamen seiunctũ à cæteris ita obiurgauit vt sentiret Numida moderatissimo simul & seuerissimo imperatori sibi esse parendum. Itaque lacrymans
D & consilii inops in tentorium abiit, pàulóque pòst, quum fidem Sophonisbæ datã præstare nõ posse cerneret, atque ex eo grauiter angeretur, venenum ei cũ mandatis misit: quo mulier repentè hausto, voluntariam sibi cõsciuit mortem. Cæterùm Carthaginenses tot támque multiplicibus acceptis cladibus, quũ res in eum locum deductas viderent vt iam non de propagando imperio, sed de seruanda patria esset co-

gitandum, Annibalem ex Italia reuocarunt. Qui celeriter in Aphricam reuersus, siue quòd præsentis iuuenis felicitatem horreret, siue quòd labenti & penè inclinatæ reipubl. diffideret, omnium primùm cum P. Scipione de pace agendum censuit. Quapropter petẽti locus ad colloquiũ datus, in quo simul congressi, lõgum sermonem de tollendis controuersiis habuere. Ad extremum Scipio eas conditiones detulit Pœno quibus facilè apparuit non tædere belli populum Romanum & ipsum iuuenem spe victoriæ magis quàm concordiæ desiderio trahi. Itaque omni spe pacis adẽpta, colloquium dirimunt, atque in posterum diẽ certamen parant duarum nobilissimarum bello gẽtium duo clarissimi duces, imperium orbis terræ breui spatio suis rebuspub. aut daturi, aut erepturi. Locus prope Zamam fuisse traditur, vbi supremas vires quasi in medium effundentes, pugnam memorabilem conseruere: in qua victores Romani, primùm hostiũ elephãtos, deinde equites in fugam verterũt: demum acrius inferentes pedem, totam aciem profligarũt. Cæsa aut capta ex Carthaginensium copiis supra XL millia hominum à Romanis ferunt. Annibal ex tanta cæde incolumis euasit, nullo strenui ducis eo die munere prætermisso. Nam si vnquam antea, tum ea pugna aciem peritissimè instruxerat, loco subsidiisque firmauerat, atque in ipso certamine dum manus conserebãtur, sic militibus suis officiũ præstiterat vt summi imperatoris laudẽ etiã ab hostibus tulerit. Post hãc victoriã Scipio nactus Verminam Syphacis filium, opẽ Carthaginensibus afferẽtem, fugauit, & vsque ad mœnia portúmque Carthaginis exercitum admouit, ratus id quod accidit, Pœnos supplices ad pacem petendam venturos. Nam vt ad bella suscipienda alacer & promptus fuerat Carthaginensium animus, sic eo tẽpore mollis ac minimè resistens mens eorum fuit, Annibale præsertim superato, in quo antea omnem spem seruandæ patriæ collocatam habebant. Itaque consternati animo, legatos ad Scipionem mittunt, qui clementiam victoris implorent, & mul-

A tis precibus pacẽ expoſcant. Iam Romæ de prouin cia Aphrica contentiones erant,& alter ex nouis con ſulibus in exercitum properabat pari imperio ad gerendum bellum. quamobrem veritus Scipio ne tanti belli confecti gloria ad alium perueniret, æquo animo à legatis Carthaginenſium ſe exorari paſſus eſt. Conditiones igitur pacis Carthaginenſibus datæ ex victoris arbitrio,& præter alia,omnis claſſis,qua maximè confidebant,adempta. Ea quum cremaretur,tã miſerabile ſpectaculum intuentibus præbuit,vt nõ ſe

B cus in vrbe quàm ſi Carthago à ſtirpe interiiſſet, cõploratum ſit. Ad quingentas enim naues omnis generis crematas quidam autores ſunt. Verùm hæc nos admonere debent fragilitatis humanæ, cuius nimia (vt ille inquit) in proſperis rebus obliuio eſt. Qui enim antea ampliſſimis victoriis conſequutis, omni propè Italia in ditionem redacta, vrbe Roma audaciſſimè obſeſſa, imperiũ orbis terræ animis deſtinabant, non multo interiecto ſpatio, in eum locum deducti ſunt vt omni imperio amiſſo nihil præter Cartha-

C ginis mœnia poſſiderent, eáque ſeruare poſſe diffiderent, niſi ſalua eſſe fineret hoſtium exorata clementia. Poſt hæc Scipio ex ſententia ſenatus Maſiniſſam regem non ſolùm in patrium regnum reſtituit, ſed adiecta opulentiſſima parte Syphacis regni, præpotentem inter Aphricæ reges fecit: ſingulis deinde pro meritis præmia tribuit. Demum compoſitis Aphricæ rebus, exercitum in Italiam reportauit: ſub cuius aduentum multi mortales Romam confluxere, vt præſtantiſſimum belli ducem poſt tantas res

D geſtas intuerentur. Itaque celeberrimo triumpho vrbem eſt inuectus, quem ſequutus eſt Terentius Culeo ſenator pileato capite, quia beneficio eius ex ſeruitute fuerat exemptus. Syphacem verò regem Polybius in triumpho ductum, quidam priuſquam Scipio triumpharet mortuum ſcribunt. Multi antea Punico,& poſtea Macedonico, atque Aſiatico bello triumphantes, plura vaſa aurea argenteáque & maiorem copiam captiuorum præ ſe tulerunt: ſed vnus

Annibal victus, & tanti belli confecti gloria, triumphum P. Scipionis sic celebrem reddidit vt facilè cæterorum aurum pompámque superaret. Aphrica enim subacta, nulla gens postea fuit quæ vinci à populo Romano erubesceret. Quamobrem ex hac prouincia gradus imperii in Macedoniam, in Asiam, atque in reliquas partes orbis terræ est factus. Cæterùm Scipioni, quem post Aphricam deuictã iam Aphricanum appellare licet, Romam reuerso, neque ciuiles dignitates, neque vrbani honores defuerunt. A
Nam quum censorum comitia haberentur, & multi competitores ex superna nobilitate concurrerent, ipse & Ælius Pætus prælati omnib' sunt: creatíq; censores, magistratum postea summa integritate concordiáque gesserunt. Sequentes deinde censores alii atque alii principem senatus Aphricanum legerunt: quod genus honoris iis tantùm viris deferri consueuit qui autoritatem & gloriam maximis in rempub. meritis præstantissimísque rebus gestis essent consequuti. Nec multo interiecto spatio creatus est iterum B
consul, collegáq; ei datus Sempronius Longus, Sempronii illius filius quem Annibal magna affectum clade ad flumen Trebiam superauit. Hi primi fuisse dicuntur qui in spectandis ludis patres à populo secreuerunt: quam selectionem plebs Romana molestissimè tulit, aduersus consules indignata, qui honorem senatorii ordinis extulisse, suum contempsisse visi erant. Et ipsum etiam Aphricanum aliquando pœnituisse tradunt, se veteris moris tollendi, noui introducendi autorem fuisse. Erant per id tempus quædam C
contentiones de finibus imperii inter Masinissam & Carthaginenses exortæ. ad quas componendas Scipio duóque alii legati à senatu missi, quum causam discordiæ cognouissent, rem totam integram suspensámque reliquerunt. Atque eo consilio id factum dicunt vt Pœni domesticis contentionibus occupati tenerentur, néve aliis negotiis vacare, vel ad spem nouarum rerum erigere animos possent. Vigebat enim cum rege Antiocho bellum, & Annibal Pœnus cum D

A eo erat,qui nũquam cessabat in populum Romanum veteres hostes concitare,nouos acquirere, & omnibus modis Carthaginensibus suadere vt seruitutis iugum sub titulo fœderis sibi à Romanis impositum abiicerent,& regum amicitiam experirẽtur. Verùm paulo pòst Romani rebus prosperè gestis, Antiocho è Græcia pulso,quum iam Asiam animis destinarent, Aphricanum intuebantur,veluti hominem natum ad bella magni ponderis finienda. L. autem Scipio & C. Lælius consules erant,& vterque sibi Asiam prouin-
B ciam decerni cupiebat. Res arbitrio senatus permissa erexit studia patrum, senatoresque dubios reddidit de tantis viris iudicium facturos. Sed quum apud patres maior Lælii gratia, maior etiam existimatio esset,& senatus ad eum inclinaret,negotiúmque deferret,surrexit P.Aphricanus frater maior L.Scipionis,& illam ignominiam familiæ deprecatus est, dixítque & in fratre suo summam virtutem esse summúmque consilium,neque se ei legatum defuturum. Extemplò hæc vox ingenti patrum lætitia excepta,
C omnem dubitationem ex eorũ animis dempsit. Decretum est igitur frequẽti senatu, vt L.Scipio in Græciam aduersus Ætolos, deinde in Asiam, si ei visum esset,transiret ad inferendum Antiocho bellum,& P. Aphricanum secum duceret, quem Annibali victo & pro Antiocho in acie stanti,victorem opponeret. At verò P. Scipionis pietatem quis non iure miretur? quam non solùm à prima adolescentia Cornelio patri,sed etiam L.fratri id ætatis iisq; rebus egregiam præstitit. Et quanquam erat Aphricanus qui
D Annibalem vicerat, de Pœnis triumpharat, omnes belli gloria & virtute anteibat: imperio tamen minoris natu se sponte summisit, vt is in honore obtinendæ prouinciæ gratioso collegæ præferretur. Ex eo autem bello L. Scipio consul Aphricani consilio egregio quidem & fideli vsus,maximam gloriam in patriam reportauit. Nam primùm in Græciam traiiciens inducias sex mensium Ætolis dedit,suadente Aphricano posthabitis omnibus Asiam caput bel-

li peteret. Prusiam deinde Bithyniæ regem animo A fluctuantem, Aphricani opera ab Antiochi societate auertit. Magnum enim erat Aphricani nomen, & omnes qui consulem adibant rem aliquam impetraturi, eo patrono vtebantur. Quum verò in Asiam peruenisset, & legatus Antiochi & Heraclides Byzantius præstò fuisset vt de pace ageret, & publicè expositis mandatis æquas conditiones impetrare nõ potuisset, priuatim, sicut præceptum erat, Aphricanũ adiisse traditur, ac multis modis tentasse animum viri, vt in regis desiderium traheret. Nam & filium ado B lescentem quem captum in potestate haberet, Antiochum remissurum dixit, & Aphricanum in totius regni societatem, titulo tantùm sibi reseruato, libentissimè suscepturum adiecit. P. autem Scipio sicut multis aliis virtutibus, ita fide & probitate præstans, cæteris posthabitis filiũ vt gratum munus se accepturũ respondit, & pro priuato officio quantum in eo esset, priuatam gratiam relaturum. Sed ante omnia regem hortari vt abiectis belli consiliis, quascunque dederit senatus populúsque Romanus conditiones accipiat. Paucis verò pòst diebus Antiochus filium ad P. C Scipionem, vt pollicitus erat, remisit: quem alii iam inde ab initio belli à Chalcide Oricum petẽtem, alii paruo nauigio traiicientem, quidam proficiscentem exploratum consilia hostium, captum fuisse tradunt, atque eo tempore ad patrem Eleæ ægrotantem remissum dicunt. Ea indulgentia regis, gratissima (vt par erat) Aphricano fuit, visúsque ex longo interuallo adolescens animum eius solicitum & corpus ægrum magnopere recreauit. Verùm P. Scipio vt a- D liquòd grati animi indicium præ se ferret, per legatos qui ad eum venerant, amplissimas gratias Antiocho egit pro filio ad se remisso. Deinde eum monuit ne prius in aciem descenderet quàm se ab Elea in castra reuersum sciret. Motus autoritate viri Antiochus, aliquandiu se castris continuit, & prælium in longum differendum putauit, sperans per Aphricanum se aliquem aditum ad consulem habiturum.

A Postea verò quum consul ad Magnesiam consedisset, & lacessendo atque irritando hostem ad pugnam exciuisset, cōtinere se non potuit rex quin iusta acie decertaret. Ei prælio inter alios regios duces Annibal Carthaginensis interfuisse traditur. Victus profligatúsque Antiochus, quū perditis rebus nullum remedium esse censeret, ad Aphricanum, qui paulo post commissam pugnam leuatus morbo in castra venerat, confugit, ac per eum à consule impetrauit vt de pace agi liceret. Veniētibus ergo in castra legatis An-
B tiochi, petētibúsq; vt regi suo ignoscerēt, & quascūque vellent conditiones dicerent pacis: Aphricanum ex communi omnium sententia respondisse tradunt, non esse consuetudinem Romanorum vt vel aduersis rebus succumbere, vel secundis efferri sciant. Easdem conditiones quas ante victoriam detulissent, se deferre, vt Europa abstineat rex, cis Taurum mōtem vsque ad Tanaim amnem possessione Asiæ cedat, in viginti annos tributum pendat, viginti obsides ex arbitrio consulis dedat. Et ante omnes Annibalem Pœ
C num cōcitatorem belli poposcit. Sed is, vt in eius vita scripsimus, terra maríque fractas videns Antiochi opes, se manibus Romanorum surripuerat, & ad Prusiam Bithyniæ regē perfugerat. Antiochus acceptis conditionibus pacis, benignè sibi à populo Rom. factum dixit quòd magna cura liberatus, modicis regni terminis vteretur. Ampla enim imperia & nimiæ quæ expetuntur opes, tot támque varias & vndique circūfusas molestias habent, vt nō minus verè quàm eleganter à Theocrito dictum sit,

D

*Non mihi sint nec opes Pelopis, nec multa talenta,*
*Nec celeri cursu ventos superare fugaces:*
*At vacuo curis liceat cantare sub antro,*
*Et procul è specula mare prospectare profundum.*

Consul debellato potentissimo rege Asiæ, celeriúsque opinione omnium bello maximo confecto, Romam rediit, & specioso triumpho vrbem est inuectus. Cognomen quoque ex deuicta prouincia meruit, vt sicut antè Aphricanus ob Aphricā, sic etiam iste Asiati-

cus ob Asiam subactam diceretur. Nec P. Scipio, cu- A
ius consilio L. frater remp. felicissimè gesserat, expers honorum fuit. Nam paulo pòst duo clari censores T. Q. Flaminius & M. Claudius Marcellus eũ principẽ senatus tertio legerunt: sicque iis duobus lustris ex quo est ab initio constitutus, in ea dignitate permansit. Verùm operæpretium est contemplari quàm varia & quàm imbecillis sit rerum humanarũ cõditio. Erat ea tempestate cumulata omni genere honoris Scipionum Corneliæque gentis gloria, & Aphricani autoritas in eum gradum peruenerat vt non esset pri- B
uato viro in libera ciuitate vlterius expetẽdum. Hãc magnitudinem sustinere non potuit inimicorum inuidia, sed erupit tandem ea quæ animis latebat, & in tantarum rerũ autores sese effudit. Nam duo tribuni plebis, Porcii Catonis (vt quidam suspicantur) opera concitati, diem P. Aphricano dicunt, & pecuniæ ab Antiocho rege acceptæ, & non in publicum relatæ eum insimulant. Is suæ probitatis conscius, vocanti magistratui paret, ac ingenti fiducia animi in forum progressus, orationem amplam magnificámque ha- C
bet de rebus à se pro rep. gestis: quarum cõmemoratio non pro gloria, sed pro suo periculo habita à multitudine, quæ ibi frequens aderat, æquis animis recipitur. Instant tamen tribuni, multis calumniis hominem onerant, & quasi culpæ obnoxium, suspicionibus magis quàm argumentis accusant. Sequenti die citatus iterum Aphricanus, ad constitutam horam præstò adest, & cum magno comitatu amicorum per mediam concionem ad rostra progreditur. Ibi silentibus cunctis, Memini, inquit, Quirites, me tali die D
de Annibale & Pœnis egregiam victoriam consequutum: quamobrem postpositis litibus hinc eundum in Capitolium censeo, vt pro rep. felicissimè gesta diuino numini gratias agamus. Proficiscentem deinde P. Scipionem non modò in Capitolium, sed etiam ad omnia templa vrbis, sequuta vniuersa concio est, magistratu cum solis ministris relicto. Hæc velut vltima prosperitatis dies & frequentia hominum, &

A beneuolentiæ significatione, quacunque antecedente felicior Aphricano illuxit. Nam postea ruri agere vitam procul ambitione ac foro constituit. Itaque Linternum se contulisse traditur, seu vehementi indignatione commotus, quòd post tanta beneficia in ciuitatem collata, pro mercede ignominiam reportaret: seu quia satietate gloriæ captus, generosius duceret sponte inimicorum inuidiæ cedere quàm vi & armis magnitudinem suam tueri. Accusantibus deinde tribunis contumaciam viri, ac L. fratre absentiæ

B suæ causam in ægritudinem referente, vnùs è tribunis plebis Tiberius Gracchus, cui simultates cum Aphricano erant, contra opinionem omnium hanc excusationem accepit, & Scipionis causam modò cum summis laudibus efferendo, modò aduersarios deterrendo, sic egregiè tutatus est vt postea senatus frequens, qui hanc iniuriam iniquo ferebat animo, amplissimas ei gratias egerit. Sunt autem qui volunt Publium Scipionem priusquam Linternum concederet, librum pro reddenda ratione à L. fratre in sena-

C tum allatum suis manibus concerpsisse, atque id non fraude aut arrogantia fecisse, sed eadem fiducia animi qua aliquando in quæstores est vsus, quum claues ad aperiendum ærarium contra leges poposcit vt necessitati reipub. subueniret. Quidam etiam dicunt, non Aphricanum, sed Asiaticum fuisse quem tribuni plebis in iudicium vocarunt: & P. Scipionem, qui in Hetruria per id tempus erat legatus, hac re cognita celeriter in vrbem rediisse, & primo aduentu quũ offendisset L. fratrem damnatum, & paratos mini-

D stros qui eum vinctum in carcerem ducerent, sic animo exarsisse vt viatorem tribunósq; plebis vi à corpore fratris repulerit. Adiiciunt præterea, Tiberium Gracchum tribunum plebis questum primò, solutam esse à priuato tribunitiam potestatem, deinde postpositis simultatibus quæ sibi cum Scipionib' intercedebant, eorum patrocinium suscepisse, vt tribuni potius à tribuno, quàm à priuato victi viderentur. Eodem die senatum in Capitolio cœnantem autorem

fuiſſe ſcribunt vt Aphricanus minorem ex filiabus A
Tiberio Graccho deſponderet. Hac ſponſione facta rediens domum P. Scipio, quum vxori nouam affinitatem nunciaſſet, indignata mulier dixiſſe fertur, non debuiſſe eum inconſulta matre filiam deſpõdere, etiamſi Tiberio Graccho locare potuiſſet. Id reſponſum Scipioni iucundiſſimum fuit, quum vidit coniugem in eandem ſententiam in qua ipſe conſtiterat, de locanda filia incidiſſe. Nec ſanè me fugit hæc quæ modò dixi, nonnullos de Tiberio filio & Appio Claudio eius ſocero tradidiſſe. Nam Polybius B
& alii locupletiſſimi autores, Corneliam quæ Caium & Tiberium peperit, poſt mortem Aphricani Graccho nupſiſſe ſcribunt. Fuit enim Aphricano Æmilia vxor L. Pauli filia, qui conſul pro rep. ad Cannas occubuit. Ex ea genuit filias duas, quarum maiorem natu P. Cornelio Naſicæ, minorem ſeu in vita ſeu poſt mortem patris, Tiberio certè Graccho nuptam conſtat. De filiis verò pauca reperiuntur quæ pro certis afferri poſſint. Diximus de adoleſcẽte ab Antiocho capto, & ad patrem liberaliter remiſſo: de quo C
nullam poſtea ſcriptores, quod compertum habeam, mentionem faciunt, niſi quòd eum præturam geſſiſſe, & in magiſtratu conſequendo à Cicereio patris ſcriba adiutum fuiſſe quidam autores ſunt. Proditum quoque memoriæ eſt, Aphricanum minorem à filio P. Scipionis adoptatum fuiſſe. M. Cicero in eo libro qui Cato maior inſcribitur, Quàm fuit imbecillis, inquit, P. Aphricani filius is qui te adoptauit! Et in ſexto De rep. libro pater Æmili' Scipionem filium hortatur vt ſicut Aphricanus auus colat iuſtitiã D
& pietatem. De exitu autem P. Scipionis varia ſcriptores tradidere. Alii Romæ mortuum elatúmque ſcribunt, & ad fidem huius rei monumentum ad portam Capenam ei factum, & tres ſtatuas ſuperlocatas ferunt, quarum duæ P. & L. Scipionum dicuntur eſſe: tertia, Q. Ennii poetæ. Huic ſententiæ illud Ciceronis cõuenire videtur: Charus, inquit, Aphricano ſuperiori fuit noſter Ennius. Itaq; etiam in ſepulcro

A Scipionum putatur is esse constitutus. Alii autores sunt,& frequentior fama est, Linterni Aphricanum mortuum,ibíque ex sua institutione sepultum esse, ne patria parum memor beneficiorum, suum funus celebraret: monumentúmque ei factum,ac statuam superpositam,quam postea tempestate disiectam Liuius se vidisse testatur.Præterea apud Caietã in marmoreo sepulcro æneáque vrna hæc inscripta repe riuntur:

*Deuicto Annibale,capta Carthagine,& aucto*
B *Imperio,hos cineres marmore tectus habes.*
*Cui non Europa,non obstitit Aphrica quondam,*
*(Respice res hominũ)quàm breuis Vrna premit!*

Ego verò quæritãs quo anno ætatis Aphricanus obierit, I I I I & L annos eum vixisse, pāulóq; pòst interiisse,apud quosdam oratores Græcos inueni. Fuit autem vir non solùm omni bellica laude dignus, sed etiam domesticis virtutibus præstans:quæ sic eius animum ingeniúmque alebant vt dicere solitus sit,nũquam se minus otiosum esse quàm quum otiosus:nec C minus solum quàm quum solus esset.Interdum enim multitudinem consultò fugiens, tanquam in portum se in solitudinem recipiebat.Sed ea erat rerum gestarum gloria,vt quocunque proficisceretur, cõcursum omnis generis hominum commoueret. Tradit fama quum in Linternum secessisset, prædones quosdam cum salutatum venisse,vt tantum virum intuerentur, dextrámque illius fide & victoriis præstantem contingerent. Magna est enim virtutis vis, & magna apud omnes gentes,quum nõ solùm bonos,sed etiam D improbos ad se amandum alliciat.

Iam verò res admonere videtur vt Scipionis & Annibalis gesta, & ea quæ ad domesticam pertinent disciplinam, paucis verbis conferamus. Primùm si res bellicas considerare velimus,satis constat ambos fuisse summos præstantissimósque belli duces,ac nõ modò ætatis suæ,qua nulla bellacissimorum virorum feracior fuit, sed etiam superiorum temporum cuilibet regum imperatorúmve pares. Id autem mirari

liber,

libet, quum potentissimos aduersarios domi habe- A
rent qui omnia sua consilia oppugnare nitebantur,
tanta eos in externis bellis sustinere aut perficere po
tuisse. Nam, vt cætera omittam, P. Scipio aduersante
Fabio Maximo, aliisque principibus ciuitatis, quanta
contentione perfecit vt in Aphricam mitteretur ad
gerendum ex propinquo Carthaginensibus bellum?
Annibal verò quem aut qualem aduersariū habuit
Hannonem principem factionis aduersæ? Ambo i-
gitur multis domi forisque difficultatibus victis, non
felici quadam temeritate, vt plerisque contigit, sed B
arte, ingenio, consilio, res omni memoria dignas gess
sere. Verùm Annibalis ferociā plerique mirantur,
qui expugnata Sagunto ausus sit ab vltimis terrarum
finibus in Italiam venire, ingentes peditum equitúm
que copias secum ducere, validissimam remp. quam
maiores sui non mediocriter formidauerant, bello la
cessere, multis exercitibus, cōsulibus, imperatoribus
cæsis, sub mœnibus Romanæ vrbis castra ponere, ex-
ternos reges, lōginquas nationes commouere ad in- C
ferenda Romanis arma. Hæc qui fecerit, maximum
ac fortissimum ducem habendum putant. Alii verò
in Scipionem conuersi, summis eum efferunt laudi-
bus, quatuor nobilissimos duces, quatuor exercitus
in Hispania fusos fugatósq;, deuictū & captū ingētis
nominis regē enarrant. Postremò illam memorabilē
pugnam extollūt qua Scipio collatis signis Annibalē
profligauit. Nā si Fabio, inquiūt, laudi datū fuit quia
non est à Pœno superatus, quid de Aphricano dicen-
dum erit qui celeberrimum ducem magno prælio fu D
dit, & grauissimū bellū cōfecit? Hunc insuper aperto
Marte bella gerere, cum hoste æquo campo cōgredi
consuesse memorant. Annibalē contrà insidiis, dolis,
atque omni genere fallaciæ vti solitum tradunt. Ita-
que omnes Græci Latinique scriptores callidissimū
ducem appellant. Sunt præterea qui Annibalem lau-
dandum censent quòd tam diuturno tempore quo
bellum cum Romanis gessit, exercitum conflatum
ex omni genere hominum sic quietum & cōcordem

A tenuit vt nulla vnquam in castris audita seditio sit. Vituperandum econtrà arbitrantur quòd post illam memorabilem cladem Romanis illatam, segniter sit victoria vsus: quòd Campaniæ Apuliæque deliciis sic milites suos corruperit, vt non iidem postea viderētur qui Romanos ad Trebiam, ad Thrasimenum, ad Cannas fudissent. Hæc quũ omnes autores in eo reprehendant, tum perfidiam & crudelitatem maximè detestantur. Nam, vt cætera omittam, quæ immanitas illa fuit, quum hominis Arpinatis vxorem & li-
B beros in castris accitos viuos cōbussit? Quid de illis dicendũ quos ex Italia decedens in Iunonis Laciniæ delubro necari iussit? At Scipionem, si scriptoribus magis quàm inuidorum calumniis credere libet, moderatissimum ducem, nec solùm in pugna strenuum sed etiam post victoriam clementem fuisse dicemus. Itaque sæpissimè accidit vt eiusdem virtutem hostes, misericordiam victi, fidem cæteræ gentes experirentur. Iam verò cōtinentia & liberalitas viri quanta aut qualis fuit qua in virginem captiuam, qua in Luceiũ
C principem Celtiberorũ est in Hispania vsus? Quod autem ad vtrunque attinet, ambo liberalibus artibus eruditi, ambo doctorum hominum amatores fuisse dicuntur. Tradunt enim vt Aphricanum Ennio, sic Annibalem Sosillo Lacedæmonio familiarissimè vsum. Sunt etiam qui Pœnum literarum Græcarum non modò non ignarum fuisse scribunt, sed in hoc quoque genere laudis tantum ei tribuunt vt historiam de rebus gestis Manlii Vulsonis Græco sermone scripsisse velint. Ego verò M. Tullio libenter ad-
D hæreo, qui in libro De oratore, Annibalem dicit audiuisse Ephesi peripateticũ Phormionem de imperatoris officio & de omni re militari copiosissimè disserentem, paulóque pòst rogatum quídnam de illo philosopho iudicaret: respondisse, Non optimè Græcè, attamen Græcè, multos se deliros vidisse senes, sed qui magis quàm Phormio deliraret, vidisse neminem. Ambo præterea apti in dicendo, Annibal etiam acutus in respondendo fuisse traditur. Quum

aliquãdo Antiochus populo Romano bellum illaturus, copias in aciem deduxisset non tam armis quàm auro argentóque ornatas, quæsiuit à Pœno, an satis hæ copiæ sibi viderentur. Tum ille, Satis, inquit, ô rex, quanuis hostes auarissimi sint. Illud autem verè dici potest, Annibalem res gessisse magnas, attamen reip. suæ calamitosas. Causa enim perniciosissimi belli, causa pestis atque exitii fuit. Scipio contrà sic remp. suam protexit, patriam conseruauit, imperium auxit, vt qui ea meminerunt, Romam ingratam appellare non dubitent, quæ Aphricanum seruatorem vrbis cedere ex vrbe maluit quàm paucorum furorem audaciámque reprimere. Ego verò nec eam ciuitatem gratam appellare possum quæ præstantissimi viri simul & innocentissimi tam abiectè ignominiam tulit: nec tam vituperare scio quàm vituperandam censerem si ad eam iniuriam inferendam contulisset manus. Verùm senatus, vt omnes autores asseuerant, Tiberio Graccho opem Scipionibus afferenti gratias egit: & plebs relictis tribunis qui reum citabant, per omnia templa vrbis Aphricanum sequuta, facilè declarauit quanta beneuolentia quantóq; honore dignum censeret Scipionum nomen. Quòd si ex talibus indiciis ciuium animi metiendi sint, non tam ingrata ciuitas in abiicienda beneficiorum memoria, quàm in toleranda iniuria lenis mollísque censenda erit. pauci enim fuere qui, reliquis indignantibus, tale facinus audiendum putarunt. Cæterùm vir magni animi Scipio facilè contemnens inimicorum inuidiam, cedere ex vrbe maluit quàm intestinis discordiis ciuitatem euertere. Nec tamen ipse vt Coriolanus, Alcibiades, alíique permulti ex antiquorum memoria, infesta patriæ signa inferenda putauit, nec exteras gentes, potentissimos reges commouendos censuit, vt eorum auxiliis fultus, ei ciuitati vim afferret quam spoliis triumphísque decorarat. Quantum enim Romanæ libertati consuluerit, facilè intelligi potuit quum regale nomen ab Hispanis delatum repudiauit: quum populo Romano

Margin letters: A (beside line 1), B (beside "appellare non dubitent…"), C (beside "bant, per omnia templa…"), D (beside "intestinis discordiis…").

A succensuit quòd eum perpetuum consulem & dictatorem vellet facere: quũ in comitio, in rostris, in Capitolio sibi statuas fieri vetuit. Quæ omnia posteris temporibus ad Cæsarem, qui Pompeium profligauit, à seruientibus ciuibus sunt delata. Hæ igitur aliæque eiusdem generis sunt Aphricani propriæ virtutes, maximæ ac verissimæ laudes continentiæ. Verùm vt hæc omnia ad vnam summam referantur, hi duo celeberrimi duces non tam domesticis virtutibus quibus Scipio magnopere præstitit, quàm bellicis artibus & rerum gestarum gloria, comparabiles

B esse videntur. Exitus quoq; vitæ similitudinem quãdam præ se ferunt, quòd ambo extra patrium solum obierunt: quanquam Scipio non à rep. damnatus vt Annibal, sed voluntario sibi exilio indicto vitam extra vrbem finiendam putauit.

A

# AEMILII PROBI, SEV CORNELII NEPOTIS, De vita excellentium imperatorum, ad T. Pomponium Atticum, Liber prior.

B

## AVTORIS PRAEFATIO.

NON dubito fore plerosque, Attice, qui hoc genus scripturæ leue, & non satis dignum summorum virorum personis iudicent: quum relatum legent, quis musicam docuerit Epaminondam: aut in eius virtutibus commemorari, saltasse eum C commodè, scientérque tibiis cantasse. Sed hi erunt ferè qui expertes literarũ Græcarum, nihil rectum nisi quod ipsorũ moribus conueniat, putabunt. Qui si didicerint, non eadem omnibus esse honesta atque turpia, sed omnia maiorum institutis iudicari: non admirabuntur, nos in Graiorum virtutibus exponẽdis mores eorum sequutos. Neq; enim Cimoni fuit turpe, Atheniensium summo viro, sororem germa- D nam habere in matrimonio: quippe quum ciues eius eodem vterentur instituto. at id quidem nostris moribus nefas habetur. Laudi in Græcia ducitur adolescentulis, quamplurimos habere amatores. Nulla Lacedæmoni tam est nobilis vidua quæ non ad scenam eat mercede conducta. Magnis in laudibus tota fuit Græcia, victorem Olympiæ citari. In scenam verò prodire & populo esse spectaculo, nemini in eisdem gentibus fuit turpitudini. Quæ o-

A mnia apud nos partim infamia, partim humilia atque ab honestate remota ponuntur. Cōtra ea, pleraque nostris moribus sunt decora quæ apud illos turpia putantur. Quem enim Romanorum pudet vxorē ducere in conuiuium? aut cuius materfamiliâs nō primum locum tenet ædium, atque in celebritate versatur? Quod multo fit aliter in Græcia. nam neq; in cōuiuiū adhibetur, nisi propinquorum: neque sedet nisi in interiore parte ædium, quæ γυναικωνῖτις appellatur: quò nemo accedit nisi propinqua cognatione cōiunctus.
B Sed plura persequi tum magnitudo voluminis prohibet, tum festinatio, vt ea explicem quæ exorsus sum. Quare ad propositum veniemus, & in hoc exponemus libro vitas excellentium imperatorum.

## MILTIADIS

### VITA, I.

C MILTIADES, Cimonis filius, Atheniēsis, quum & antiquitate generis, & gloria maiorum, & sua modestia vnus omnium maximè floreret: eáque esset ætate vt non iam solùm de eo bene sperare, sed etiam confidere ciues possent sui, talem futurū qualem cognitum iudicarunt; accidit vt Athenienses Chersonnesum colonos vellent mittere. Cuius generis quum magnus numerus esset, & multi eius demigrationis peterent societatem: ex his delecti Delphos deliberatum missi sunt, qui consulerent Apollinem
D quo potissimùm duce vterentur. Nam tum Thraces eas regiones tenebant, cum quibus armis erat dimicandum. His cōsulētibus nominatim Pythia præcepit vt Miltiadē sibi imperatorē sumerēt. Id si fecissent, incepta prospera futura. Hoc oraculi respōso, Miltiades cū delecta manu, classe Chersonnesum profectus, quū accessisset Lemnū, & incolas eius insulæ sub potestatem redigere vellet Atheniensium, idq; vt Lemnii sua sponte facerent, postulasset: illi irridentes

reſponderunt,tum id ſe facturos quum ille domo nauibus proficiſcens, vento Aquilone veniſſet Lemnũ. Hic enim ventus à ſeptentrionibus oriens,aduerſum tenet Athenis proficiſcentibus. Miltiades morandi tempus non habens, curſum direxit quò tẽdebat, perueni tque Cherſonneſum. Ibi breui tempore barbarorum copiis diſiectis,tota regione quam petierat potitus, loca caſtellis idonea cõmuniuit: multitudinẽ quam ſecum duxerat,in agris collocauit, crebríſque excurſionibus locupletauit:neque minus in ea re prudentia quàm felicitate adiutus eſt.Nam quum virtute militũ deuiciſſet hoſtium exercitus, ſumma æquitate res conſtituit: atque ipſe ibidem manere decreuit.Erat enim inter eos dignitate regia, quanuis carebat nomine:neque id magis imperio quàm iuſtitia cõſequutus. Neq; eò ſecius Athenienſibus à quibus erat profectus,officia præſtabat.Quibus rebus fiebat vt non minus eorũ volũtate perpetuò imperium obtineret qui miſerant,quàm illorum cum quibus erat profectus. Cherſonneſo tali modo cõſtituta,Lemnũ reuertitur: & ex pacto poſtulat vt ſibi vrbem tradãt. Illi enim dixerant, quum vento Borea domo profectus,eò perueniſſet, ſeſe dedituros. ſe autem domum Cherſonneſi habere. Cares qui tum Lemnũ incolebant,etſi præter opinionẽ res cecciderat, tamen non dicto ſed ſecunda fortuna aduerſariorũ capti, reſiſtere auſi non ſunt, atque ex inſula demigrarunt. Pari felicitate cæteras inſulas quæ Cyclades nominantur, ſub Athenienſiũ redegit poteſtatem. Eiſdẽ temporibus Perſarum rex Darius ex Aſia in Europã exercitu traiecto,Scythis bellum inferre decreuit: pontem fecit in Iſtro flumine, quà copias traduceret.Eius põtis,dum ipſe abeſſet,cuſtodes reliquit principes quos ſecum ex Ionia & Æolide duxerat: quibus ſingulis ipſarum vrbium perpetua dederat imperia. Sic enim putauit facilimè ſe Græca lingua loquentes qui Aſiã incolerent,ſub ſua retẽturum poteſtate,ſi amicis ſuis oppida tuenda tradidiſſet: quibus,ſe oppreſſo, nulla ſpes ſalutis relinqueretur. In hoc fuit tum numero

A Miltiades cui illa custodia crederetur. Hic quũ crebri afferrent nuncii, malè rem gerere Darium, premíque ab Scythis: Miltiades hortatus est pontis custodes ne à fortuna datam occasionem liberãdæ Græciæ dimitterent. Nam si cum his copiis quas secum transportauerat, interiisset Darius, non solùm Europam fore tutam, sed etiam eos qui Asiam incolerent Græci genere, liberos à Persarũ futuros dominatione & periculo. Id & facilè effici posse. Ponte enim rescisso, regem vel hostium ferro, vel inopia paucis diebus interiturũ.
B Ad hoc consiliũ quũ pleriq; accederent, Histiæus Milesius ne res cõficeretur obstitit, dicens, non idẽ ipsis, qui summas imperii tenerẽt, expedire & multitudini, quòd Darii regno ipsorũ niteretur dominatio. Quo extincto ipsos potestate expulsos ciuib' suis pœnas daturos. Itaq; adeò se abhorrere à cæterorũ cõsilio, vt nihil putet ipsis vtilius quàm cõfirmari regnũ Persarũ. Hui' quũ sentẽtiã plurimi essent sequuti, Miltiades nõ dubitans, tã multis cõsciis, ad regis aures cõsilia sua peruẽtura, Chersonnesũ reliquit,
C ac rursus Athenas demigrauit. Cuius ratio etsi nõ valuit, tamẽ magnopere est laudãdus, quũ amicior omniũ libertati quàm suæ fuerit dominationi. Darius autẽ quũ ex Europa in Asiã rediisset, hortãtibus amicis vt Græciã in suã redigeret potestatẽ, classem quingẽtarũ nauiũ cõparauit, eíque Datin præfecit & Artaphernẽ: hísq; ducẽta peditũ millia, decẽ equitum dedit, causam interferens, se hostẽ esse Atheniẽsibus, quòd eorum auxilio Iones Sardis expugnassent, suáque præsidia interfecissent. Præfecti regii classe ad
D Eubœã appulsa, celeriter Eretriam ceperunt: omnésque eius gentis ciues abreptos, in Asiam ad regẽ miserunt. Inde ad Atticam accesserunt, ac suas copias in campum Marathona deduxerunt. Is est ab oppido circiter millia passuum decem. Hoc tumultu Athenienses tam propinquo támque magno permoti, auxilium nusquã nisi à Lacedæmoniis petiuerunt: Phidippidémque cursorem eius generis qui hemerodromi vocantur, Lacedæmonem miserunt, vt nunciaret

quàm celeri opus esset auxilio. Domi autem creati decem prætores, qui exercitui præessent: in eis Miltiades. Inter quos magna fuit contentio vtrum mœnibus se defenderent, an obuiam irent hostibus, aciéque contenderent. Vnus Miltiades maximè nitebatur vt primo quoque tempore castra fierent. Id si factum esset, & ciuibus animum accessurum, quum viderent de eorum virtute non desperari: & hostes eadem re fore tardiores, si animaduerterent, auderi aduersus se tam exiguis copiis dimicare. Hoc tempore nulla ciuitas Atheniensibus auxilio fuit præter Platæensium. ea mille misit militum. Itaque horum aduentu decem millia armatorum completa sunt: quæ manus mirabili flagrabat pugnandi cupiditate. Quo factum est vt plus quàm collegæ Miltiades valuerit. Eius enim autoritate impulsi Athenienses, copias ex vrbe eduxerunt, locóque idoneo castra fecerunt. Dein de postero die sub mōtis radicibus acie è regione instructa, noua arte, vi summa prælium commiserunt. Namque arbores multis locis erant raræ, hoc consilio, vt & montium tegerentur altitudine, & arborum tractu equitatus hostium impediretur, ne multitudine clauderentur. Datis, etsi non locum æquum videbat suis, tamen fretus numero copiarum suarum, confligere cupiebat: eóque magis quòd prius quàm Lacedæmonii subsidio venirent, dimicare vtile arbitrabatur. Itaque in aciem peditum centum, equitum decem millia produxit, præliúmque cōmisit. In quo tanto plus virtute valuerunt Athenienses, vt decemplicem numerum hostium profligarēt: adeóque perterruerunt, vt Persæ non castra, sed naues peterent. Qua pugna nihil adhuc est nobilius. nulla enim vnquam tam exigua manus tantas opes prostrauit. Cuius victoriæ non alienum videtur quale præmiū Miltiadi sit tributum, docere: quò faciliùs intelligi possit, eandem omnium ciuitatum esse naturam. Vt populi nostri honores quondam fuerunt rari & tenues, ob eámque causam gloriosi, nunc autem effusi atque obsoleti: sic olim apud Athenienses fuisse reperimus.

A Namque huic Miltiadi, qui Athenas totámque Græciam liberauit, talis honos tributus est in porticu quæ Pœcile vocatur, quum pugna depingeretur Marathonia: vt in decem prætorum numero prima eius imago poneretur, ísque hortaretur milites, prælíumque committeret. Idem ille populus posteaquam maius imperium est nactus, & largitione magistratuum corruptus est, trecentas statuas Demetrio Phalereo decreuit. Post hoc prælium classem septuaginta nauium Athenienses eidem Miltiadi dederunt, vt insulas

B quæ barbaros adiuuerant, bello persequeretur. Quo imperio plerasque ad officium redire coegit: nõ nullas vi expugnauit. Ex his Parum insulam opibus elatam, quum oratione reconciliare non posset, copias è nauibus eduxit, vrbem operibus clausit, omníque commeatu priuauit. Deinde vineis ac testudinibus constitutis, propius muros accessit. Quum iam in eo esset vt oppido potiretur, procul in continenti lucus qui ex insula conspiciebatur, nescio quo casu, nocturno tempore incensus est. Cuius flamma vt ab oppidanis & oppugnatoribus est visa, vtrisque venit

C in opinionem, signum à classiariis regiis datum. Quo factũ est vt & Parii à deditione deterrerentur, & Miltiades timens ne classis regia aduentaret, incensis operibus quæ statuerat, cum totidem nauibus atque erat profectus, Athenas magna cum offensione ciuium suorum rediret. Accusatus ergo proditionis, quòd quũ Parum expugnare posset, à rege corruptus, infectis rebus à pugna discessisset. Eo tempore æger erat vul-

D neribus, quæ in oppugnãdo oppido acceperat. Itaque quoniã ipse pro se dicere nõ posset, verba pro eo fecit frater eius Stesagoras. Causa cognita, capitis absolutus, pecunia mulctatus est. Eáque lis quinquaginta talentis æstimata est: quãtus in classem sumptus factus erat. Hanc pecuniam quòd soluere non poterat, in vincula publica cõiectus est, ibíque diem obiit supremum. Hic etsi crimine Pario est accusatus, tamen alia fuit causa damnationis. Namque Athenienses propter Pisistrati tyrannidem, quę paucis annis antè

fuerat, omnium suorum ciuium potentiam extimescebát. Miltiades multum in imperiis magistratibúsque versatus, non videbatur posse esse priuatus: præsertim quum consuetudine ad imperii cupiditatem trahi videretur. Nam Chersonnesi omnes illos quos habitarat annos, perpetuam obtinuerat dominationem, tyrannúsque fuerat appellatus, sed iustus. Non erat enim vi consequutus, sed suorũ voluntate, eámq; potestatẽ bonitate retinuerat. Omnes autẽ & habentur & dicũtur tyranni, qui potestate sunt perpetua in ea ciuitate quæ libertate vsa est. Sed in Miltiade erat cùm summa humanitas, tũ mira comitas, vt nemo tã humilis esset cui non ad eum aditus patêret: magna autoritas apud omnes ciuitates: nobile nomen: laus rei militaris maxima. Hæc populus respiciens, maluit eum innoxium plecti, quàm se diutius esse in timore. A B

## THEMISTOCLIS C

### VITA, II.

THEMISTOCLES, Neoclis filius, Atheniensis. Huius vitia ineũtis adolescentiæ, magnis sunt emendata virtutibus: adeò vt anteferatur huic nemo, pauci pares putentur. Sed ab initio est ordiendum. Pater eius Neocles generosus fuit: is vxorẽ Halicarnassiam ciuem duxit, ex qua natus est Themistocles. Qui quũ minus esset probatus parentibus, quòd & liberiùs iusto viuebat, & rem familiarem negligebat: à patre exhæredatus est. Quæ contumelia non fregit eum, sed erexit. Nã quum iudicasset, sine summa industria non posse eam exstingui, totum se dedit reipublicæ, diligentiùs amicis famæque seruiẽs. Multũ in iudiciis priuatis versabatur: sæpe in concionem populi prodibat: nulla res maior sine illo gerebatur: celeritẽtq; quæ opus erãt, D

A repperiebat. Neque minus in rebus gerẽdis promptus quàm excogitandis erat: quòd & de instantibus (vt ait Thucydides) verissimè iudicabat,& de futuris callidissimè coniiciebat. Quo factum est vt breui tempore illustraretur. Primus autem gradus fuit capessendæ reipublicæ, bello Corcyræo. Ad quod gerendum prætor à populo factus, non solùm præsenti bello, sed etiam reliquo tempore, ferociorem reddidit ciuitatẽ. Nam quum pecunia publica quæ ex metallis redibat, largitione magistratuum quotannis interiret: ille B persuasit populo vt ea pecunia classis cẽtum nauium ædificaretur. Quæ celeriter effecta, primùm Corcyræos fregit: deinde maritimos prædones consectando, mare tutum reddidit. In quo cùm diuitiis ornauit, tum peritissimos belli naualis fecit Athenienses. Id quantæ saluti fuerit vniuersæ Græciæ, bello cognitum est Persico. Nam quum Xerxes & mari & terra bellum vniuersæ inferret Europæ, cum tantis eam copiis inuasit quantas neque antè neque postea habuit quisquam. Huius enim classis mille & ducentarum nauium longarum fuit, quam duo millia onerariarũ C sequebantur. Terrestres autem exercitus, septingentorum millium peditum, equitum quadringẽtorum millium fuerunt. Cuius de aduentu quum fama in Græciam esset perlata,& maximè Athenienses peti dicerentur, propter pugnam Marathoniam: miserunt Delphos consultum quidnam facerent de rebus suis. Deliberantibus Pythia respõdit vt mœnibus ligneis se munirent. Id responsum quò valeret quum intelligeret nemo, Themistocles persuasit, consilium esse Apollinis vt in naues se suáque cõferrent. eum enim D à deo significari murum ligneum. Tali consilio probato, addunt ad superiores totidem naues triremes, suáque omnia quæ moueri poterant, partim Salaminem, partim Trœzenem asportant: arcem sacerdotibus paucísque maioribus natu, ac sacra procuranda tradunt: reliquum oppidũ relinquunt. Huius consilium plerisque ciuitatibus displicebat, & in terra dimicari magis placebat. Itaque missi sunt delecti cum

Leonida Lacedæmoniorum rege, qui Thermopylas A
occuparent,longiúsque barbaros progredi non pate
rētur. Hi vim hostium non sustinuerunt,eóque loco
omnes interierunt.At classis communis Græciæ tre-
centarum nauium , in qua ducentæ erant Athenien-
sium,inter Eubœam continentémque terram cũ clas
siariis regis conflixit. Angustias enim Themistocles
quærebat,ne multitudine circumiretur. Hîc etsi pari
prælio discesserant, tamen eodem loco non sunt ausi
manere,quòd erat periculum ne, si pars nauium ad- B
uersariorum Eubœam superasset,ancipiti premeren-
tur periculo. Quo factum est vt ab Artemisio discede
rent, & aduersum Athenas apud Salamina classem
suam constituerent. At Xerxes Thermopylis expu
gnatis, protinus accessit Astu: ídque nullis defenden-
tibus,interfectis sacerdotibus quos in arce inuenerat,
incendio deleuit.Cuius fama perterriti classiarii, quũ
manere non auderent,& plurimi hortarentur vt do-
mos suas quisque discederent,mœnibúsque se defen
derent: Themistocles vnus restitit, & vniuersos esse C
pares aiebat:dispersos testabatur perituros.Idque Eu
rybiadi regi Lacedæmoniorum,qui tum summæ im-
perii præerat, fore affirmabat. Quem quum minus
quàm vellet,moueret, noctu de seruis suis quem ha-
buit fidelissimum,ad regem misit,vt ei nunciaret suis
verbis, aduersarios eius in fuga esse. Qui si discessis-
sent,maiore cum labore & longinquiore tempore
bellum confecturum,quum singulos consectari coge
retur:quos si statim aggrederetur,breui vniuersos op
pressurũ. Hoc eò valebat vt ingratiis ad depugnandũ D
omnes cogerētur. Hac re audita,Barbarus nihil do-
li subesse credens,postridie alienissimo sibi loco,con-
trà opportunissimo hostibus,adeò angusto mari con
flixit vt eius multitudo nauium explicari non potue
rit.Victus est ergo magis cõsilio Themistoclis quàm
armis Græciæ.. Hîc barbarus etsi malè rem gesse-
rat,tamen tantas habebat reliquias copiarum,vt etiã
cum his opprimere posset hostes. Interim tamen ab
eodem gradu depulsus est.Nam Themistocles verēs

A ne bellare perſeueraret, certiorem eum fecit id agi vt pons quem ille in Helleſponto fecerat, diſſolueretur, ac reditu in Aſiam excluderetur. Idque ei perſuaſit. Itaque quà ſex menſibus iter fecerat, eàdem minus diebus triginta in Aſiam reuerſus eſt: ſeque à Themiſtocle non ſuperatum, ſed conſeruatum iudicauit. Sic vnius viri prudentia Græcia liberata eſt, Europæque ſuccubuit Aſia. Hæc altera victoria, quæ cum Marathonio poſſit comparari tropæo. Nam pari modo apud Salamina paruo numero nauium maxima
B poſt hominum memoriam claſſis eſt deuicta. Magnus hoc bello Themiſtocles fuit, neque minor in pace. Quum enim Phalereo portu neque magno neque bono Athenienſes vterentur, huius conſilio triplex Piræei portus conſtitutus eſt: iſque mœnibus circundatus, vt ipſam vrbem dignitate æquipararet, vtilitate ſuperaret. Idémque muros Athenienſium reſtituit præcipuo ſuo periculo. Namque Lacedæmonii cauſam idoneam nacti, propter excurſiones barbarorũ, quare negarent oportere extra
C Peloponneſum vllam vrbem haberi, ne eſſent loca munita quæ hoſtes poſſiderent: Athenienſes ædificantes prohibere ſunt conati. Hoc longè aliò ſpectabat atque videri volebant. Athenienſes enim duabus victoriis, Marathonia & Salaminia, tantam gloriam apud omnes gentes erant conſequuti, vt intelligerent Lacedæmonii de principatu ſibi cum his certamẽ fore. quare eos quam infirmiſſimos eſſe volebant. Poſtquam autem audierunt muros ſtrui, legatos Athenas miſerunt qui id fieri vetarent. His præſentibus
D deſierunt, ac ſe de ea re legatos ad eos miſſuros dixerunt. Hanc legationem ſuſcepit Themiſtocles, & ſolus primò profectus eſt: reliqui legati, vt tum exirent quum ſatis altitudo muri exſtructa videretur præcepit: atque vt interim omnes ſerui atque liberi opus facerent, neque vlli loco parcerent. ſiue ſacer eſſet, ſiue profanus, ſiue priuatus, ſiue publicus: ſed vndique quod idoneum ad muniendum putarent, cõgererent. Quo factũ eſt vt Athenienſiũ muri ex ſacellis

ſepulcriſque conſtarent. Themiſtocles autem vt Lacedæmonem venit, adire magiſtratus noluit: & dedit operam vt quamlongiſſimè tempus duceret, cauſam interponēs, ſe collegas exſpectare. Quum Lacedæmonii quererentur opus nihilominus fieri, eúmque ea re conari fallere: interim reliqui legati ſunt cōſequuti. à quibus quum audiſſet non multum ſupereſſe munitionis, ad ephoros Lacedæmoniorum acceſſit, penes quos ſummum imperium erat: atque apud eos cōtendit, falſa his eſſe delata. quare æquum eſſe, illos, viros bonos nobiléſque mittere quibus fides adhiberetur, qui rem explorarent, interea ſe obſidem retinerent. Geſtus eſt ei mos, tréſque legati functi ſummis honoribus, Athenas miſſi ſunt. Cum his collegas ſuos Themiſtocles iuſſit proficiſci: eíſque prædixit vt ne prius Lacedæmoniorum legatos dimitterēt quàm ipſe eſſet remiſſus. Hos poſtquā Athenas perueniſſe ratus eſt, ad magiſtratum ſenatúmque Lacedæmoniorum adiit, & apud eos liberrimè profeſſus eſt, Athenienſes ſuo conſilio, quod communi iure gentium facere poſſent, deos publicos ſuóſque patrios, ac penates, quò faciliùs ab hoſte poſſent defendere, muris ſepſiſſe: neque eò quòd inutile eſſet Græciæ feciſſe. Nā illorum vrbem vt propugnaculum oppoſitā eſſe barbaris. apud quam iam bis claſſis regia feciſſet naufragium. Lacedæmonios autem malè & iniuſtè facere, qui id potius intuerentur quod ipſorum dominationi, quàm quod vniuerſæ Græciæ vtile eſſet. Quare, ſi ſuos legatos recipere vellent quos Athenas miſerant, ſe remitterent, aliter illos nunquam in patriam eſſent recepturi. Hic tamen non effugit ciuium ſuorum inuidiam. nanque ob eundem timorem quo damnatus erat Miltiades, teſtularum ſuffragiis è ciuitate eiectus, Argos habitatum conceſſit. Hic quum, propter multas eius virtutes, magna cum dignitate viueret, Lacedæmonii legatos Athenas miſerunt qui eum abſentem accuſarent, quòd ſocietatem cum rege Perſarum ad Græciam opprimendam feciſſet. Hoc crimine abſens proditionis eſt damnatus. Id vt audi-

A uit, quòd non ſatis tutum ſe Argis videbat, Corcyram demigrauit. Ibi quum eius principes ciuitatis animaduertiſſet timere ne propter ſe bellum his Lacedæmonii & Athenienſes indicerent: ad Admetum Moloſſorum regem, cum quo ei hoſpitium fuerat, cõfugit. Huc quum veniſſet, & in præſentia rex abeſſet: quò maiore religione ſe receptum tueretur, filiam eius paruulam arripuit, & cum ea ſe in ſacrarium, quod ſumma colebatur cęremonia, coniecit. Inde nõ prius egreſſus eſt quàm rex eum, data dextra, in fidẽ B reciperet, quam præſtitit. Nam quum ab Athenienſibus & Lacedæmoniis expoſceretur publicè, ſupplicẽ non prodidit, monuítque vt conſuleret ſibi. difficile enim eſſe, in tam propinquo loco tutò eum verſari. Itaque Pydnam eum deduci iuſſit, & quod ſatis eſſet præſidii dedit. Hic in nauẽ omnibus ignotus aſcendit. Quæ quum tempeſtate maxima Naxum ferretur, vbi tum Athenienſium erat exercitus: ſenſit Themiſtocles, ſi eò perueniſſet, ſibi eſſe pereundum. Hac neceſſitate coactus, domino nauis quis ſit, aperit: multa C pollicens ſi ſe conſeruaſſet. At ille clariſſimi viri captus miſericordia, diem noctémque procul ab inſula in ſalo nauem tenuit in ancoris, neque quenquam ex ea exire paſſus eſt. Inde Epheſum peruenit: ibíque Themiſtoclem exponit: cui ille pro meritis gratiam poſtea retulit. Scio pleróſque ita ſcripſiſſe, Themiſtoclem Xerxe regnante in Aſiam tranſiſſe. Sed ego potiſſimùm Thucydidi credo, quòd ætate proximus erat qui illorum temporum hiſtoriam reliquerunt, & eiuſdem ciuitatis fuit. Is autem ait, ad Artaxerxem eũ D veniſſe, atque his verbis epiſtolam miſiſſe: Themiſtocles veni ad te, qui plurima mala omnium Graiorum in domum tuam intuli, quum mihi neceſſe fuit aduerſus patrem tuum bellare, patriámque meam defendere. Idem multo plura bona feci, poſtquam in tuto ipſe ego & ille in periculo eſſe cœpit. Nam quum in Aſiam reuerti nollet, prælio apud Salamina facto, literis eum certiorem feci, id agi vt pons quẽ in Helleſponto fecerat, diſſolueretur, atque ab hoſtibus circum-

cumueniretur. Quo nuncio ille periculo est liberatus. Nunc autem ad te confugi exagitatus à cuncta Græcia, tuam petēs amicitiam: quam si ero adeptus, non minus me bonum amicum habebis quàm fortē inimicum ille expertus est. Ea autem rogo, vt de his rebus quas tecum colloqui volo, annum mihi temporis des, eóque transacto me ad te venire patiaris. Huius Rex animi magnitudinem admirans, cupiēsque talem virum sibi conciliari, veniam dedit. Ille omne id tempus literis sermoníque Persarum dedit: quibus adeò eruditus est vt multo commodius dicatur apud regem verba fecisse quàm hi poterant qui in Perside erant nati. Hic quū multa regi esset pollicitus, gratissimúmque illud, si suis vti consiliis vellet, illum Græciam bello oppressurum: magnis muneribus ab Artaxerxe donatus, in Asiam rediit, domiciliúmque Magnesiæ sibi constituit. Nanque hanc vrbē ei rex donarat, his vsus verbis, quæ panem præberet: (ex qua regione quinquaginta ei talenta quotannis redibant) Lampsacum, vnde vinum sumeret: & Myuntem, ex qua obsonium haberet. Huius ad nostrā memoriā monumenta manserūt duo: sepulcrum, prope oppidū in quo est sepultus: statuæ in foro Magnesiæ. De cuius morte multis modis apud plerosq; scriptū est. Sed nos eundē potissimùm Thucydidē autorē probamus, qui illum ait Magnesiæ morbo mortuum: neque negat fuisse famam, venenum sua sponte sumpsisse, quum se quæ regi de Græcia opprimenda pollicitus esset, præstare posse desperaret. Idem ossa eius clàm in Attica ab amicis esse sepulta, quoniā legibus non concederetur, quòd proditionis esset damnatus, memoriæ prodidit.

A (line 1) — B (line 12) — C (line 20) — D (line 30)

## ARISTIDIS VITA, III.

ARISTIDES, Lysimachi filius, Atheniēsis, æqualis ferè fuit Themistocli, Itaq; cū eo de principatu contendit. Namque ob-

A trectarunt inter se. In his autem cognitum est quãto antestaret eloquẽtia innocẽtiæ. Quanquã enim adeò excellebat Aristides abstinentia, vt vnus post hominũ memoriam, quod quidem nos audiuerimus, cognomine Iustus sit appellatus: tamen à Themistocle collabefactus testula illa, exilio decem annorum mulctatus est. Qui quidem quũ intelligeret reprimi concitatam multitudinem non posse: cedénsque animaduerteret quendã scribentẽ vt patria pelleretur, quæsisse ab eo dicitur quare id faceret, aut quid Aristides

B commisisset cur tanta pœna dignus duceretur. Cui ille respondit, se ignorare Aristidem, sed sibi nõ placere quòd cupidè elaborasset vt præter cæteros Iustus appellaretur. Hic decem annorum legitimam pœnam non pertulit. Nam postquam Xerxes in Græciam descendit, sexto ferè anno quàm erat expulsus, plebiscito in patriam restitutus est. Interfuit autem pugnæ nauali apud Salamina, quæ facta est prius quàm pœna liberaretur. Idem prætor fuit Atheniensium apud Plataeas, in prælio quo Mardonius fusus, barbarorũmq;

C exercitus est interfectus. Neq; aliud est vllũ huius in re militari illustre factũ quàm huius imperii memoria: iustitiæ verò & æquitatis & innocentiæ multa. In primis, quòd eius æquitate factũ est, quum in communi classe esset Græciæ simul cũ Pausania, quo duce Mardonius erat fugatus, vt summa imperii maritimi à Lacedæmoniis transferretur ad Atheniẽses. Namque ante id tempus & mari & terra duces erant Lacedæmonii. Tum autem & intemperantia Pausaniæ, & iustitia factum est Aristidis, vt omnes ferè ciui

D tates Græciæ ad Atheniẽsium societatem se applicarent: & aduersus barbaros hos duces deligerent sibi, quò facilius repellerent si fortè bellum renouare cõnarentur. Ad classes ædificandas, exercitúsque cõparandos, quantum pecuniæ quæque ciuitas daret, Aristides delectus est qui cõstitueret. Eius arbitrio quadringenta & sexaginta talenta quotãnis Delum sunt collata. Id enim commune ærarium esse voluerunt. Quæ omnis pecunia postero tempore Athenas trãs-

lata eſt. Hic qua fuerit abſtinentia, nullũ eſt certius indicium quàm quòd quũ tantis rebus præfuiſſet, in tãta paupertate deceſſit, vt quibus efferretur, vix reliquerit. Quo factum eſt vt filiæ eius publicè alerẽtur, & de communi ærario dotibus datis, collocarentur. Deceſſit autem ferè poſt annum quartũ quàm Themiſtocles Athenis erat expulſus. A

# PAVSANIAE B

## VITA, IIII.

PAVSANIAS Lacedæmonius, magnus homo, ſed varius in omni genere vitæ fuit. Nam vt virtutibus eluxit, ſic vitiis eſt obrutus. Huius illuſtriſſimum eſt prælium apud Platæas. Namque illo duce Mardonius, ſatrapes regius, natione Medus, regis gener, in primis omnium Perſarum & manu fortis & conſilii plenus, cum ducentis millibus peditum, quos viritim legerat, & viginti millibus equitum, haud ita magna manu Græcia fugatus eſt: eóque ipſe dux cécidit prælio. C Qua victoria elatus plurima miſcere cœpit, & maiora concupiſcere. Sed primùm in eo eſt reprehẽſus, quòd quum ex præda tripodem aureum Delphis poſuiſſet, epigrammate ſcripto in quo erat hæc ſententia, Suo ductu barbaros apud Platæas eſſe deletos, eiúſque victoriæ ergò Apollini donum dediſſe: hos verſus Lacedæmonii exſcalpſerunt, neque aliud ſcripſerũt quàm nomina earum ciuitatum quarum auxilio Perſæ erant victi. Poſt id prælium, eundem Pauſaniam cũ claſſe communi Cyprum atque Helleſpontum miſerunt, vt ex his regionibus barbarorũ præſidia depelleret. D Pari felicitate in ea re vſus, elatius ſe gerere cœpit, maioréſque appetere res. Nam quum Byzantio expugnato cepiſſet complures Perſarum nobiles, atque in his nonnullos regis propinquos: hos clàm Xerxi remiſit, ſimulans ex vinculis publicis effugiſſe: & cùm his Gongylum Eretrienſem qui literas

A regi redderet,in quibus hæc fuiſſe ſcripta Thucydides memoriæ prodidit: Pauſanias dux Spartæ, quos Byzantii ceperat,poſtquam propinquos tuos cognouit,tibi muneri miſit,ſéque tecum affinitate coniungi cupit.Quare,ſi tibi videtur,des ei filiam tuam nuptũ. Id ſi feceris,& Spartam & cæteram Græciam ſub tuã poteſtatem,te adiuuante, redacturum ſe pollicetur. His de rebus ſi quid geri volueris,certum hominem ad eum mittas face,cũ quo colloquatur. Rex tot hominũ ſalute,tam ſibi neceſſariorum,magnopere gauiB ſus,confeſtim cum epiſtola Artabazum ad Pauſaniã mittit,in qua eum collaudat, ac petit ne cui rei parcat ad ea perficienda quæ pollicetur. Si fecerit,nullius rei à ſe repulſam laturum. Huius Pauſanias volũtate cognita,alacrior ad rem gerendam factus, in ſuſpicionem cécidit Lacedæmoniorum. In quo facto domum reuocatus,accuſatus capitis,abſoluitur:mulctatur tamen pecunia.Quam ob cauſam ad claſſem remiſſus non eſt. At ille pòſt non multo, ſua ſponte ad exercitum rediit, & ibi non callida ſed deméti ratioC ne cogitata patefecit. Nõ enim mores patrios ſolùm, ſed etiam cultũ veſtitúmque mutauit. Apparatu regio vtebatur,veſte Medica:ſatellites Medi & Ægyptii ſequebantur:epulabatur more Perſarum luxurioſius quàm qui aderant perpeti poſſent. Aditum petẽtibus conueniendi non dabat:ſuperbè reſpondebat,& crudeliter imperabat.Spartam redire nolebat. Colonas, qui locus in agro Troade eſt, ſe cõtulerat: ibi cõſilia cùm patriæ tũ ſibi inimica capiebat. Id poſtquã Lacedæmonii reſciuerũt,legatos ad eũ cum ſcytala miſeD runt,in qua more illorum erat ſcriptum,niſi domum reuerteretur,ſe capitis eũ damnaturos. Hoc nuncio motus,ſperans ſe etiã pecunia & potentia inſtans periculum poſſe depellere,domũ rediit. Huc vt venit, ab ephoris in vincula publica coniectus eſt. Licet enim legibus eorum, cuivis ephoro, hoc facere regi. Hinc tamen ſe expediuit:neque eò magis carebat ſuſpicione,nam opinio manebat, eum cum rege habere ſocietatem. Eſt genus quoddam hominum quod He-

lotes vocatur, quorum magna multitudo agros Lace A
dæmoniorum colit, seruorúmque munere fungitur.
Hos quoque sollicitare spe libertatis existimabatur.
Sed quòd harum rerum nullum erat apertũ crimen
quo argui posset, non putabant de tali támque claro
viro suspicionibus oportere iudicari: sed expectandũ
dum se ipsa res aperiret. Interim Argilius quidã a-
dolescentulus, quem puerum Pausanias amore vene-
reo dilexerat, quum epistolam ab eo ad Artabazum
accepisset, eíque in suspicionem venisset, aliquid in ea
de se esse scriptũ, quòd nemo eorũ redisset qui super B
tali causa eôdem missi erant: vincula epistolæ laxauit,
signóque detracto, cognouit, si pertulisset, sibi esse pe-
reundum. Erant in eadẽ epistola quæ ad eã pertine
bant quæ inter regem Pausaniámque conuenerant.
Has ille literas ephoris tradidit. Nõ est prætereunda
grauitas Lacedæmoniorum hoc loco. Nam ne huius
quidem indicio impulsi sunt vt Pausaniam compre-
henderent: neque prius vim adhibendam putauerũt
quàm se ipse indicasset. Itaque huic indici quid fieri
vellent præceperunt. Fanũ Neptuni est Tænari, quod C
violari nefas putant Græci: eò ille index confugit, in
ara consedit. Hanc iuxta, locum fecerunt sub terra ex
quo posset audiri si quis quid loqueretur cum Argi-
lio. Huc ex ephoris quidam descenderunt. Pausanias
vt audiuit, Argilium confugisse in aram, perturbatus
eò venit. Quem quum supplicem dei videret in arã
sedentem, quærit, causæ quid sit tam repentini con-
silii. Huic ille quid ex literis comperisset aperit.
Tanto magis Pausanias perturbatus orare cœpit ne
enunciaret, nec se meritum de illo optimè, proderet. D
Quòd si eam veniam sibi dedisset, tantísque implici-
tum rebus subleuasset, magno esse ei præmio futurũ.
His rebus ephori cognitis, satius putauerunt in vrbe
eum comprehendi. Quò quum essent profecti, & Pau
sanias placato Argilio (vt putabat) Lacedæmonem re
uerteretur: in itinere, quum iam in eo esset vt com-
prehenderetur, ex vultu cuiusdam ephori, qui eũ ad-
monere cupiebat, insidias sibi fieri intellexit. Itaque

A paucis antè gradibus quàm qui ſequebantur, in ædē Mineruæ quæ Chalciœcus vocatur, confugit. Hinc ne exire poſſet, ſtatim ephori valuas eius ædis obſtruxerũt, tectúmque ſunt demoliti, quò faciliùs ſub dio interiret. Dicitur eo tempore matrē Pauſaniæ vixiſſe: eámque iam magno natu, poſtquàm de ſcelere filii comperit, in primis ad filium claudendum, lapidem ad introitum ædis attuliſſe. Sic Pauſanias magnam belli gloriam turpi morte maculauit. Hic quum ſemianimis de templo elatus eſſet, cõfeſtim animam efflauit.
B Cuius mortui corpus quum eõdem nonnulli dicerent inferri oportere quò hi qui ad ſuppliciũ eſſent dati: diſplicuit pluribus, & procul ab eo loco infoderunt in quo erat mortuus. Inde poſterius, dei Delphici reſponſo erutus, atque in eo loco ſepultus vbi vitam finierat.

## CIMONIS

### VITA, V.

C CIMON, Miltiadis filius, Athenienſis, duro admodum initio vſus eſt adoleſcentiæ. Nam quum pater eius litem æſtimatã populo ſoluere nõ potuiſſet, ob eámque cauſam in vinculis publicis deceſſiſſet: Cimon eadem cuſtodia tenebatur, neque legibus Athenienſium emitti poterat niſi pecuniam qua pater mulctatus eſſet, ſoluiſſet. Habebat autem in matrimonio ſororem ſuam germanam nomine Elpinicem, non magis amore quàm patrio more ductus. nam Athenienſibus licet, eodem patre natas, vxores ducere. Huius coniugii cu-
D pidus Callias quidam, non tam generoſus quàm pecunioſus, qui magnas pecunias ex metallis fecerat, egit cum Cimone vt eam ſibi vxorem daret: id ſi impetraſſet, ſe pro illo pecuniam ſoluturum. Is quum talē conditionem aſpernaretur, Elpinice negauit ſe paſſuram Miltiadis progeniem in vinculis publicis interire, quoniam prohibere poſſet, ſéque Calliæ nupturã ſi ea quæ pollicer etur præſtitiſſet. Tali modo cuſto-

dia liberatus Cimon, celeriter ad principatum peruẽ A
nit. Habebat enim satis eloquentiæ, summam libera
litatem, magnam prudentiam cùm iuris ciuilis, tum
rei militaris, quòd cum patre à puero in exercitu fue
rat versatus. Itaque hic & populum vrbanum in sua
tenuit potestate, & apud exercitum plurimum valuit
autoritate. Primùm imperator apud flumen Stry-
mona magnas copias Thracum fugauit: oppidũ Am
phipolim constituit, eòque decem millia Atheniensiũ
in coloniam misit. Idẽ iterum apud Mycalen Cyprio B
rum & Phœnicum ducentarum nauium classem deui
ctam cepit: eodémque die pari fortuna in terra vsus
est. Namque hostium nauibus captis, statim ex classe
copias suas eduxit, barbarorum vno concursu maxi-
mam vim prostrauit. Qua victoria, magna præda
potitus, quum domum reuerteretur, quòd iam non-
nullæ insulæ propter acerbitatem imperii defecerãt,
bene animatas confirmauit, alienatas ad officiũ redi-
re coegit. Scyrum, quam eo tempore Dolopes inco-
lebant, quòd contumacius se gesserat, vacuefecit: sesso C
res veteres vrbe insuláque eiecit, agros ciuibus diui-
sit. Thasios opulentia fretos, suo aduẽtu fregit. His
ex manubiis arx Athenarum quà ad meridiẽ vergit
est ornata. Quibus rebus quum vnus in ciuitate ma
ximè floreret, incidit in eandẽ inuidiam quam pater
suus cæteríque Atheniensium principes. Nam testarũ
suffragiis, quod illi ὀστρακισμὸν vocant, decem annorũ
exilio mulctatus est. Cuius facti celerius Athenien
ses quàm ipsum pœnituit. Nam quũ ille forti animo,
inuidiæ ingratorum ciuium cessisset, bellúmque La- D
cedæmonii Atheniensibus indixissent: cõfestim notæ
eius virtutis desiderium consequutum est. Itaque post
annum quintum quo expulsus erat, in patriam reuo-
catus est. Ille, quòd hospitio Lacedæmoniorum vteba
tur, satius existimans eos & ciues suos inter se vna vo
luntate cõsentire quàm armis contẽdere, Lacedæmo
nem sua spõte est profectus, pacémq; inter duas potẽ
tissimas ciuitates conciliauit. Pòst neque ita multo
in Cyprũ cũ ducẽtis nauibus imperator missus, quum

A eius maiorem partem insulæ deuicisset, in morbum
implicitus, in oppido Citio est mortuus. Húc Athe-
nienses non solùm in bello, sed in pace diu deſidera-
uerunt. Fuit enim tanta liberalitate, quum compluri-
bus locis prædia hortósque haberet, vt nunquam eis
custodem imposuerit, fructus seruandi gratia: ne quis
impediretur quò minus eius rebus quibus vellet frue-
retur. Semper eum pedissequi cum nummis sunt se-
quuti, vt si quis opis eius indigeret, haberet quod sta-
tim daret, ne differendo videretur negare. Sæpe quũ
B aliquem offensum fortuna, videret minus bene vesti-
tum, suum amiculum dedit. Quotidie sic cœna ei co-
quebatur, vt quos nō vocatos vidisset in foro, omnes
deuocaret: quod facere nullum diem prætermittebat.
Nulli fides eius, nulli opera, nulli res familiaris de-
fuit: multos locupletauit. Complures pauperes mor-
tuos, qui vnde efferrentur non reliquissent, suo sum-
ptu extulit. Sic se gerendo minimè est mirandum si &
vita eius fuit secura, & mors acerba.

C

# LYSANDRI

## VITA, VI.

LYSANDER Lacedæmonius magnam
reliquit sui famam, magis felicitate quàm
virtute partam. Athenienses enim in Pelo-
ponnesios sexto & vigesimo anno bellum
gerentes confecisse apparet. Id qua ratione conse-
quutus sit, latet. Non enim virtute sui exercitus, sed
D immodestia factum est aduersariorum: qui, quòd di-
cto audientes imperatoribus suis non erant, dispala-
ti in agris relictis nauibus, in hostium venerunt po-
testatem. Quo facto Athenienses se Lacedæmoniis
dediderunt. Hac victoria Lysander elatus, quum
antea semper factiosus audáxque fuisset, sic sibi in-
dulsit vt eius operâ in maximum odium Græciæ
Lacedæmonii peruenerint. Nam quum hanc cau-
sam Lacedæmonii dictitassent sibi esse belli, vt A-

thenienſium impotentem dominationem refringerent: poſtquam apud Ægos flumen Lyſander claſſis hoſtium eſt potitus, nihil aliud molitus eſt quàm vt omnes ciuitates in ſua teneret poteſtate, quum id ſe Lacedæmoniorum cauſa facere ſimularet. Nanque vndique qui Athenienſium rebus ſtuduiſſent eiectis, decem delegerat in vnaquaque ciuitate, quibus ſummum imperium poteſtatémque omnium rerum cōmitteret. Horum in numerum nemo admittebatur niſi qui aut eius hoſpitio contineretur, aut ſe illius fore proprium fide confirmarat. Ita decemuirali poteſtate in omnibus vrbibus conſtituta, ipſius nutu omnia gerebantur. cuius de crudelitate ac perfidia ſatis eſt vnam rem exempli gratia proferre, ne de eodē plura enumerando fatigemus lectores. Victor ex Aſia quum reuerteretur, Thaſúmq; deuertiſſet, quòd ea ciuitas præcipua fide fuerat erga Athenienſes, perinde acſi iidem firmiſſimi ſolerent eſſe amici qui conſtantes fuiſſent inimici, eam peruertere concupiuit. Vidit autem, niſi in eo occultaſſet voluntatem, futurū vt Thaſii dilaberentur, conſuleréntque rebus ſuis.

*Deſideratur hic exemplum Lyſandri crudelitatis & perfidiæ in Thaſios.*

Itaque decemuiralem ſuam poteſtatē, ſui ab illo cōſtitutam ſuſtulerunt. Quo dolore incēſus iniit conſilia reges Lacedæmoniorum tollere. ſed ſentiebat id ſe ſine ope deorum facere non poſſe, quòd Lacedæmonii omnia ad oracula referre conſueuerant. Primùm itaq; Delphos corrumpere eſt conatus. Quum id non potuiſſet, Dodonam adortus eſt. Hinc quoque repulſus, dixit ſe vota ſuſcepiſſe quæ Ioui Hammoni ſolueret, exiſtimans ſe Afros faciliùs corrupturum. Hac ſpe quum profectus eſſet in Africam, multum eum antiſtites Iouis fefellerunt. nam non ſolùm corrumpi non potuerunt, ſed etiam legatos Lacedæmona miſerunt qui Lyſandrum accuſarent quòd ſacerdotes fani corrūpere conatus eſſet. Accuſatus hoc crimine, iudicúmque abſolutus ſententiis, Orchomeniis miſſus ſubſidio, occiſus eſt à Thebanis apud Ha-

A liartum. Quàm verè de eo foret iudicatum, oratio
indicio fuit quæ poſt mortē in domo ei' reperta eſt,
in qua ſuadet Lacedæmoniis vt regia poteſtate diſſo-
luta,ex omnibus dux deligatur ad bellum gerendum:
ſed ita ſcripta vt deorum videretur congruere ſenten
tiæ,quam ille ſe habiturum, pecunia fidens,non du-
bitabat. Hanc ei ſcripſiſſe Cleon Halicarnaſſeus dici-
tur. Atque hoc loco non eſt prætereundum factum
Pharnabazi ſatrapis regii.Nam quum Lyſander præ
fectus claſſis, in bello multa crudeliter auaréque fe-
B ciſſet,déque his rebus ſuſpicaretur ad ciues ſuos eſſe
perlatum:petiit à Pharnabazo vt ad ephoros ſibi te-
ſtimonium daret quanta ſanctitate bellum geſſiſſet,ſo
cióſque tractaſſet,déque ea re accuratè ſcriberet. ma
gnam enim eius autoritatem in ea re futuram. Huic
ille liberaliter pollicetur: librum grauem multis ver-
bis conſcripſit, in quo ſummis eum effert laudibus.
Quem quum legiſſet,probaſſétque, dum obſignatur,
alterum pari magnitudine,vt diſcerni non poſſet, ſi-
gnatum ſubiecit, in quo accuratiſſimè eius auaritiā
C perfidiámque accuſarat.Hinc Lyſander domum quū
rediſſet, poſtquam de ſuis rebus geſtis apud maximū
magiſtratum quæ voluerat, dixerat: teſtimonii loco
librum à Pharnabazo datum tradidit.Hunc ſummo-
to Lyſandro quum ephori cognoſſent, ipſi legēdum
dederunt. Ita ille imprudens ipſe ſuus fuit accuſator.

## ALCIBIADIS

### VITA, VII.

D ALCIBIADES, Cliniæ filius, Athenien-
ſis. In hoc natura quid efficere poſſit,
videtur experta. Conſtat enim inter o-
mnes qui de eo memoriæ prodiderunt,ni-
hil illo fuiſſe excellentius vel in vitiis vel in virtuti-
bus.Natus in ampliſſima ciuitate,ſummo genere, o-
mniū ætatis ſuæ multo formoſiſſimus: ad omnes res
aptus,cōſiliíque plenus.Namq; imperator fuit ſum-

mus mari & terra:disertus, vt in primis dicendo valeret : & tanta erat commendatio oris atque orationis, vt nemo ei dicendo posset resistere. Idem, quum tempus posceret, laboriosus, patiens, liberalis, splēdidus non minus in vita quàm victu: affabilis, blandus, temporibus callidissimè inseruiens. Idem simulac se remiserat, nec causa suberat quare animi laborē perferret, luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperās reperiebatur: vt omnes admirarētur in vno homine tātam morū dissimilitudinē, támq; diuersam naturam. Educatus est in domo Periclis, (priuignus enim eius fuisse dicitur) eruditus à Socrate. Socerum habuit Hipponicum, omnium Græcorum diuitissimū, vt si ipse fingere vellet, neque plura bona reminisci, neque maiora posset consequi quàm vel fortunā vel natura tribuerat. Ineunte adolescentia, amatus est à multis more Græcorum, in eis à Socrate, de quo mētionem facit Plato in Symposio. namque eum induxit commemorantem se pernoctasse cum Socrate, neque aliter ab eo surrexisse ac filius à parente debuerit. Posteaquā robustior est factus, non minus multos amauit. In quorū amore, quoad licitum est, odiosa multa, delicatè iocoséque fecit: quæ referremus nisi maiora potioráque haberemus. Bello Peloponnesiaco, huius consilio atque autoritate Athenienses bellum Syracusanis indixerunt: ad quod gerendum ipse dux delectus est. Duo præterea collegæ dati, Nicias & Lamachus. Id quum appararetur, priusquam classis exiret, accidit vt vna nocte omnes Hermæ qui in oppido erant Athenis, deiicerentur, præter vnum qui ante ianuā Andocidis erat, Andocidísq; Hermes vocatus est. Hoc quū appareret nō sine magna multorū cōsensione esse factū, quòd nō ad priuatā sed ad publicā rē pertineret, magnus multitudini timor est iniectus ne qua repentina vis in ciuitate existeret, quæ libertatē opprimeret populi. Hoc maximè cōuenire in Alcibiadē videbatur, quòd & potētior & maior quàm priuat' existimabatur. Multos enim liberalitate deuinxerat, plures etiā opera forēsi suos reddi-

(Marginal letters: A at line 1, B at "ram. Educatus", C at "neque aliter ab eo", D at "in oppido erant")

A derat. Quare fiebat vt omniũ oculos, quotiescunq; in publicũ prodisset, ad se conuerteret, neq; ei par quisquam in ciuitate poneretur. Itaque non solùm in eo spem habebant maximam, sed etiam timorem, quòd & obesse plurimum & prodesse poterat. Aspergebatur etiam infamia quòd in domo sua facere mysteria dicebatur, quod nefas erat more Atheniensium, idque non ad religionem, sed ad coniurationem pertinere existimabatur. Hoc crimine in contentionem ab inimicis compellebatur. Sed instabat tempus ad

B bellum proficiscendi. Id ille intuens, neque ignorans ciuium suorum consuetudinem, postulabat vt si quid de se agi vellent, potius de præsenti quæstio haberetur quàm absens inuidiæ crimine accusaretur. Inimici verò eius quiescẽdũ in præsentia, quia nocere se ei non posse intelligebãt, & illud tempus exspectandum decreuerunt quo exisset, vt sic absentem aggrederentur: itáque fecerunt. Nam postquam in Siciliam eum peruenisse crediderunt, absentem, quòd sacra violasset, reum fecerunt. Qua de re quum ei nuncius

C à magistratu in Siciliam missus esset, vt domum ad causam dicendam rediret, essétque in magna spe prouinciæ bene administrandæ: non parêre noluit, & in triremem quæ ad eum deportandum erat missa, ascẽdit: ac Thurios in Italiam peruectus, multa secũ reputans de immoderata ciuium suorum licentia, crudelitatéque erga nobiles: vtilissimum ratus impendẽtem euitare tempestatem, clàm se à custodibus subduxit, & inde primùm Elidem, deinde Thebas venit.

D Postquam autem se capitis damnatum, bonis publicatis, audiuit, & id quod vsu venerat, Eumolpidas sacerdotes à populo coactos vt se deuouerent, eiúsque deuotionis, quò testatior esset memoria, exemplum in pila lapidea incisum esse positum in publico: Lacedæmonem demigrauit. Ibi (vt ipse prædicare consueuerat) non aduersus patriam, sed inimicos suos bellũ gessit, quòd iidem hostes essent ciuitati. nam quum intelligerent, se plurimùm prodesse reipublicæ, ex ea eiecisse, plúsque iræ suæ quàm vtilitati communi pa-

ruisse. Itaque huius consilio Lacedæmonii cũ Persarum rege amicitiam fecerunt: deinde Deceleam in Attica munierunt, præsidióque perpetuo ibi posito, in obsidione Athenas tenuerunt. Eiusdem operâ Ioniam à societate auerterunt Atheniensium. quo facto multo superiores bello esse cœperũt. Neq; verò his rebus tam amici Alcibiadi sunt facti, quàm timore ab eo alienati. Nam quum acerrimi viri præstantem prudentiam in omnibus rebus cognoscerent: pertimuerunt ne charitate patriæ ductus, aliquando ab ipsis desciscetet, & cum suis in gratiam rediret. Itaque tempus eius interficiendi quærere instituerunt. Id Alcibiadi diuti' celari nõ potuit. erat enim ea sagacitate vt decipi non posset, præsertim quum animum attendisset ad cauendum. Itaque ad Tissaphernem præfectum regis Darii se contulit. Cuius quum in intimam amicitiam peruenisset, & Atheniensium malè gestis in Sicilia rebus opes senescere, contrà Lacedæmoniorum crescere videret: initiò cum Pisandro prætore, qui apud Samum exercitum habebat, per internuncios colloquitur, & de reditu suo facit mentionem. Erat enim eodem quo Alcibiades sensu, populi potentiæ non amicus, & optimatum fautor. Ab hoc destitutus, primùm per Thrasybulum Lyci filiũ, ab exercitu recipitur, prætórq; fit apud Samum. Pòst suffragante Theramene, plebiscito restituitur, paríq; absens imperio præficitur simul cum Thrasybulo & Theramene. Horũ imperio tãta cõmutatio rerum facta est vt Lacedæmonii, qui paulo antè victores vi guerant, perterriti pacem peterent. Victi enim erant quinq; præliis terrestribus, tribus naualibus: in quibus ducentas naues triremes amiserant, quæ captæ in hostium venerant potestatem. Alcibiades simul cũ collegis receperat Ioniam, Hellespõtum, multas præterea vrbes Græcas quæ in ora sitæ sunt Asiæ, quarũ expugnauerant complures; in his Byzantium. Neque minus multas consilio ad amicitiam adiunxerant, quòd in captos clemẽtia fuerant vsi. Ita præda onusti, locupletato exercitu, maximis rebus gestis Athe-

A nas venerunt. His quum obuiam vniuersa ciuitas in Piræeum descẽdisset, tanta fuit omnium exspectatio visendi Alcibiadis, vt ad eius triremem vulgus cõflueret, perinde ac si solus aduenisset. Sic enim populo erat persuasum, & aduersas superiores, & præsentes secundas res, accidisse eius opera. Itaque & Siciliæ amissum, & Lacedæmoniorũ victorias culpæ suæ tribuebant, quòd talem virum è ciuitate expulissent. Neque id sine causa arbitrari videbantur. Nam postquam exercitui præesse cœperat, neque terra neque B mari hostes pares esse potuerant. Hic vt naui egressus est, quanquam Theramenes & Thrasybulus eisdem rebus præfuerant, simúlque venerant in Piræeũ, tamen illum vnum omnes prosequebantur: & (id quod nunquã antea vsuuenerat, nisi Olympiæ victoribus) coronis aureis æneísque vulgò donabatur. Ille lacrymans talem beneuolentiam ciuium suorum accipiebat, reminiscens pristini temporis acerbitatem. Postquam Astu venit, concione aduocata, sic verba fecit vt nemo tam ferus fuerit quin eius casum C lacrymarit, inimicúmque his se ostenderit quorum opera patria pulsus fuerat: perinde ac si alius populus, non ille ipse qui tum flebat, eum sacrilegii damnasset. Restituta ergo huic sunt publicè bona. Iidémque illi Eumolpidæ sacerdotes rursus resacrare sunt coacti qui eum deuouerant, pilæque illæ in quibus deuotio fuerat scripta, in mare præcipitatæ. Hæc Alcibiadi lætitia minus fuit diuturna. Nam quum ei essent omnes honores decreti, totáque respublica domi bellíque tradita, vt vnius arbitrio gereretur, & i-D pse postulasset vt duo sibi collegæ darentur, Thrasybulus & Adimantus, neque id negatum esset: classe in Asiam profectus, quòd apud Cymen minus ex sententia rem gesserat, in inuidiam recidit. Nihil enim eum non efficere posse ducebant. Ex quo fiebat vt omnia minus prosperè gesta, eius culpæ tribuerent, quum eum aut negligenter aut malitiosè fecisse loquerentur, sicut accidit. Nam corruptum à rege, capere Cymen noluisse arguebant. Itaque huic maximè impu-

tamus malo causam fuisse nimiā opinionem ingenii A
atq; virtutis. Timebatur enim non minus quàm diligebatur, ne secunda fortuna magnisque elatus opibus, tyrannidem concupisceret. Quibus rebus factū est vt absenti magistratum abrogarent, & alium in eius locum substituerent. Id ille vt audiuit, domum reuerti noluit, & se Perinthū contulit, ibique tria castella cōmuniuit, Bornos, Byziam, Themeonticos: manúque collecta, primus Græciæ in Thraciam introiit: gloriosius existimans barbarorum præda locu pletari quàm Graiorum. Qua ex re creuerat eius fama cum opibus, magnámque amicitiā sibi cum quibusdam regibus Thraciæ pepererat. Neque tamen à charitate patriæ potuit recedere. Nam quū apud Ægos flumen Philocles prætor Atheniensium classem cōstituisset suam, neque longè abesset Lysander prætor Lacedæmoniorū, qui in eo erat occupatus vt bellū quamdiutissimè duceret, quòd ipsis pecunia à rege suppeditabatur: contrà Atheniensibus exhaustis, præter arma & naues nihil erat super: Alcibiades ad Atheniensiū venit exercitum, ibiq; præsente vulgo agere cœpit, si vellent, se coacturū Lysandrū aut dimicare, aut pacē petere. Lacedæmonios eò nolle cōfligere classe quòd pedestribus copiis plusquā nauibus valerēt. Sibi autem esse facile Seuthen regem Thracum deducere, vt eos terra depelleret. Quo facto necessariò aut classe conflicturos, aut bellū cōposituros. Id etsi verè dictum Philocles animaduertebat, tamen postulata facere noluit, quòd sentiebat se, Alcibiade recepto, nullius momenti apud exercitū futurum. Et si quid secūdi euenisset, nullam in ea re suam partem fore: contra ea, si quid aduersi accidisset, se vnum eius delicti futurū reū. Ab hoc discedens Alcibiades, Quoniā, inquit, victoriæ patriæ repugnas, illud moneo, iuxta hostes castra habeas nautica. Periculū est enim ne immodestiā militum nostrorū occasio detur Lysandro nostri opprimendi exercitus. Neque ea res illum fefellit. Nam Lysander quum per speculatores comperisset, vulgum Atheniensium in terram præda-

A tum exiſſe, nauéſque penè inanes relictas: tempus rei gerendæ nō dimiſit, eóque impetu totum bellum deleuit. At Alcibiades, victis Athenienſibus, non ſatis tuta eadem loca ſibi arbitrans: penitus in Thraciam ſe ſupra Propontidem abdidit, ſperans ibi facilimè ſuam fortunā occuli poſſe: falſó. Nam Thraces poſtquam eum cum magna pecunia veniſſe ſenſerunt, inſidias ei fecerunt: qui ea quæ apportauit abſtulerunt, ipſum capere non potuerunt. Ille, cernens nullum locum ſibi tutum in Græcia, propter potentiam La-
B cedæmoniorum, ad Pharnabazum in Aſiam tranſiit. Quem quidē adeò ſua cepit humanitate, vt eum nemo in amicitia antecederet. Nanque ei Grynium dederat in Phrygia caſtrum, ex quo quinquaginta talēta vectigalis habebat. Qua fortuna Alcibiades non erat contentus, neque Athenas victas Lacedæmoniis ſeruire poterat pati. Itaque ad patriam liberandam omni ferebatur cogitatione. ſed videbat id ſine rege Perſarum non poſſe fieri: ideóque eum amicum ſibi cupiebat adiungi: neque dubitabat facilè ſe conſequu-
C turum, ſi modò eius conueniendi habuiſſet poteſtatem. Nam Cyrum fratrem ei bellum clàm parare, Lacedæmoniis adiuuantibus, ſciebat. id ſi ei aperuiſſet, magnam ſe ab eo initurum gratiam videbat. Hæc quum moliretur, peterétque à Pharnabazo vt ad regem mitteretur: eodem tempore Critias cæteríque tyranni Athenienſium certos homines ad Lyſandrū in Aſiam miſerunt, qui eum certiorem facerent, niſi Alcibiadem ſuſtuliſſet, nihil earum rerum fore ratū quas ipſe Athenis conſtituiſſet. Quare ſi ſuas res ge-
D ſtas manere vellet, illum perſequeretur. His Lacon rebus commotus, ſtatuit accuratius ſibi agendum cum Pharnabazo. Huic ergo renunciat, ſocietatem quæ regi cum Lacedæmoniis eſſet, ſtare non poſſe, fœderáque irrita futura niſi Alcibiadem viuum aut mortuum tradidiſſet. Non tulit hoc ſatrapes, & violare clementiam quàm regis opes minui maluit. Itaq; miſit Suſamithren & Magæum ad Alcibiadem interficiendum, quum ille eſſet in Phrygia, itér-

que

que ad regem pararet. Missi, clàm vicinitati in qua A
tum Alcibiades erat, dant negotium vt eum interficiant. Illi quum eum ferro aggredi non auderent, noctu ligna contulerunt circa domum stramineam in qua quiescebat, eámque succenderunt, vt incendio conficerent quem manu superari posse diffidebant. Ille autem sonitu flammæ excitatus, quòd gladius ei erat subductus, familiaris sui subalare telum eripuit. Namque erat cum eo quidam ex Arcadia hospes, qui nunquam discedere voluerat. Hunc sequi se iubet, & id quod in præsentia vestimentorum fuit, arripuit. His in ignem eiectis, flammæ vim transiit. Quem vt barbari incendium effugisse eminus viderunt, telis B
missis interfecerunt, capútque eius ad Pharnabazum retulerunt. At mulier quæ cum eo viuere cõsueuerat, muliebri sua veste contectum, ædificii incendio mortuum cremauit, quod ad viuum interimendum erat comparatum. Sic Alcibiades, annos circiter quadraginta natus, diẽ obiit supremum. Hunc infamatum à plerisque tres grauissimi historici summis laudibus extulerunt: Thucydides, qui eiusdẽ ætatis fuit: C
Theopõp', qui fuit pòst aliquãto nat': & Timæus. qui quidẽ duo maledicentissimi, nescio quomodo in illo vno laudãdo consẽserũt. Nã ea quæ suprà diximus, de eo prædicarũt, atq; hoc amplius, quũ Athenis splẽdidissima ciuitate natus esset, omnes Atheniẽses splẽdore ac dignitate vitæ superasse. Postquam inde expulsus, Thebas venerit, adeò studiis eorum inseruisse vt nemo cum labore corporísque viribus posset æquiparare. Omnes enim Bœotii magis firmitati cor- D
poris quàm ingenii acumini inseruiunt. Eundem apud Lacedæmonios, quorum moribus summa virtus in patiẽtia ponebatur, sic duritiei se dedidisse, vt parsimonia victus atque cultus omnes Lacedæmonios vinceret. Fuisse apud Thracas homines vinolentos, rebúsque venereis deditos: hos quoque in his rebus antecessisse. Venisse ad Persas, apud quos summa laus esset fortiter venari, luxuriosè viuere. Horum sic imitatum cõsuetudinem, vt illi ipsi eũ in his maximè ad-

A mirarentur. Quibus rebus effecisse vt, apud quoscunque esset, princeps poneretur, haberetúrque charissimus. Sed satis de hoc: reliquos ordiamur.

# THRASYBVLI
## VITA, VIII.

THRASYBVLVS, Lyci filius, Atheniensis. Si per se virtus sine fortuna ponderanda sit, dubito an hunc primum omniũ
B ponam. Illi sine dubio neminem præfero, fide, constantia, magnitudine animi, in patriam amore. Nã quod multi voluerunt, pauci potuerunt, ab vno tyranno patriam liberare: huic contigit vt à triginta oppressam tyrannis, è seruitute in libertatem vindicaret. Sed nescio quomodo, quum eum nemo anteiret his virtutibus, multi nobilitate præcurrerunt. Primùm Peloponesio bello multa hic sine Alcibiade gessit: ille, nullam rem sine hoc, quæ ille vniuersa naturali quodam bono fecit lucri.
C Sed illa tamen omnia communia imperatoribus cum militibus & fortuna, quòd in prælii concursu abit res à consi io ad vires vímque pugnantium. Itaque iure suo nonnulla ab imperatore miles, plurima verò à fortuna vindicat: séque his plus valuisse quàm ducis prudentia verè potest prædicare. Quare illud magnificẽtissimum factum proprium est Thrasybuli. Nam quũ triginta tyranni præpositi à Lacedæmoniis seruitute oppressas tenerent Athenas, plurimos ciues quibus in
D bello pepercerat fortuna, partim patria expulissent, partim interfecissent, plurimorum bona publicata inter se diuisissent: non solùm princeps, sed & solus initio bellum his indixit. Hic enim quum Phylen confugisset, (quod est castellum in Attica munitissimum) non plus habuit secum quàm triginta de suis. Hoc initium fuit salutis Atticorum: hoc robur libertatis clarissimæ ciuitatis. Neq; verò hic modò contemptus est primò à tyrannis, sed eius solitudo: quæ

quidem res & illis contemnentibus perniciei,& huic A despecto saluti fuit. Hæc enim illos ad persequẽdum segnes, hos autem tempore ad comparandum dato, fecit robustiores. Quò magis præceptum illud omnium in animis esse debet, Nihil in bello oportere contemni: nec sine causa dici, Matrem timidi flere non solere. Neque tamen pro opinione Thrasybuli auctæ sunt opes. nam iam tum illis temporibus fortius boni pro libertate loquebantur quàm pugnabant. Hinc in Piræeum transiit, Munychiámque muniuit. Hanc bis tyranni oppugnare sunt adorti:ab eáq; turpiter repulsi,protinus in vrbem, armis B impedimentísque amissis,refugerunt. Vsus est Thrasybulus non minus prudẽtia quàm fortitudine. nam cedentes violari vetuit. ciues enim ciuibus parcere æquum censebat. Neq; quisquam est vulneratus nisi qui prior impugnare voluit. Neminem iacentem veste spoliauit.Nil attigit nisi arma,quorum indigebat,& quæ ad victum pertinebant. In secundo prælio cecidit Critias dux tyrannorum,quum quidẽ aduersus Thrasybulum fortissimè pugnaret. Hoc deiecto,Pausanias venit Atticis auxilio,rex Lacedæmoniorum. Is inter Thrasybulum & eos qui vrbem te- C nebãt,fecit pacem his conditionibus, Ne qui,præter triginta tyrãnos,& decem,qui postea prætores creati,superioris more crudelitatis erant vsi, adficerentur exilio:néve bona publicarentur: reipublicæ procuratio populo redderetur. Præclarum hoc quoq; Thrasybuli,quòd recõciliata pace,quum plurimùm in ciuitate posset,legem tulit nequis anteactarum rerum accusaretur, néve mulctaretur: eámque illi legẽ obliuionis appellarunt. Neque verò hanc tantùm fe- D rendam curauit, sed etiam vt valeret effecit. Nam quum quidam ex his qui simul cum eo in exilio fuerant,cædem facere eorum vellent cum quibus in gratiam reditũ fuerat:publicè prohibuit, & id quod pollicitus erat præstitit. Huic pro tantis meritis,honoris corona à populo data est,facta duabus virgulis oleaginis:quæ,quòd amor ciuium,nõ vis, expresserat,

A nullam habuit inuidiam, magnáque fuit gloria. Bene ergo Pittacus ille, qui septem sapientum numero est habitus, quum ei Mitylenæi multa millia iugerum agri muneri darent, Nolite, rogo vos, (inquit) mihi dare quod multi inuideant, plures etiam concupiscant. Quare ex istis nolo amplius quàm centum iugera, quæ & meam animi æquitatem & vestram voluntatem indicent. Nam parua munera, diutina: locupletia, non propria esse consueuerunt. Illa igitur corona contentus Thrasybulus, neque amplius requi-
B siuit, neque quenquam honore se antecessisse existimauit. Hic sequenti tempore quum prætor classem ad Ciliciam appulisset, neque satis diligenter in castris eius agerentur vigiliæ: à barbaris ex oppido noctu eruptione facta, in tabernaculo interfectus est.

# CONONIS

## VITA, IX.

C CONON Atheniensis Peloponnesio bello accessit ad rempublicam: in eóq; eius operæ magnus fuit vsus. nã & prætor pedestribus exercitibus præfuit, & præfectus classis res magnas mari gessit. Quas ob causas præcipuus ei honos habitus est. Namque omnibus vnus insulis præfuit. In qua potestate Pheras cepit, coloniam Lacedæmoniorum. Fuit etiam extremo Peleponnesio bello prætor, quum apud Ægos flumen copiæ Athe-
D niensium à Lysandro sunt deuictæ. Sed tum abfuit, eóque peius res administrata est. nam & prudens rei militaris, & diligens erat imperator. Itaq; nemini erat his temporibus dubium, si adfuisset, illam Athenienses calamitatem accepturos non fuisse. Rebus autem afflictis quum patriam obsideri audisset, non quæsiuit vbi ipse tutò viueret, sed vnde præsidio esset ciuibus suis. Itaque contulit se ad Pharnabazum satrapem Ioniæ & Lydiæ, eundémq; generum regis & propinquum: apud quẽ vt multũ gratia valeret, mul-

to labore multisq; effecit periculis. Nam quũ Lacedæmonii Athenienſibus deuictis, in ſocietate nõ manerent quam cum Artaxerxe fecerant, Ageſilaúmque bellatum miſiſſent in Aſiam, maximè impulſi à Tiſſapherne, qui ex intimis regis ab amicitia eius defecerat, & cum Lacedæmoniis coierat ſocietatem: hunc aduerſus, Pharnabazus habitus eſt imperator: re quidem vera exercitui præfuit Conon, eiúſque omnia arbitrio geſta ſunt. Hic militum ducem ſummum Ageſilaum impediuit, ſæpéque eius conſiliis obſtitit. Neque verò non fuit apertum, ſi ille non fuiſſet, Ageſilaum Aſiam Tauro tenus regi fuiſſe erepturum. Qui poſteaquam domum à ſuis ciuibus reuocatus eſt, quòd Bœotii & Athenienſes Lacedæmoniis bellum indixerant: Conon nihilo ſecius apud præfectos regis verſabatur, hiſque omnibus maximo erat vſui. Defecerat à rege Tiſſaphernes, neque id tam Artaxerxi quàm cæteris erat apertum. Multis enim magníſque meritis apud regem, etiam quum in officio non maneret, valebat. Neque admirandum ſi non facilè ad credendum inducebatur, reminiſcens, eius ſe opera Cyrum fratrẽ ſuperaſſe. Huius accuſandi gratia Conon à Pharnabazo ad regem miſſus, poſteaquam venit, primùm ex more Perſarũ ad chiliarchũ, qui ſecundum gradũ imperii tenebat, Tithrauſtem acceſſit, ſéq; oſtendit cũ rege colloqui velle. nemo enim ſine hoc admittitur. Huic ille inquit, Nulla mora eſt: ſed tu delibera vtrum colloqui malis an per literas edere quæ cogitas. Neceſſe eſt enim, ſi in conſpectũ veneris, venerari te regem, quod προσκυνεῖν illi vocãt. Hoc ſi tibi graue eſt, per me nihilo ſecius, editis mandatis, conficies quod ſtudes. Tũ Conon, Mihi verò, inquit, non eſt graue quemvis honorem habere regi: ſed vereor ne ciuitati meæ ſit opprobrio, ſi, quum ex ea ciuitate ſim profectus quæ cæteris gentibus imperare conſueuerit, potius barbarorũ quàm illius more fungar. Itaq; quæ volebat, huic ſcripta tradidit. Quibus cognitis, rex tantum autoritate eius motus eſt vt Tiſſaphernẽ hoſtem iudica-

A uerit,& Lacedæmonios bello persequi iusserit, & ei permiserit quem vellet eligere ad dispensandam pecuniam. Id arbitrium Conon negauit sui esse consilii, sed ipsius qui optimè suos nosse deberet. Sed se suadere, Pharnabazo id negotii daret. Hinc magnis muneribus donatus, ad mare est missus, vt Cypriis & Phœnicibus, cæterisq; ciuitatibus maritimis, naues lõgas imperaret, classémque quæ proxima æstate mare tueri posset, cõpararet, dato adiutore Pharnabazo, sicut ipse voluerat. Id vt Lacedæmoniis est nunciatum,
B non sine cura rem administrarunt, quòd maius bellum imminere arbitrabantur quàm si cum barbaro solùm contenderent. Nam ducem fortem & prudentem regiis opibus præfuturum, ac secum dimicaturum videbant, quem neque consilio neque copiis superare possent. Hac mente magnam contrahunt classem: proficiscũtur Pisandro duce. Hos Conon apud Gnidum adortus, magno prælio fugat, multas naues capit, complures depsimit. Qua victoria nõ solùm Athenæ, sed etiam cuncta Græcia, quæ sub Lacedæmo-
C niorũ fuerat imperio, liberata est. Conõ cũ parte nauiũ in patriã venit: muros dirutos à Lysandro, vtrosq;, & Piræei & Athenarum, reficiendos curat, pecuniæque quinquaginta talenta quæ à Pharnabazo acceperat, ciuibus suis donat. Accidit huic quod cæteris mortalibus, vt inconsideratior in secunda quàm in aduersa esset fortuna. Nam classe Peloponnesiorum deuicta, quum vltum se iniurias patriæ putaret, plura concupiuit quàm efficere potuit. Neque tamen ea nõ pia & probãda fuerunt, quòd potius patriæ opes au-
D geri quàm regis maluit. Nam quum magnam autoritatem sibi pugna illa nauali quam apud Gnidum fecerat, constituisset non solùm inter barbaros, sed etiã inter omnes Græciæ ciuitates: clàm dare operã cœpit vt Ioniam & Æoliam restitueret Athenienſibus. Id quum minus diligenter esset celatum, Teribazus, qui Sardibus præerat, Cononem euocauit, simulãs ad regem eum se mittere velle. Magna festinatione huius nuncio parens, quum venisset, in vincula conie-

ctus est. In quibus aliquandiu fuit. Nonnulli cum ad A
regem abductum, ibíque periisse scriptum reliquerunt. Contra ea Dinon historicus, cui nos plurimum
de Persicis rebus credimus, effugisse scripsit. Illud addubitat, vtrum Teribazo sciente, an imprudente sit
factum.

# DIONIS

## VITA, X. B

DION, Hipparini filius, Syracusanus, nobili genere natus, vtraque implicatus tyrannide Dionysiorum. Namque ille superior, Aristomachen sororẽ Dionis habuit
in matrimonio: ex qua duos filios, Hipparinũ & Nisæum, procreauit: totidémque filias, Sophrosynen &
Areten. Quarum priorem Dionysio filio, eidem cui
regnum reliquit, nuptum dedit: alteram, Areten, Dioni. Dion autem præter nobilem propinquitatem, ge- C
nerosámque maiorum famã, multa alia à natura habuit bona. In his ingenium docile, come, aptũ ad artes optimas: magnam corporis dignitatem, quæ non
minimùm cõmendatur: magnas præterea diuitias à
patre relictas, quas ipse tyranni muneribus auxerat.
Erat intimus Dionysio priori, neque minus propter
mores quàm affinitatem. Namque etsi Dionysii crudelitas ipsi displicebat, tamen saluum illum propter
necessitudinem, magis etiam suorum causa esse studebat. Aderat in magnis rebus: eiúsque consilio mul- D
tùm mouebatur tyrannus, nisi qua in re maior ipsius
cupiditas intercesserat. Legationes verò omnes quæ
essent illustriores, per Dionem administrabantur.
Quas quidem ille diligenter obeundo, fideliter administrando, crudelissimum nomen tyranni sua humanitate tegebat. Hunc à Dionysio missum Carthaginenses susceperunt, vt neminem vnquam Græca lingua loquentem magis sint admirati. Neq; verò hæc

A Dionysium fugiebant, nam quantò esset sibi ornamẽto, sentiebat. Quo fiebat vt vni huic maximè indulgeret, neq; eum secus diligeret ac filium. Qui quidem quum Platonem Tarentum venisse fama in Siciliam esset perlata, adolescenti negare non potuit quin eum arcesseret, quum Dion eius audiendi cupiditate flagraret. Dedit ergo huic veniam, magnáque eum ambitione Syracusas perduxit. Quem Dion adeò admiratus est atque adamauit, vt se totum ei traderet. Neque verò minus Plato delectatus est Dione. Itaque
B quum à Dionysio tyranno crudeliter violatus esset, quippe quem venundari iussisset, tamen eôdem rediit, eiusdem Dionis precibus adductus. Interim in morbum incidit Dionysius. quo quum grauiter conflictaretur, quæsiuit à medicis Dion quemadmodum se haberet: simúlque ab his petiit, si fortè maiori esset in periculo, vt sibi faterentur. Nam velle se cum eo colloqui de partiendo regno, quòd sororis suæ filios ex illo natos, partem regni putabat debere habere. Id medici non tacuerunt, & ad Dionysium filium
C sermonem retulerunt. Quo ille commotus, ne agendi cum eo esset Dioni potestas, patri soporem medicos dare coegit. Hoc æger sumpto, somno sopitus, diẽ obiit supremum. Tale initium fuit Dionis & Dionysii simultatis: eáque multis rebus aucta est. Sed tamen primis temporibus aliquandiu simulata inter eos amicitia mansit. quúmque Dion non desisteret obsecrare Dionysium vt Platonem Athenis arcesseret, & eius consiliis vteretur: ille, qui in aliqua re vellet patrem imitari, morem ei gessit: eodémque tem-
D pore Philistum historicum Syracusas reduxit, hominem amicum non magis tyranno quàm tyrannidi. Sed de hoc in eo meo libro plura sunt exposita qui de historicis conscriptus est. Plato autem tantum apud Dionysium autoritate potuit, valuitque eloquentia, vt persuaserit tyrannidis facere finem, libertatémq; reddere Syracusanis. A quà volũtate Philisti consilio deterritus, aliquanto crudelior esse cœpit.

Qui quidem quum à Dione se superari videret ingenio, autoritate, amore populi: verés ne, si eum secum haberet, aliquã occasionem sui daret opprimẽdi: nauem ei triremẽ dedit qua Corinthum deueheretur: ostendens, se id vtriusque facere causa, ne, quum inter se timerent, alteruter alterum præoccuparet. Id quum factum multi indignarentur, magnæque esset inuidiæ tyranno: Dionysius omnia quæ moueri poterant, Dionis in naui imposuit, ad eúmque misit. Sic enim existimari volebat, id se non odio hominis, sed suæ salutis fecisse causa. Postea verò quàm audiuit eum in Peloponneso manum comparare, sibíque bellum facere conari, Areten Dionis vxorem alij nuptũ dedit: filiúmque eius sic educari iussit vt indulgendo turpissimis imbueretur cupiditatibus. Nam puero priusquam pubes esset, scorta adducebantur: vino epulisque obruebatur, neque vllum tempus sobrio relinquebatur. Is vsque eò vitæ statum commutatũ ferre non potuit, postquam in patriã rediit pater, (namque appositi erant custodes qui eum à pristino victu deducerẽt) vt se è superiore parte ædiũ deiecerit, atq; ita interierit. Sed illuc reuertor. Postquam Corinthũ peruenit Diõ, & eõdẽ perfugit Heraclides ab eodẽ expulsus Dionysio, q ui præfectus fuerat equitũ: omni ratione bellum cõparare cœperunt: sed non multũ proficiebãt, quòd multorum annorũ tyrannis, magnarum opum putabatur. Quã ob causam pauci ad societatẽ periculi perducebãtur. Sed Dion, fretus nõ tã suis copiis quàm odio tyrãni, maximo animo duabus onerariis nauibus, quinquaginta annorum imperium, munitum quingentis longis nauibus, decem equitum, centum peditum millibus, profectus oppugnatum, quod omnibus gentibus admirabile est visum, adeò facilè perculit vt post diem tertium quàm Siciliam attigerat, Syracusas introierit. Ex quo intelligi potest, nullum esse imperiũ tutum nisi beneuolentia munitum. Eo tempore aberat Dionysius, & in Italia classem opperiebatur aduersariorum, ratus neminem sine magnis copiis ad se vẽturum: quæ res eũ

A fefellit.Nā Dion his ipſis qui ſub aduerſarii fuerāt po teſtate,regios ſpiritus repreſſit,totiúſque eius partis Siciliæ potitus eſt quæ ſub Dionyſii poteſtate fuerat: parique modo vrbis Syracuſarū,præter arcē & inſulā adiunctā oppido:eóq; rē perduxit vt talibus pactionibus pacē tyrannus facere vellet:Siciliam Dion obtineret,Italiam Dionyſius,Syracuſas Apollocrates,cui maximam fidē vni habebat Dion. Has tam proſperas,támq; inopinatas res cōſequuta eſt ſubita cōmutatio.Quòd fortuna ſua mobilitate,quem paulo antè B extulerat,demergere eſt adorta. Primùm in filio, de quo cōmemoraui ſuprà, ſuam vim exercuit. Nā quū vxorē reduxiſſet quæ alii fuerat tradita,filiúmq; vellet reuocare ad virtutē à perdita luxuria:accepit grauiſſimum parēs vulnus morte filii:deinde orta diſſenſione inter eum & Heraclidē. qui quidem principatū non concedens,factionem comparauit.Neque is minus valebat apud optimates, quorum cōſenſu præerat claſſi,quum Dion exercitum pedeſtrem teneret. Non tulit hoc animo æquo Dion, & verſum illū Homeri retulit ex ſecunda rhapſodia, in quo hæc ſentē- C tia eſt,Non poſſe bene geri rempublicam multorū imperiis. Quod dictum magna inuidia conſequuta eſt. Namque aperuiſſe videbatur,ſe omnia in ſua poteſtate eſſe velle.Hanc ille non lenire obſequio, ſed acerbitate opprimere ſtuduit:Heraclidémque,quū Syracuſas veniſſet,interficiendum curauit.Quod factū omnibus maximum timorē iniecit.nemo enim illo interfecto ſe tutum putabat. Ille autem aduerſario remoto, licentius eorum bona quos ſciebat aduerſus ſe ſenſiſ- D ſe,militibus diſpertiuit.quibus diuiſis, quum quotidiani maximi fierēt ſumptus,celeriter pecunia deeſſe cœpit,neque quò manus porrigeret ſuppetebat, niſi in amicorum poſſeſſiones.Id eiuſmodi erat,vt quum milites reconciliaſſet,amitteret optimates. Quarum rerum cura frangebatur: & inſuetus malè audiendi, nō æquo animo ferebat de ſe ab his malè exiſtimari quorum paulo antè in cælum fuerat elatus laudibus. Vulgus autē,offenſa in eum militum voluntate,liberius loquebatur,& tyrannum non ferendum dictita-

bat. Hæc ille intuẽs, quũ quemadmodũ sedaret, nesciret, & quorsũm euaderet, timeret, Callicrates quidam ciuis Atheniensis, qui simul cum eo ex Peloponneso in Siciliam venerat, homo & callidus & ad fraudem acutus, sine vlla religione ac fide, adit ad Dionẽ, & ait eum in magno periculo esse propter offensionẽ populi & odium militum: quod nullo modo euitare posset, nisi alicui suorum negotium daret qui se simularet illi inimicum: quem si inuenisset idoneum, facilè omnium animos cogniturum, aduersariósque sublaturum, quòd inimici eius diffidenti suos sensus aperturi forent. Tali consilio probato, excipit has partes ipse Callicrates, & se armat imprudentia Dionis. Ad eum interficiendum socios conquirit: aduersarios eius cõuenit, coniurationẽ confirmat. Res, multis conscijs quæ gereretur, elata refertur ad Aristomachẽ sororem Dionis, vxorémq; Areten. Illæ timore perterritæ conueniunt, cuius de periculo timebãt. At ille negat à Callicrate fieri sibi insidias: sed illa quæ agerẽtur, fieri præcepto suo. Mulieres nihilo secius Callicratem in ædem Proserpinæ deducunt, ac iurare cogunt, nihil ab illo periculi fore Dioni. Ille hac religione non modò non deterritus, sed ad maturandum cõcitatus est, verens ne prius cõsilium aperiretur suum quàm conata perfecisset. Hac mẽte, proximo die festo, quum à conuentu se remotum Dion domi teneret, atque in conclaui edito recubuisset: conscijs loca munitiora oppidi tradidit: domum custodibus sepsit: à foribus qui non discederent, certos præfecit. Nauẽ triremem armatis ornat, Philocratíque fratri suo tradit, eámque in portu agitari iubet, vt si exercere remiges vellet: cogitans, si fortè cõsilijs obstitisset fortuna, vt haberet quò fugeret ad salutẽ. Suorum autẽ è numero Zacynthios adolescẽtes quosdã elegit cùm audacissimos, tũ viribus maximis: hísque dat negotium vt ad Dionẽ eãt inermes, sic vt cõueniendi gratia viderẽtur venire. Hi propter notitiã sunt intromissi. At illi, vt limen eius intrarunt, foribus obseratis, in lecto cubantem inuadunt, colligant: fit strepitus adeò vt exaudiri possit foris. Hic, sicut antè sæpe dictum

A est, quàm inuisa sit singularis potentia, & miseranda vita qui se metui quàm amari malunt, cuivis facile intellectu fuit, Namq; illi ipsi custodes si propitia fuissent voluntate, foribus effractis seruare eum potuissent, quòd illi inermes, telum foris flagitãtes, viuũ tenebant. Cui quum succurreret nemo, Lyco quidã Syracusanus per fenestras gladium dedit, quo Dion interfectus est. Confecta cæde, quum multitudo visendi gratia introiisset, nonnulli ab insciis pro noxiis cõcidũtur. nã celeri rumore dilato, Dioni vim allatã,
B multi concurrerant quibus tale facinus displicebat. Hi falsa suspicione ducti, immerẽtes, inermes, vt sceleratos occidunt. Huius de morte vt palã factũ est, mirabiliter vulgi mùtata est voluntas. Nam qui viuũ eum tyrannum vocitarant, eundem liberatorem patriæ, tyrannique expulsorem prædicabant. Sic subitò misericordia odio successerat, vt eum suo sanguine, si possent, ab Acheronte cuperent redimere. Itaque in vrbe celeberrimo loco elatus, publicè sepulcri monumẽto donatus est. Diem obiit circiter annos quinquagintaquinque natus, quartum post annum quàm
C ex Peloponneso in Siciliam redierat.

# IPHICRATIS

## VITA, XI.

IPHICRATES Atheniensis, non tam magnitudine rerum gestarum, quàm disciplina militari nobilitatus est. Fuit enim talis dux vt non solùm ætatis suæ cum primis compararetur, sed ne de maioribus natu quidem
D quisquam anteponeretur. Multum verò in bello est versatus: sæpe exercitibus præfuit, nusquam culpa malè rem gessit: semper consilio vicit, tantùmque eo valuit vt multa in re militari partim nouà attulerit, partim meliora fecerit. Namque ille pedestria arma mutauit. Quum ante illum imperatorem maximis clypeis, breuibúsque hastis, minutis gladiis vterentur: ille è contrario peltam pro parma fecit, à quo postea

peltastæ pedites appellantur, vt ad motus concursúsque essent leuiores. hastæ modum duplicauit. gladios lõgiores fecit. Idem genus loricarum mutauit, & pro ferreis atque æneis, lineas dedit. Quo facto expeditiores milites reddidit. nam pondere detracto, quod æquè corpus tegeret, & leue esset, curauit. Bellum cũ Thracibus gessit: Seuthem socium Atheniensium, in regnum restituit. Apud Corinthum tanta seueritate exercitui præfuit vt nullæ vnquam in Græcia neque exercitatiores copiæ, neque magis dicto audiẽtes fuerint duci: in eámque consuetudinem adduxit, B vt quum prælii signum ab imperatore esset datum, sine ducis opera sic ordinatæ consisterent vt singuli à peritissimo imperatore dispositi viderentur. Hoc exercitu moram Lacedæmoniorum intercepit. quód maximè tota celebratum est Græcia. Iterum eodẽ bello omnes copias eorum fugauit. quo facto magnã adeptus est gloriam. Quum Artaxerxes Ægyptio regi bellum inferre voluisset, Iphicratem ab Atheniensibus petiuit ducem, quem præficeret exercitui cõducto, cuius numerus duodecim millium fuit. Quem C quidẽ sic omni disciplina militari erudiuit, vt quemadmodum quondam Fabiani milites Romani appellati sunt, sic Iphicratenses apud Græcos in summa laude fuerint. Idẽ subsidio Lacedæmoniis profectus, Epaminondæ retardauit impetus. Nam nisi eius aduentus appropinquasset, non prius Thebani Sparta abscessissent quàm captam incendio delessent. Fuit autem & animo magno & corpore, imperatoriáque forma, vt ipso aspectu cuivis iniiceret admirationem sui: sed in labore remissus nimis, parúmque patiens, D vt Theopompus memoriæ prodidit. Bonus verò ciuis, fidéque magna: quod cùm in aliis rebus declarauerit, tum maximè in Amyntæ Macedonis liberis tuẽdis. Namque Eurydice mater Perdiccæ & Philippi, cum his duobus liberis, Amynta mortuo, ad Iphicratem cõfugit, eiúsque opibus defensa est. Vixit ad senectutem placatis in se suorum ciuium animis. Causam capitis semel dixit bello sociali simul cum Ti-

A motheo,eóq; iudicio est absolutus. Menesthea filium reliquit ex Thressa natum Cotyis regis filia. Is quum interrogaretur, vtrum pluris patrē matrémne faceret: Matrem, inquit. Id quum omnibus mirum videretur: at ille, Meritò, inquit, facio. nam pater, quantum in se fuit, Thracem me genuit: contrà mater, Atheniensem.

# CHABRIAE

## VITA, XII.

B CHABRIAS Atheniensis. Hic quoque in summis habitus est ducibus, résque multas memoria dignas gessit. Sed ex his elucet maximè inuētum eius in prælio quod apud Thebas fecit, quum Bœotiis subsidio venisset. Namque in ea victoria fidentem summum ducem Agesilaum, fugatis iam ab eo conductitiis cateruis, reliquam phalangem loco vetuit cedere, obnixóque genu scuto, proiectáque hasta, impetum excipere hostium docuit. Id nouum Agesilaus intuēs, progredi nō
C est ausus, suósque iam incurrētes, tuba reuocauit. Hoc vsque eò in Græcia fama celebratum est, vt illo statu Chabrias sibi statuam fieri voluerit, quæ publicè ei ab Atheniensibus in foro constituta est. Ex quo factum est vt postea athletæ cæteríque artifices, his statibus in statuis ponendis vterentur quum victoriam essent adepti. Chabrias autē multa in Europa bella administrauit, quum dux Atheniensium esset: multa in Ægypto sua sponte gessit. Nam Nectanebum adiutum
D profectus, regnum ei constituit. Fecit idem Cypri, sed publicè ab Atheniensibus Euagorę adiutor datus: neque prius inde discessit quàm totam insulam bello deuinceret. Qua ex re Athenienses magnam gloriam sunt adepti. Interim bellum inter Ægyptios & Persas conflatum est, & Athenienses cum Artaxerxe societatē habebāt: Lacedæmonii cum Ægyptiis, à quibus magnas prædas Agesilaus rex eorum faciebat. Id intuens Chabrias, quum in re nulla Agesilao cederet,

sua sponte eos adiutũ profectus, Ægyptiæ classi præfuit, pedestribus copiis Agesilaus. Tum præfecti regis Persiæ, legatos miserunt Athenas, questum quòd Chabrias aduersum regem bellum gereret cum Ægyptiis. Atheniẽses diem certã Chabriæ præstituerunt, quã ante, domum nisi redisset, capitis se illum damnaturos denunciarunt. Hoc ille nuncio Athenas rediit, neque ibi diutius est moratus quàm fuit necesse. Non enim libenter erat ante oculos ciuium suorum, quòd & viuebat lautè, & indulgebat sibi liberalius quàm vt inuidiam vulgi posset effugere. Est enim hoc commune vitium in magnis liberísque ciuitatibus, vt inuidia gloriæ comes sit, & libenter de his detrahant quos emergere videãt altiús: neque animo æquo pauperes alienam opulentum intueantur fortunam. Itaq; Chabrias, quoad ei licebat, plurimum aberat. Neque verò solus ille aberat Athenis libenter, sed omnes ferè principes fecerunt idem, quòd tãtum se ab inuidia putabant absuturos quantum à cõspectu suorum recessissent. Itaque Conon plurimum Cypri vixit, Iphicrates in Thracia, Timotheus Lesbi, Chares in Sigæo. Dissimilis quidẽ Chares horum & factis & moribus: sed tamen Athenis & honoratus & potens. Chabrias autẽ periit bello sociali, tali modo: Oppugnabant Athenienses Chium: erat in classe Chabrias priuatus, sed omnes qui in magistratu erant, autoritate anteibat, eúmq; magis milites quàm qui præerãt, aspiciebant. Quæ res ei maturauit mortem. Nã dum primus studet portum intrare, & gubernatorẽ iubet eò dirigere nauẽ, ipse sibi pernicici fuit. Quum enim eò penetrasset, cæteræ non sunt sequutæ. Quo facto, circumfusus hostium concursu, quum fortissimè pugnaret, nauis rostro percussa cœpit sidere. Hinc quum refugere non posset nisi se in mare deiecisset, quòd suberat classis Atheniensium quæ exciperet natãtem, perire maluit quàm armis abiectis nauem relinquere in qua fuerat vectus. Id cæteri facere noluerunt, qui nando in tutum peruenerunt. At ille, præstare honestam mortẽ turpi vitæ existimans, cõminus pugnãs, telis hostium interfectus est.

A

# TIMOTHEI VITA, XIII.

TIMOTHEVS, Cononis filius, Athenien-
sis. Hic à patre acceptam gloriam multis
auxit virtutibus. Fuit enim disertus, impi-
ger, laboriosus, rei militaris peritus, neq;
minus ciuitatis regendæ. Multa huius sunt præcla
rè facta, sed hæc maximè illustria. Olynthios & By-
zantios bello subegit: Samum cepit, in qua oppugnā-
B da, superiori bello Athenienses mille & ducenta ta-
lenta consumpserant. Hanc ille sine vlla publica im-
pensa populo restituit. Aduersus Cotyn bella ges-
sit, ab eóque mille & ducenta talenta prædæ in publi
cum detulit. Cyzicū obsidione liberauit. Ariobar
zani simul cum Agesilao auxilio profectus est: à quo
quū Laco pecuniam numeratam accepisset, ille ciues
suos agro atq; vrbibus augeri maluit quàm id sume-
re cuius partē domū suā ferre posset. Itaque accepit
Erichthonem & Sestum. Idem classi præfectus cir
C cumuehens Peloponnesum, Laconicam populatus,
classem eorum fugauit. Corcyrā sub imperium A-
theniensium redegit, sociósque idem adiunxit Epiro-
tas, Athamanas, Chaonas, omnésque eas gentes quæ
mare illud adiacent. Quo facto Lacedæmonii de
diutina contentione destiterunt, & sua sponte Athe-
niensibus imperii maritimi principatum concesserūt,
pacémque his legibus constituerunt, vt Athenienses
mari duces essent. Quæ victoria tantæ fuit Atticis
lætitiæ, vt tum primùm aræ paci publicæ sint factæ,
D eíque deæ puluinar sit institutū. Cuius laudis vt me-
moria maneret, Timotheo publicè statuam in foro
posuerunt: qui honos huic vni, ante hoc tēpus conti-
git nemini, vt quū patri populus statuā posuisset, fi-
lio quoque daret. Sic iuxtà posita recens filii, veterem
patris renouauit memoriam. Hic quum esset ma-
gno natu, & magistratus gerere desisset: bello Athe-
nienses vndique premi sunt cœpti. Defecerat Samus:
descierat Hellespontus. Philippus iam tunc valens
Macedo,

Macedo, multa moliebatur: cui oppositus Chares A
quum esset, non satis in eo præsidii putabatur. Fit Me
nestheus prætor, filius Iphicratis, gener Timothei, &
vt ad bellum proficiscatur, decernitur. Huic in consi-
lium dantur duo, vsu & sapientia præstantes, quorum
consilio vteretur, pater & socer: quòd in his tāta erat
autoritas vt magna spes esset, per eos amissa posse re-
cuperari. Hi quum Samum profecti essent, & eōdē
Chares eorū aduentu cognito, cum suis copiis pro-
ficisceretur, ne quid absente se gestum videretur: acci
dit quum ad insulam appropinquarent, vt magna tē- B
pestas oriretur: quam euitare duo veteres imperato-
res vtile arbitrati, suam classem suppresserunt. At ille
temeraria vsus ratione, non cessit maiorum natu auto
ritati, & vt in sua naui esset fortuna, quò cōtenderat,
peruenit, eodémque vt sequerentur, ad Timotheū &
Iphicratem nuncium misit. Hinc malè re gesta, cō-
pluribus amissis nauibus, eòdem vnde erat profectus
se recepit, literásque Athenas publicè misit, sibi pro-
cliue fuisse Samum capere nisi à Timotheo & Iphicra
te desertus esset. Ob eam rem in crimen vocabantur. C
Populus acer, suspicax, mobilis, aduersarius, inuidus
etiam potentiæ, domum reuocat: accusantur proditio
nis. Hoc iudicio damnatur Timotheus, lísq; eius æ-
stimatur centum talentis. Ille odio ingratæ ciuitatis
coactus, Chalcidem se contulit. Huius post mortē,
quum populum iudicii sui pœniteret, mulctæ nouem
partes detraxit, & decem talenta Cononem filium e-
ius ad muri quādam partē reficiendam iussit dare. In
quo fortunæ varietas est animaduersa. Nā quos auus
Conon muros ex hostium præda patriæ restituerat, D
eosdem nepos cum summa ignominia familiæ, ex sua
re familiari reficere coactus est. Timothei autē mo
deratæ sapientísque vitæ quū pleraque possim' pro-
ferre testimonia, vno erimus contenti, quòd ex eo fa
cilè coniici poterit quàm charus suis fuerit. Quū A-
thenis adolescentulus causam diceret, non solùm ami
ci priuatique hospites ad eum defendendum cōuene-
runt, sed etiā in eis Iason tyrannus, qui illo tempore

A fuit omnium potentissimus. Hic quum in patria sine satellitibus se tutum nō arbitraretur, Athenas sine vllo præsidio venit:tantíque hospitem fecit, vt mallet se capitis periculum adire quàm Timotheo de fama dimicanti deesse. Hunc aduersus tamen, Timotheus postea populi iussu bellum gessit. patriæ enim sanctiora iura quàm hospitii esse duxit. Hæc extrema fuit ætas imperatorum Atheniensiū, Iphicratis, Chabriæ, Timothei. Neque post illorum obitum quisquā dux in illa vrbe fuit dignus memoria.

B

## DATAMIS

### VITA, XIIII.

VENIO nunc ad fortissimum virum, maximíque consilii omnium barbarorū, exceptis duobus Carthaginensibus, Hamilcare & Hannibale. De quo hoc plura referemus quòd & obscuriora sunt eius gesta pleraque,
C & ea quæ prosperè ei cesserunt, non magnitudine copiarū, sed cōsilii, quo tantūnon omnes superabat, acciderunt. Quorum nisi ratio explicata fuerit, res apparere non poterunt. Datames patre Camissare, natione Care, matre Scythissa natus, primùm militū numero fuit apud Artaxerxem eorum qui regiam tuebantur. Pater eius Camissares, quòd & manu fortis, & bello strenuus, & regi multis locis fidelis erat repertus, habuit prouinciam Ciliciæ iuxta Cappadociā quam incolunt Leucosyri. Datames militare munus
D fungens primùm, qualis esset apparuit bello quod rex aduersus Cadusios gessit. Namque hîc multis millibus regiorum interfectis, magni fuit eius opera. Quo factum est vt, quum in eo bello cecidisset Camissares, paterna ei traderetur prouincia. Pari se virtute postea præbuit quū Autophradates iussu regis bello persequeretur eos qui defecerant. Nāque eius operâ hostes, quum castra iam intrassent, profligati sunt, exercitúsque reliquus conseruatus re-

gis est. Qua ex re maioribus rebus præesse cœpit. E- A
rat eo tempore Thyus dynastes Paphlagoniæ, anti-
quo genere natus, à Pylæmene illo quem Homerus
Troico bello à Patroclo interfectum ait. Is regis di-
cto audiēs non erat: quam ob causam bello eum per-
sequi constituit, eiq; ue rei præfecit Datamen propin-
quum Paphlagonis. namque ex fratre & sorore erant
nati. Quā ob causam Datames omnia primùm expe-
riri voluit vt sine armis propinquum ad officium re-
duceret. Ad quem quū venisset sine præsidio, quòd
ab amico nullas vereretur insidias, penè interiit. Nam B
Thyus eum clàm interficere voluit. Erat mater cum
Datame, amita Paphlagonis: ea quid ageretur resciit,
filiúmque monuit, ille fuga periculū euitauit, bellúm-
que indixit Thyo. In quo quū ab Ariobarzane præ-
fecto Lydiæ & Ioniæ totiúsque Phrygiæ desertus es-
set, nihilo segnius perseuerauit, viuúmque Thyum ce
pit cum vxore & liberis. Cuius facti ne prius fama
ad regem quàm ipse perueniret, dedit operam. Itaque
omnibus insciis eò vbi erat rex, venit, posteróq; die
Thyum, hominem maximi corporis terribilíque fa-
ciè, quòd & niger & capillo lōgo barbáque erat pro- C
lixa, optima veste contexit, quam satrapæ regii gerere
consueuerant. Ornauit etiam torque, atque armillis
aureis, cæteróque regio cultu. Ipse agresti, duplicíque
amiculo circundatus, hirtáque tunica, gerens in capi
te galeam venatoriam, dextra manu clauam, sinistra
copulam, vinctum ante se Thyum agebat, vt si fe-
ram bestiam captam duceret. Quem quum omnes
prospicerent, propter nouitatem ornatus, ignotámq;
formam, ob eámque rem magnus esset cōcursus: fuit
nemo qui agnosceret Thyum, qui non regi nuncia- D
ret. Ac primò non credidit. Itaque Pharnabazum mi-
sit exploratū: à quo vt rē gestam cōperit, statim admit
ti iussit, magnopere delectatus cū facto, tū ornatu: in
primis quòd nō vilis rex in potestatē inopinàti vene
rat. Itaq; magnificè Datamen donatū ad exercitū mi-
sit qui tū cōtrahebatur duce Pharnabazo & Tithrau
ste ad bellū Ægyptiū, paríque eū atque illos imperio

A esse iussit. Postea verò quàm Pharnabazum rex reuocauit, illi summa imperii tradita est. Hic quum maximo studio cōpararet exercitum, Ægyptúmq; proficisci pararet, subitò à rege literæ sunt ei missæ vt Aspim aggrederetur, qui Cataoniā tenebat, quæ gēs iacet supra Ciliciam, cōfinis Cappadociæ. Namque Aspis saltuosam regionem castellísque munitam incolens, non solùm imperio regis non parebat, sed etiam finitimas regiones vexabat, & quæ regi portarentur, abripiebat. Datames, etsi longè aberat ab his regio-
B nibus, & à maiore re abstrahebatur: tamen regis volūtati morem gerendum putauit. Itaque cum paucis, sed viris fortibus, nauem conscendit, existimans, id quod accidit, faciliùs se imprudentem & imparatum parua manu oppressurum, quàm paratum, quamuis magno exercitu. Hac delatus, in Ciliciā egressus, inde dies noctésque iter faciēs, Taurū transiit, eóque quò studuerat, venit. Quærit quibus locis sit Aspis: cognoscit haud longè abesse: profectúmque eum venatum. Quem dum speculatur, aduentus eius causa cognosci
C tur. Pisidas cum iis quos secum habebat, ad resistendum Aspis comparat. Id Datames vbi audiuit, arma capit, suos sequi iubet: ipse equo concitato ad hostem vehitur: quem procul Aspis conspiciens ad se ferentem, pertimescit, atque à conatu resistēdi deterritus, sese dedit. Hunc Datames vinctum ad regem ducendum tradit Mithridati. Hæc dum geruntur, Artaxerxes reminiscens à quanto bello ad quam paruam rem principem ducum misisset, seipsum reprehendit, & nuncium ad exercitum acrem misit, quòd
D nondum Datamen profectum putabat, qui ei diceret ne ab exercitu discederet. Hic priusquam perueniret quò erat profectus, in itinere conuenit qui Aspim ducebant. Qua celeritate quum magnam beneuolentiam regis Datames consequutus esset, non minorem inuidiam aulicorum excepit, quòd illum vnum pluris quàm se omnes fieri videbant. Quo facto, cuncti ad eum opprimendum consenserunt. Hæc Pandates, gazæ custos regiæ, amicus Datami, perscripta ei

mittit, in quibus docet, eum magno fore periculo, si quid illo imperãte in Ægypto aduersi accidisset. Nãque eam esse consuetudinẽ regũ, vt casus aduersos hominibus tribuant, secundos fortunæ suæ. Quo facilè fieri vt impellantur ad eorum perniciem quorum ductu res malè gestæ nuncientur. Illum hoc maiore fore discrimine, quòd quibus rex maximè obediat, eos habeat inimicissimos. Talibus ille literis cognitis, quum iam ad exercitum acrem venisset, quòd nõ ignorabat ea verè scripta, desciscere à rege cõstituit. A
Neque tamen quicquam fecit quod fide sua esset indignum. Nam Androclem Magnetem exercitui præfecit: ipse cum suis in Cappadociã discedit, coniunctámque huic Paphlagoniam occupat, celans qua voluntate esset in regem: clàm cum Ariobarzane facit amicitiam, manum comparat, vrbes munitas suis tuendas tradit. Sed hæc propter hyemale tempus minus prosperè succedebãt. Audit Pisidas quasdã copias aduersus se parare: filium eò Aridæũ cum exercitu mittit. Cadit in prælio adolescens: proficiscitur eò pater non ita cum magna manu, celans quãtum vulnus accepisset, quòd prius ad hostem peruenire cupiebat quàm de malè re gesta fama ad suos perueniret, ne cognita filii morte, animi debilitarentur militum. Quò contẽderat peruenit, hísque locis castra ponit, vt neque circumueniri multitudine aduersariorum posset, neque impediri quò minus ipse ad dimicandum manum haberet expeditam. Erat cum eo Mithrobarzanes socer eius, præfectus equitum. Is desperatis generi rebus ad hostes trãsfugit. Id Datames vt audiuit, sensit, si in turbam exisset, ab homine tam necessario se esse relictum, futurũ vt cæteri consilium sequerentur: in vulgus edit, suo iussu Mithrobarzanẽ profectũ pro perfuga, quò facili' receptus, interficeret hostes. Quare relinqui eum nõ par esse, sed omnes cõfestim sequi: quod si animo strenuo fecissent, futurũ vt aduersarii non possent resistere, quum & intra vallum & foris cæderentur. Hac re probata, exercitum educit: Mithrobarzanem persequitur, qui tum ad hostes

A peruenerat. Datames signa inferri iubet. Pisidæ, noua re commoti, in opinionem adducuntur, perfugas mala fide, compositóque fecisse, vt recepti essent maiori calamitati: primùm eos adoriuntur. Illi, quum quid ageretur, aut quare fieret ignorarent: coacti sunt cum eis pugnare ad quos transierant, ab hísque stare quos reliquerant. Quibus quum neutri parcerēt, celeriter sunt concisi. Reliquos Pisidas resistentes Datames inuadit. primo impetu pellit, fugientes persequitur, multos interficit, castra hostium capit. Tali cō-
B silio vno tempore & proditores perculit, & hostes profligauit, & quod ad suam perniciem fuerat cogitatum, id ad salutem conuertit. Quo neque acutius vllius imperatoris cogitatum, neque celerius factum vsquam legimus. Ab hoc tamen viro Scismas maximus natu filius desciit, & ad regem transiit, & de defectione patris detulit. Quo nūcio Artaxerxes commotus, quòd intelligebat sibi cum viro forti ac strenuo negotium esse, qui quum cogitasset, facere auderet, & prius cogitare quàm conari consuesset: Autophradatem in
C Cappadociam mittit. Hic ne intrare posset saltum in quo Ciliciæ portæ sunt sitæ, Datames præoccupare studuit: sed tam subitò copias contrahere nō potuit. A qua re depulsus, cum ea manu quam contraxerat, locum delegit talem vt neque circumiretur ab hostibus, neque præteriret aduersarius quin ancipitibus locis premeretur: &, si dimicare eo vellet, non multum obesse multitudo hostium suæ paucitati posset. Hæc etsi Autophradates videbat, satius tamen statuit congredi quàm cum tantis copiis refugere, aut tam diu
D vno loco sedere. Habebat barbarorum equitum viginti, peditum centum millia, quos illi Gardates appellant, eiusdémque generis tria funditorum. Præterea Cappadocum octo, Armeniorum decem, Paphlagonū quinque, Phrygum decem, Lydorum quinque, Aspendiorum & Pisidarum circiter tria, Ciliciū duo, Captianorū totidē, ex Græcia cōductorum tria millia: leuis armaturæ maximū numerū. Has aduersus copias, spes omnis consistebat Datami in se locíque natura.

namque huius partem non habebat vigesimam mili- A
tum. Quibus fretus conflixit, aduersariorúmque mul
ta millia concidit, quum de ipsius exercitu non am-
plius hominum mille cecidisset. Quam ob causam po
stero die tropæum posuit quo loco pridie pugnatũ.
Hic quum castra mouisset, inferior copiis, superior
omnibus præliis discedebat, quòd nunquam manum
confereret nisi aduersarios locorum angustiis clausis
set. quod perito regionum callidéque cogitanti sæpe
accidebat. Autophradates quum bellum duci ma- B
iore regis calamitate quàm aduersariorum videret,
ad pacem atque amicitiam hortatus est, vt cum rege
in gratiam rediret. Quam ille etsi non fidam fore pu
tabat, tamen cõditionem accepit, séque ad Artaxerxẽ
legatos missurũ dixit. Sic bellum quod rex aduersus
Datamen susceperat, sedatũ: Autophradates in Phry-
giam se recipit. At rex, quòd implacabile odium
in Datamẽ susceperat, postquam bello eum opprimi
non posse animaduertit, insidiis interficere studuit.
quas ille plerasque vitauit. sicut quum nunciatũ esset C
quosdam sibi insidiari qui in amicorum erant nume
ro: de quibus quòd inimici detulerant, neque creden
dum, neque negligendum putauit: experiri voluit ve
rum falsúmne sibi esset relatum. Itaque eò profectus
est in quo itinere futuras insidias illi dixerant. Sed e-
legit corpore & statura similimum sui, eíque vestitũ
suum dedit, atque eò loci ire quò ipse consueuerat,
iussit. ipse autem ornatus vestitu militari, inter corpo
ris custodes iter facere cœpit. At insidiatores, postquã
in eũ locum agmẽ peruenit, decepti ordine atque ve- D
stitu, in eũ faciunt impetũ qui suppositus erat. Prædi-
xerat autẽ his Datames cũ quibus iter faciebat, vt pa
rati essent facere quod ipsum vidissent. Ipse vt cõcur-
rentes insidiatores animaduertit, tela in eos coniecit.
Hoc idẽ quũ vniuersi fecissent, priusquàm peruenirẽt
ad eum quẽ aggredi volebant, cõfixi ceciderũt. Hic
tamẽ tam callidus vir extremo tẽpore captus est Mi
thridatis Ariobarzanis filii dolo. Namq; is pollicitus
est regi se eũ interfecturũ, si rex promitteret vt quod-

A cũque vellet, liceret impunè facere, fidémq; de ea re more Persarum dextrâ dedisset. Hanc vt accepit, simulat se suscepisse cum rege inimicitiam, copias parat, & absens amicitiam cum Datame facit: regis prouinciam vexat, castella expugnat, magnas prædas agit: quarum partem suis dispertit, partem ad Datamen mittit. Pari modo complura castella ei tradit. Hæc diu faciendo, persuasit homini se infinitum aduersus regem suscepisse bellum, quum nihilo magis, ne quã suspicionem illi præberet insidiarum, neque colloquium eius petiuit, neque in conspectum venire studuit. Sic absens amicitiam gerebat, vt non beneficiis mutuis, sed odio communi, quod erga regem susceperant, contineri viderentur. Id quum satis se confirmasse arbitratus est, certiorem facit Datamen, tempus esse maiores exercitus parari, & bellum cum rege suscipi: de qua re, si ei videretur, quò vellet in colloquium veniret. Probata re, colloquendi tẽpus sumitur, locúsque quò conueniretur. Huc Mithridates cũ vno cui maximam habebat fidem, ante aliquot dies venit, compluribúsq; locis separatim gladios obruit, C eáque loca diligenter notat. Ipso autem colloquendi die vtrique locum qui explorarent atque ipsos scrutarentur mittunt: deinde ipsi sunt congressi. Hic quũ aliquandiu in colloquio fuissent, & diuersi discessissent, iámque procul Datames abesset, Mithridates, priusquam ad suos perueniret, ne quam suspicionem páreret, in eundem locum reuertitur, atque ibi vbi telum erat impositum resedit, vt si à lassitudine cuperet acquiescere, Daménque reuocauit, simulãs se quiddam in colloquio esse oblitum: interim telum quod D latebat protulit, nudatúmque vagina, veste texit, ac Datami venienti ait, digredientem se animaduertisse locum quendam qui erat in conspectu, ad castra ponenda esse idoneum. Quem quum digito mõstraret, & ille conspiceret, auersum ferro transfixit: & prius quàm quisquam posset succurrere, interfecit. Ita ille vir qui multos consilio, neminem perfidia ceperat, simulata captus est amicitia.

# EPAMINONDAE A

## VITA, XV.

EPAMINONDAS, Polymni filius, Thebanus. De hoc priusquam scribamus, hæc præcipienda videntur lectoribus, ne alienos mores ad suos referant, néve ea quæ ipsis leuiora sunt, pari modo apud cæteros fuisse arbitrentur. Scimus enim musicen nostris moribus abesse à principis persona: saltare etiam in vitiis poni. Quæ omnia apud Græcos & grata & laude digna ducuntur. B Quum autem exprimere imaginem consuetudinis atque vitæ velimus Epaminondæ, nihil videmur debere prætermittere quod pertineat ad eam declarandã. Quare dicemus primùm de genere eius: deinde quibus disciplinis, & à quibus sit eruditus: tũ de moribus ingeniíque facultatibus, & si qua alia digna memoria erunt. postremò de rebus gestis, quæ plurimis omnium anteponuntur virtutibus. Natus igitur patre quo diximus, honesto genere: pauper iã à maioribus relictus. Eruditus autẽ sic vt nemo Thebanus magis. C nam & citharizare & cantare ad chordarum sonum doctus est à Dionysio, qui non minore fuit in musicis gloria quàm Damon aut Lamprus, quorum peruulgata sunt nomina: carmina cãtare tibiis, ab Olympiodoro: saltare, à Calliphrone. At philosophiæ præceptorem habuit Lysim Tarentinum Pythagoræum: cui quidem sic fuit deditus, vt adolescens tristem & seuerum senem omnibus æqualibus suis in familiaritate anteposuerit, neque prius eum à se dimiserit quàm doctrinis tanto antecessit condisci- D pulos, vt facilè intelligi posset pari modo superaturũ omnes in cæteris artibus. Atque hæc ad nostram cõsuetudinem sunt leuia, & potius contemnenda: at in Græcia vtique olim magnæ laudi erant. Postquam ephebus factus est, & palæstræ dare operam cœpit: non tam magnitudini virium seruiuit quàm velocitati. illam enim ad athletarum vsum: hanc, ad belli existimabat vtilitatem pertinere. Itaque exercebatur

A plurimùm currendo & luctando ad eum finem, quoad ſtans complecti poſſet, atque contendere. In armis plurimum ſtudii conſumebat. Ad hanc corporis firmitatem plura etiam animi bona acceſſerant. Erat enim modeſtus, prudens, grauis, temporibus ſapienter vtens, peritus belli, fortis manu, animo maximo, adeò veritatis diligens vt ne ioco quidem mentiretur. Idem continens, clemens, patiénſque admirandũ in modum, non ſolùm populi ſed etiam amicorum ferẽs iniurias, in primiſque commiſſa celans: quod in-
B terdum non minus prodeſt quàm diſertè dicere. Studioſus audiendi. ex hoc enim facilimè diſci arbitrabatur. Itaque quum in circulum veniſſet in quo aut de republica diſputaretur, aut de philoſophia ſermo haberetur, nunquam inde prius diſceſſit quàm ad finem ſermo eſſet deductus. Paupertatem adeò facilè perpeſſus eſt, vt de republica nihil præter gloriam ceperit. Amicorum in ſe tuendo caruit facultatibus, fide ad alios ſubleuandos ſæpe ſic vſus eſt vt poſſit iudicari omnia ei cum amicis fuiſſe communia. Nam
C quum aut ciuium ſuorum aliquis ab hoſtibus fuiſſet captus, aut virgo amici nubilis propter paupertatem collocari non poſſet: amicorum conſilium habebat, & quantum quiſque daret, pro facultatibus imperabat: eámque ſummam quum faceret, priuſquam acciperet pecuniam, adducebat eum qui quærebat, ad eos qui conferebant, eíque vt ipſi numerarent, faciebat: vt ille ad quem ea res perueniebat, ſciret quibus & quantum cuique deberet. Tentata
D autem eius eſt abſtinentia à Diomedonte Cyziceno. Namque is, rogatu Artaxerxis, Epaminondam pecunia corrumpendũ ſuſceperat. Hic magno cũ pondere auri Thebas venit, & Micythum adoleſcẽtulũ quinque talentis ad ſuam perduxit volũtatem, quem tum Epaminõdas plurimùm diligebat. Micythus Epaminondam conuenit, & cauſam aduentus Diomedontis oſtendit. At ille Diomedonte coram, Nihil, inquit, opus pecunia eſt. Nam ſi ea rex vult quæ Thebanis ſunt vtilia, gratis facere ſum paratus: ſin autem con-

traria, non habet auri atque argenti satis. namque A
orbis terrarum diuitias accipere nolo pro patriæ charitate. Te qui me incognitum tentasti, tuíque similem existimasti, non miror: tibi ignosco. Sed egredere properè, ne alios corrumpas quum me non potueris. Tu Micythe argentum huic redde, aut nisi id confestim facis, ego te tradam magistratui. Hunc Diomedon quum rogaret vt tutò exire, suáq; quæ attulisset, liceret efferre: Istud, inquit, faciam: neque tua causa, sed mea: ne, si tibi sit pecunia adempta, aliquis
dicat ad me ereptum peruenisse, quod delatum acci- B
pere noluissem. A quo quum quæsisset quò se duci vellet, & ille Athenas diceret: præsidium dedit, vt eò tutò perueniret. Neque verò id satis habuit, sed etiã vt inuiolatus in nauem ascenderet, per Chabriam Atheniensem curauit, de quo suprà mentionem fecimus. Abstinentiæ erit hoc satis testimoniũ. Plurima quidẽ proferre possemus, sed modus adhibendus est, quoniam vno hoc volumine vitas excellentiũ virorũ complurium concludere constituimus, quas separa-
tim multis millibus versuum complures scriptores C
ante nos explicarunt. Fuit & disertus, vt nemo Thebanus ei par esset eloquentia: neque minus concinnus in breuitate respondendi quàm in perpetua oratione ornatus. Habuit obtrectatorem Meneclidem quendam, indidem Thebis, aduersarium in administranda republica, satis exercitatum in dicendo, vt Thebanum scilicet. namque illi genti plus inest viriũ quàm ingenii. Is, quòd in re militari florere Epaminõdam videbat, hortari solebat Thebanos vt pacem bello
anteferrent, ne illius imperatoris opera desideraretur. D
Huic ille, Fallis, inquit, verbo ciues tuos, quòd hos à bello auocas. Otii enim nomine seruitutem cõcilias. nam paritur pax bello. Itaque qui ea diutina volunt frui, bello exercitati esse debent. Quare si principes Græciæ esse vultis, castris est vobis vtendum, non palæstra. Idem ille Meneclides quum huic obiiceret quòd liberos non haberet, neque vxorem duxisset: maximéque insolentiam, quòd sibi

A Agamemnonis, bello, gloriam videretur consequutus: at ille, Desine, inquit, Meneclide, de vxore mihi exprobrare. nam nullius in ista re minus quàm tuo vti consilio volo. (habebat enim Meneclides suspicionem adulterii) Quòd autem me Agamemnonem æmulari putas, falleris. namq; ille cum vniuersa Grçcia vix decem annis vnam cepit vrbem: ego contrà, ex vna vrbe nostra, diéque vno, totam Græciam Lacedæmoniis fugatis, liberaui. Idem quum in conuentum venisset Arcadum, petens vt societatem cum
B Thebanis & Argiuis facerēt, contráque Callistratus Atheniensium legatus, qui eloquentia omnes eo præstabat tempore, postularet vt potius amicitiā sequerentur Atticorum, & in oratione sua multa inuectus esset in Thebanos & Argiuos, in eísque hoc posuisset, Animaduertere debere Arcadas, quales vtraque ciuitas ciues procreasset, ex quibus de cæteris possent iudicare. Argiuos enim fuisse Orestem & Alcmæonem, matricidas: Thebis OEdipum natum, qui quū patrem suum interfecisset, ex matre liberos procreasset.
C set. Hic in respondēdo Epaminondas, quū de cæteris perorasset, postquam ad illa duo opprobria peruenit, admirari se dixit stultitiam rhetoris Attici, qui non animaduerteret, innocentes illos natos, domi scelere admisso quum patria essent pulsi, receptos esse ab Atheniensibus. Sed maximè eius eloquentia eluxit Spartæ: quò quum omnium sociorum conuenissent legati, coram frequentissimo legationum cōuentu sic Lacedæmoniorum tyrannidem coarguit, vt non minus illa oratione opes eorū concusserit quàm
D Leuctrica pugna. Tum enim perfecit, quod post apparuit, vt auxilio sociorum Lacedæmonii priuarentur. Fuisse autem patientem, suorúmque iniurias ferentem ciuium, quòd se patriæ irasci nefas esse duceret, hæc sunt testimonia. Quum eum propter inuidiam ciues præficere exercitui noluissent, dúxque esset delectus belli imperitus, cuius errore eò esset deducta res illa militum vt omnes de salute pertimescerent, quòd locorum angustiis clausi, ab hostibus ob-

fidebantur: desiderari cœpta est Epaminondæ diligẽtia. erat enim ibi priuatus numero militum. A quo quum peterent opem, nullam adhibuit memoriã cõtumeliæ: & exercitum obsidione liberatum, domum reduxit incolumem. Neque verò hoc semel fecit, sed sæpius. Maximè autem fuit illustre, quum in Peloponnesum exercitum duxisset aduersus Lacedæmonios, haberétq; collegas duos, quorum alter erat Pelopidas, vir fortis ac strenuus. Hîc cùm criminibus aduersariorum, omnes in inuidiam venissent, ob eám que rem imperium his esset abrogatum, atque in eorum locum alii prætores successissent: Epaminondas plebiscito non paruit: idémque vt facerent persuasit collegis, & bellum quod susceperat, gessit. Namque animaduertebat, vbi id fecisset, totum exercitũ propter prætorum imprudẽtiam inscitiámq; belli periturum. Lex erat Thebis quæ morte mulctabat si quis imperium diutius retinuisset quàm lege præfinitum foret. Hanc Epaminondas quum reipublicæ conseruandæ causa latam videret, ad perniciem ciuitatis conferre noluit: & quatuor mensibus diutius quàm populus iusserat, gessit imperium. Postquam domum reditum est, collegæ eius hoc crimine accusabantur. Quibus ille permisit omnẽ vt causam in se transferrent, suáque operâ factum contenderent vt legi non obedirent. Qua defensione illis periculo liberatis, nemo Epaminondam responsurum putabat, quòd quid diceret non haberet. At ille in iudicium venit, nihil eorum negauit quæ aduersarii crimini dabant, omniáque quæ collegæ dixerant, confessus est: neque recusauit quò minus legis pœnam subiret: sed vnum ab iis petiuit, vt in periculo suo conscriberent, EPAMINONDAS A THEBANIS MORTE MVLCTATVS EST, QVOD EOS COEGIT APVD LEVCTRA SVPERARE LACEDAEMONIOS, QVOS ANTE SE IMPERATOREM NEMO BOEOTIORVM AVSVS FVIT ASPICERE, IN ACIE QVOQVE VNO PRAELIO

A (margin, line 1) · B (margin, at "que rem imperium") · C (margin, at "uitatis conferre") · D (margin, at "fessus est")

A NON SOLVM THEBAS AB INTERITV RETRAXIT, SED ETIAM VNIVERSAM GRAECIAM IN LIBERTATEM VINDICAVIT: EOQVE RES VTRORVMQVE PERDVXIT VT THEBANI SPARTAM OPPVGNARENT, LACEDAEMONII SATIS HABERENT SI SALVI ESSE POSSENT: NEQVE PRIVS BELLARE DESTITIT QVAM, MESSENA CONSTITVTA, VRBEM EORVM OBSIDIONE

B CLAVSIT. Hæc quum dixiſſet, riſus omnium cum hilaritate coortus eſt, neq; quiſquam iudex auſus eſt ferre ſuffragium. Sic à iudicio capitis maxima diſceſſit gloria. Hic extremo tempore imperator apud Mantineam, quũ acie inſtructa audacius inſtaret hoſtibus, cognitus à Lacedæmoniis, quòd in eius vnius pernicie patriæ ſitã putabant ſalutẽ, vniuerſi in vnum impetũ fecerũt: neq; prius abſceſſerunt quàm magna cæde facta multiſque occiſis, fortiſſimè ipſum Epaminondam pugnãtem, ſparo eminus percuſſum,

C concidere viderunt. Huius caſu aliquantum retardati ſunt Bœotii: neque tamen prius pugna exceſſerunt quàm repugnantes profligarunt. At Epaminondas, quum animaduerteret mortiferum ſe vulnus accepiſſe, ſimúlque ſi ferrum quòd ex haſtili in corpore remanſerat, extraxiſſet, animam ſtatim amiſſurum: vſque eò retinuit quoad renunciatum eſt viciſſe Bœotios. Id poſtquam audiuit, Satis, inquit, vixi. inuictus enim morior. Tum ferro extracto, cõfeſtim exanimatus eſt. Hic vxorem nunquã duxit: in quo

D quum reprehenderetur à Pelopida, qui filium habebat infamem: maléque eum in eo patriæ cõſulere diceret, quòd liberos non relinqueret: Vide, inquit, ne tu peius conſulas, qui talem ex te natum relicturus ſis. Neque verò ſtirps mihi poteſt deeſſe. nãq; ex me natam relinquo pugnam Leuctricam, quæ non modò mihi ſuperſtes, ſed etiam immortalis ſit, neceſſe eſt. Quo tẽpore duce Pelopida exules Thebas occupauerunt, & præſidium Lacedæmoniorum ex arce

expulerunt:Epaminondas quandiu facta eſt cædes ci- A
uium,domi ſe retinuit,quòd neque malos defende-
re volebat,neque impugnare,ne manus ſuorum ſan-
guine cruentaret. Namque omnem ciuilem victoriã
funeſtam putabat.Idémq; poſtquam apud Cadmeam
pugnari cum Lacedæmoniis cœpit, in primis ſtetit.
Huius de virtutibus vitáque ſatis erit dictum ſi hoc
vnum adiunxero,quod nemo eat inficias: Thebas &
ante Epaminondam natum,& poſt eiuſdem interi-
tum,perpetuò alieno paruiſſe imperio:quum ea quã-
diu ille præfuerit reipublicæ,caput fuiſſet totius Græ- B
ciæ. ex quo intelligi poteſt, vnum hominem pluris
quàm ciuitatem fuiſſe.

# PELOPIDAE

## VITA, XVI.

PELOPIDAS Thebanus, magis hiſto-
riis quàm vulgo notus. Cuius de virtuti-
bus dubito quemadmodũ exponam:quòd C
vereor,ſi res explicare incipiam, nõ vitam
eius enarrare,ſed hiſtoriam videar ſcribere: ſi tantũ-
modò ſummas attigero, ne rudibus literarum Græ-
carum minus lucidè appareat quantus fuerit ille vir.
Itaque vtrique rei occurram quãtum potero, & me-
debor cùm ſatietati tum ignorantiæ lectorũ. Phœ-
bidas Lacedæmonius quum exercitum Olynthum
duceret, itérque per Thebas faceret, arcem oppidi,
quæ Cadmea nominatur,occupauit,impulſu perpau-
corum Thebanorum, qui aduerſariæ factioni quò D
facilius reſiſterent,Laconum rebus ſtudebant. Idque
ſuo priuato,non publico,fecit cõſilio.quo facto,cum
Lacedæmonii ab exercitu remouerunt, pecuniáque
mulctarunt: neque eò magis arcem Thebanis red-
diderunt,quòd ſuſceptis inimicitiis, ſatius ducebant
eos obſideri quàm liberari.Nam poſt Pelopõneſium
bellum, Athenáſque deuictas, cum Thebanis ſibi
rem eſſe exiſtimabant, & eos eſſe ſolos qui aduerſùs
reſiſtere auderent. Hac mente amicis ſuis ſummas

A potestates dederant, alterius factionis principes partim interfecerant, alios in exiliũ eiecerant: in quibus Pelopidas hic de quo scribere exorsi sumus, pulsus, patria carebat. Hi omnes ferè Athenas se cõtulerant, nõ vt sequerentur otium, sed vt quenq; ex proximo locũ fors obtulisset, eo patriam recuperare niterentur. Itaque quum tempus est visum rei gerendæ, cõmuniter cum his qui Thebis idem sentiebant, diẽ delegerunt ad inimicos opprimendos, ciuitatémque liberandam, eum quo maximi magistratus simul cõ-
B sueuerant epulari. Magnæ sæpe res non ita magnis copiis sunt gestæ: sed profectò nunquam ab tam tenui initio tantæ opes sunt profligatæ. Nam duodecim adolescentuli coierunt ex his qui exilio erãt mulctati, quum omnino non essent amplius centum qui tanto se offerrent periculo. qua paucitate percussa est Lacedæmoniorum potentia. Hi enim non magis aduersariorũ factioni quàm Spartanis eo tempore bellum intulerunt, qui principes erant totius Græciæ: quorũ imperiosa maiestas neque ita multo post Leu-
C ctricam pugnam ab hoc initio perculsa, cecidit. Illi igitur duodecim, quorum erat dux Pelopidas, quum Athenis interdiu exissent, vt vesperascẽte cælo Thebas possent peruenire: cũ canibus venaticis exierunt, retia ferentes, vestitu agresti, quo minore suspicione facerent iter. Qui quum tempore ipso quo studuerant, peruenissent, domum Charonis deuenerunt, à quo & tempus & dies erat datus. Hoc loco libet interponere, etsi seiunctum à re proposita est, nimia fiducia quantæ calamitati soleat esse. Nam magistra-
D tuum Thebanorum statim ad aures peruenit, exules in vrbem deuenisse. Id illi, vino epulísque dediti, vsq; eò despexerunt vt ne quærere quidem de tanta re laborarint. Accessit etiam quod magis aperiret eorum dementiam. allata est enim epistola Athenis ab Archia hierophante Archiæ qui tum maximum magistratum Thebis obtinebat, in qua omnia de profectione exulum perscripta erant. Quæ quum iam accubanti in conuiuio esset data: sicut erat signata, in

puluinum subiiciens, In crastinum, inquit, differo res A seueras. At illi omnes quũ iam nox processisset, vinolenti, ab exulibus duce Pelopida sunt interfecti. Quibus rebus confectis, vulgo ad arma libertatémque vocato, non solùm qui in vrbe erant, sed etiam vndique ex agris concurrerunt: præsidium Lacedæmoniorum ex arce pepulerunt: patriam obsidione liberauerunt: autores Cadmeæ occupandæ partim occiderunt, partim in exilium eiecerunt. Hoc tam turbido tempore (sicut suprà diximus) Epaminondas quoad cum ciuibus dimicatũ est, domi quietus fuit. Itaque hæc liberandarum Thebarum propria laus est Pelopidæ: cæteræ ferè omnes communes cum Epaminonda. Namque in Leuctrica pugna, imperatore Epaminonda, hic fuit dux delectæ manus quæ prima phalangem prostrauit Laconum. Omnibus præterea periculis adfuit: sicut Spartam quum oppugnauit, alterum tenuit cornu: quóque Messena celerius restitueretur, legatus in Persas est profectus. Denique hæc fuit altera persona Thebis, sed tamen secunda, ita vt proxima esset Epaminondæ. Conflictatus C autem est cum aduersa fortuna. Nam & initiò (sicut ostendimus) exul patria caruit: &, quum Thessaliam in potestatem Thebanorum cuperet redigere, legatiónisque iure satis tutum se arbitraretur, quod apud omnes gentes sanctum esse consuesset: à tyranno Alexandro Pheræo, simul cum Ismenia comprehensus, in vincula coniectus est. Hunc Epaminondas recuperauit, bello persequens Alexãdrum. Post id factum nunquam is animo placari potuit in eum à quo erat D violatus. Itaque persuasit Thebanis vt subsidio Thessaliæ proficiscerentur, tyrannósque eius expellerent. Cuius belli quum ei summa esset data, eóq; cũ exercitu profectus esset, non dubitauit, simulac conspexit hostem, confligere. In quo prælio Alexandrum vt animaduertit, incensus ira, equum in eum concitauit, procúlque digressus à suis, coniectu telorum confossus cécidit. Atque hoc secũda victoria accidit. nã iã inclinatæ erant tyrannorum copiæ. Quo facto omnes

A Theſſaliæ ciuitates interfectum Pelopidam coronis aureis & ſtatuis æneis, liberóſq; eius multo agro donauerunt.

# AGESILAI

## VITA, XVII.

AGESILAVS Lacedæmonius, cùm à cæteris ſcriptoribus, tum eximiè à Xenophōte Socratico collaudatus eſt. eo enim
B vſus eſt familiariſſimé. Hic primùm de regno cum Leotychide, fratris filio, habuit contentionem. Mos eſt enim à maioribus Lacedæmoniis traditus, vt duos haberent ſemper reges, nomine magis quàm imperio, ex duabus familiis Proclis & Euryſthenis, qui principes ex progenie Herculis, Spartæ reges fuerunt. Harum ex altera, in alterius familiæ locum fieri non licebat. Itaque vterque ſuum retinebat ordinem. Primus in eo habebatur qui maximus natu eſſet ex liberis eius qui regnans deceſſiſſet. Sin
C is virilem ſexum nō reliquiſſet, tum deligebatur qui proximus eſſet propinquitate. Mortuus erat Agis rex, frater Ageſilai: filiū reliquerat Leotychidē, quem ille viuens non agnorat: eundem, moriens, ſuū eſſe dixerat. Is de honore regni cū Ageſilao ſuo patruo cōtendit: neq; id quod petiuit cōſequutus eſt. Nam Lyſandro ſuffragāte, homine, vt oſtēdimus ſuprà, factioſo, & his temporibus potente, Ageſilaus antelatus eſt. Hic, ſimul atque imperii potitus eſt, perſuaſit Lacedæmoniis vt exercitū emitterēt in Aſiam, bellúmq; re-
D gi facerent, docēs, ſatius eſſe in Aſia quàm in Europa dimicare. Namque fama exierat, Artaxerxem comparare claſſem, pedeſtréſque exercitus, quos in Græciam mitteret. Data poteſtate, tanta celeritate vſus eſt vt prius in Aſiam cum copiis peruenerit quàm regii ſatrapæ eum ſcirent profectum. Quo factum eſt vt omnes imperatores imparatos imprudentéſque offenderet. Id vt cognouit Tiſſaphernes, qui ſummum imperiū tum inter præfectos habebat regios:

inducias à Lacone petiuit, simulãs se dare operam vt A
Lacedæmoniis cum rege conueniret: re autem vera
ad copias comparandas. eásque impetrauit trime-
stres. Iurauit autem vterque, se sine dolo inducias
conseruaturum. In qua pactione, summa fide mansit
Agesilaus. Contra ea, Tissaphernes nihil aliud quàm
bellum comparauit. Id etsi sentiebat Laco, tamẽ ius-
iurandum seruabat, multúmque in eo consequi se di
cebat quòd Tissaphernes periurio suo & homines
suis rebus abalienaret, & deos sibi iratos redderet.
Se autem seruata religione confirmare exercitum, B
quum animaduerteret deorum numen facere secum;
hominésque sibi conciliari amiciores, quòd iis stu-
dere consuessent quos conseruare fidem viderent.
Postquam induciarum præteriit dies, barbarus non
dubitans, quòd ipsius erant plurima domicilia in
Caria, & ea regiò his temporibus multo putabatur
locupletissima, eò potissimùm hostes impetum factu-
ros, omnes suas copias eò contraxerat. At Agesi-
laus in Phrygiam se conuertit, eámque prius depo-
pulatus est quàm Tissaphernes vsquam se moue- C
ret. Magna præda militibus locupletatis, Ephesum
hyematum exercitum reduxit, atque ibi officinis ar-
morum institutis, magna industria bellum parauit:
& quò studiosius armarentur, insigniúsque ornaren-
tur, præmia proposuit quibus donarentur quorum
egregia in ea re fuisset industria. Fecit idem in exer-
citationum generibus, vt qui cæteris præstitissent,
eos magnis afficeret muneribus. His igitur rebus ef-
fecit vt & ornatissimum & exercitatissimum haberet
exercitum. Huic quum tempus esset visum copias D
extrahere ex hybernaculis, vidit si, quò esset iter fa-
cturus, palàm pronunciasset, hostes non credituros,
aliásque regiones occupaturos, nec dubitaturos aliud
esse facturum ac pronunciasset. Itaq; quum ille Sar-
deis se iturum dixisset, Tissaphernes eandem Cariam
defendendam putauit. In quo quum eum opinio fe-
fellisset, victúmq; se vidisset cõsilio, serò suis præsidio
profectus est. Nam quum illò venisset iam Agesilaus

A multis locis expugnatis, magna erat præda potitus. Laco autem quum videret hostes equitatu superare, nunquam in campo sui fecit potestatem, & his locis manum conseruit quibus plus pedestres copiæ valerent. Pepulit ergo, quotiescunque congressus est, multo maiores aduersariorum copias: & sic in Asia versatus est vt omnium opinione victor duceretur. Hic quū animo meditaretur proficisci in Persas, & ipsum regem adoriri: nuncius ei domo venit ephorûm iussu, bellum Athenienses & Bœotios indixisse Lacedæ-
B moniis: quare venire non dubitaret. In hoc non minus eius pietas suspicienda est quàm virtus bellica. qui quum victori præesset exercitui, maximámq; haberet fiduciam regni Persarum potiū di: tanta modestia dicto audiens fuit iussis absentium magistratuum, vt si priuatus in comitio esset Spartæ. Cuius exemplum vtinam imperatores nostri sequi voluissent. Sed illuc redeamus. Agesilaus opulētissimo regno præposuit bonam existimationem, multóque gloriosiùs duxit si institutis patriæ paruisset, quàm si
C bello superasset Asiam. Hac igitur mente Hellespontum copias traiecit, tantáque vsus est celeritate, vt quod iter Xerxes anno vertente confecerat, hic trāsierit triginta diebus. Quum iam haud longè abesset à Peloponneso, obsistere ei conati sunt Athenienses & Bœotii, cæterísque eorum socii, apud Coroneam: quos omnes graui prælio vicit. Huius victoriæ vel maxima fuit laus, quòd quum plerique ex fuga se in tēplum Mineruæ cōiecissent, quæreretúrq; ab eo quid his fieri vellet: etsi aliquot vulnera acceperat eo præ-
D lio, & iratus videbatur omnibus qui aduersùs arma tulerant: tamē antetulit iræ religionem, & eos vetuit violari. Neque hoc solùm in Græcia fecit, vt templa deorum sancta haberet, sed etiā apud barbaros summa religione omnia simulacra aráśque conseruauit. Itaque prædicabat, mirari se, non sacrilegorum numero haberi qui supplicibus eorum nocuissent, aut non grauioribus pœnis affici qui religionem minuerent, quàm qui fana spoliarent. Post hoc prælium

collatum est omne bellum circa Corinthum, ideóque Corinthium est appellatum. Hîc quum vna pugna decem millia hostium Agesilao duce cecidissent, eóque facto opes aduersariorum debilitatæ viderentur: tantum abfuit ab insolentia gloriæ, vt commiseratus sit fortunam Græciæ, quòd tam multi à se victi, vitio aduersariorum concidissent. Namque illa multitudine, si sana mens esset Græciæ, supplicium Persas dare potuisse. Idem, quum aduersarios intra mœnia compulisset, & vt Corinthum oppugnaret multi hortarentur: negauit id suæ virtuti conuenire. Se enim eum esse dixit qui ad officium peccantes redire cogeret, non qui vrbes nobilissimas expugnaret Græciæ. Nam si (inquit) eos exstinguere voluerimus qui nobiscum aduersus barbaros steterunt; nosmetipsi nos expugnauerimus, illis quiescentibus: quo facto, sine negotio, quum voluerint, nos oppriment. Interim accidit illa calamitas apud Leuctra Lacedæmoniis, quò ne proficisceretur, quum à plerisque ad exeundum premeretur, vt si de exitu diuinaret, exire noluit. Idem, quum Epaminondas Spartam oppugnaret, essétque sine muris oppidum: talem se imperatorem præbuit vt eo tempore omnibus apparuerit, nisi ille fuisset, Spartam futuram non fuisse. In quo quidem discrimine celeritas eius consilii saluti fuit vniuersis. Nam quum quidam adolescẽtuli, hostium aduentu perterriti, ad Thebanos transfugere vellent, & locum extra vrbem editum cepissent: Agesilaus, qui perniciosissimum fore videret, si animaduersum esset, quenquam ad hostes transfugere conari, cum suis eò venit, atque, vt si bono animo fecissent, laudauit consilium eorum, quòd eum locum occupassent, & se id quoque fieri debere animaduertisse. Sic adolescentulos simulata laudatione recuperauit: & adiũctis de suis comitibus, locum tutum reliquit. Namque illi, aucto numero eorum qui expertes erant consilii, commouere se non sunt ausi: eóque libẽtius, quòd latẽre arbitrabantur quæ cogitarant. Sine dubio post Leuctricã pugnam Lacedæ-

A monii se nunquam refecerunt, neque pristinum imperium recuperarunt. Quum interim Agesilaus non destitit quibuscunque rebus posset patriam iuuare. Nam quum præcipuè Lacedæmonii indigerent pecunia, ille omnibus qui à rege defecerât, præsidio fuit. à quibus magna donatus pecunia, patriam subleuauit. Atque in hoc illud in primis fuit admirabile, quũ maxima munera ei ab regibus & dynastis ciuitatibúsque conferrentur: nihil vnquam in domum suam contulit, nihil de victu, nihil de vestitu Laconum mu-
B tauit. Domo eâdem fuit contentus qua Eurysthenes progenitor maiorum suorum fuerat vsus. Quam qui intrarat, nullum signum libidinis, nullum luxuriæ videre poterat: contrà, plurima patientiæ atque abstinentiæ. sic enim erat instructa vt nulla in re differret à cuiusvis inopis atque priuati. Atque hic tantus vir vt naturam fautricem habuerat in tribuendis animi virtutibus: sic maleficã nactus est in corpore, exiguus, & claudus altero pede. quæ res etiam nonnullam adferebat deformitatem: atque ignoti, faciem eius quũ
C intuerentur, contemnebant: qui autem virtutẽ nouerant, non poterant admirari satis. Quod ei vsuuenit quum annorum octoginta subsidio Thaco in Ægyptum iuisset, & in acta cum suis adcubuisset, sine vllo tecto, stratúmque haberet tale vt terra tecta esset stramentis, neque huc amplius quàm pellis esset iniecta, eodémque comites omnes adcubuissent, vestitu humili atque obsoleto, vt eorum ornatus nõ modò in his regem neminem significaret, sed hominis non beatissimi suspicionem præberet. Huius de aduẽtu fama
D quum ad regios esset perlata, celeriter munera eò cuiusque generis sunt allata. His quærẽtibus Agesilaum, vix fides facta est vnum esse ex his qui tũ adcubabãt. Qui quum regis verbis, quæ attulerant, dedissent: ille præter vitulina, & huiusmodi genera obsonii quæ præsens tempus desiderabat, nihil accepit: vnguenta, coronas, secundámq; mensam, seruis dispertiit: cætera referri iussit. Quo facto, eum barbari magis etiam contempserunt, quòd eum ignorantiâ bonarum re-

rum illa potissimùm sumpsisse arbitrabantur. Hic A quum ex Ægypto reuerteretur, donatus à rege Nectanabe ducentis viginti talentis, quæ ille muneri populo suo daret, venissétque in portũ qui Menelai vocatur, iacẽs inter Cyrenas & Ægyptum, in morbum implicitus decessit. Ibi eum amici, quò Spartam facilius perferre possent, quòd mel non habebant, cera circumfuderunt, atque ita domum retulerunt.

# EVMENIS

## VITA, XVIII. B

EVMENES Cardianus. Huius si virtuti par data esset fortuna, nõ ille quidẽ maior fuisset, sed multo illustrior atq; etiam honoratior: quòd magnos homines virtute metiuntur, nõ fortuna prudẽtes. Nam quũ ætas eius incidisset in ea tẽpora quibus Macedones florerent, multum ei detraxit viuenti quòd alienæ erat ciuitatis. Neq; aliud huic defuit quàm generosa stirps. etsi ille domestico summo genere erat, tamẽ Macedones eũ sibi aliquãdo anteponi, indignè ferebãt. Neq; C tamẽ nõ patiebãtur. vincebat enim omnes cura, vigilãtia, patientia, calliditate, & celeritate ingenii. Hic peradolescẽtulus ad amicitiã accessit Philippi Amyntæ filii: breuíq; tẽpore in intimã peruenit familiaritatẽ. Fulgebat enim iã in adolescentulo indoles virtutis. Itaq; eum habuit ad manũ, scribæ loco: quod multo apud Graios honorificentius est quàm apud Romanos. Nã apud nos re vera, sicut sunt, mercenarii scribæ existimantur. At apud illos contrariò, nemo ad id D officium admittitur nisi honesto loco, & fide, & industria cognita: quòd necesse est omnium consiliorum eũ esse participem. Hunc locum tenuit amicitiæ apud Philippum annos septem. Illo interfecto, eodem gradu fuit apud Alexandrum annos tredecim. Nouissimo tempore præfuit etiam alteri equitum alæ quæ hetærice appellabatur. Vtrique autem consilio semper affuit, & omnium rerum habitus est particeps.

A Alexandro Babylone mortuo, quum regna ſingulis familiaribus diſpertirentur, & ſumma rerum tradita eſſet tuenda eidem cui Alexãder moriens annulũ ſuũ dederat, Perdiccæ: ex quo omnes coniecerunt, eũ regnum ei commendaſſe, quoad liberi eius in ſuam tutelam perueniſſent: (aberant enim Craterus & Antipater, qui antecedere hunc videbantur: mortuus erat Hephæſtio, quem vnum Alexander, quod facilè intelligi poſſet, plurimi fecerat) hoc tempore data eſt Eumeni Cappadocia, ſiue potius dicta. Nam tum in hoſtium erat poteſtate. Hunc ſibi Perdiccas adiunxerat magno ſtudio, quòd in homine fidem & induſtriam magnam videbat: non dubitans, ſi eum pellexiſſet, magno vſui fore ſibi in his rebus quas apparabat. Cogitabat enim (quod ferè omnes in magnis imperiis concupiſcunt) omnium partes corripere atque amplecti. Neque verò hoc ſolus fecit, ſed cæteri quoque omnes qui Alexandri fuerãt amici. Primus Leonnatus Macedoniam præoccupare deſtinauerat. Is multis magnis pollicitationibus perſuadere Eumeni ſtuduit vt Perdiccam deſereret, ac ſecum faceret ſocietatem. Quum perducere eum non poſſet, interficere conatus eſt: & feciſſet, niſi ille clàm noctu ex præſidiis eius effugiſſet. Interim conflata ſunt illa bella quæ ad internecionem pòſt Alexandri mortem geſta ſunt, omnéſq; cõcurrerunt ad Perdiccã opprimendũ. Quem etſi infirmũ videbat, quòd vnus omnibus reſiſtere cogebatur: tamen amicum nõ deſeruit, neq; ſalutis quàm fidei fuit cupidior. Præfecerat eum Perdiccas ei parti Aſiæ quæ inter Taurum montẽ iacet atque Helleſpontum: & illum vnum oppoſuerat Europæis aduerſariis. Ipſe Ægyptũ oppugnatum aduerſus Ptolemæũ erat profectus. Eumenes, quũ neq; magnas copias neq; firmas haberet, quòd inexercitatæ & nõ multo antè erant contractæ: aduẽtare autem dicerentur, Helleſpontúmque tranſiiſſe Antipater & Craterus magno cum exercitu Macedonum, viri cùm claritate, tum vſu belli præſtantes: Macedones verò milites ea tunc erant fama qua nunc Romani

feruntur: etenim semper habiti sunt fortissimi, qui summa imperii potirentur: Eumenes intelligebat, si copiæ suæ cognoscerent aduersus quos ducerentur, non modò non ituras, sed simul cum nuncio dilapsuras. Itaque hoc eius fuit prudentissimum consilium, vt deuiis itineribus milites duceret, in quibus vera audire non possent: & his persuaderet, se contra quosdã barbaros proficisci. Itaque tenuit hoc propositum, & prius in aciem exercitum eduxit, præliúmque commisit, quàm milites sui scirent cum quibus arma conferrent. Effecit etiam illud locorum præoccupatione, vt equitatu potius dimicaret, quo plus valebat, quàm peditatu, quo erat deterior. Quorum acerrimo concursu quum magnam partem diei esset pugnatum, cadit Craterus dux, & Neoptolemus, qui secundum locum imperii tenebat. Cum hoc concurrit ipse Eumenes. Qui quum inter se complexi in terram ex equis decidissent, vt facilè intelligi posset inimica mẽte contẽdisse, animóque magis etiam pugnasse quàm corpore, non prius distracti sunt quàm alterum anima reliquerit. Ab hoc aliquot plagis Eumenes vulneratur: neque eo magis ex prælio excessit, sed acrius hostibus institit. Hic equitibus profligatis, interfecto duce Cratero, multis præterea & maximè nobilibus captis, pedestris exercitus, quòd in ea loca erat deductus vt inuito Eumene elabi non posset, pacem ab eo petiit. Quam quum impetrasset, in fide non mansit, & se simul ac potuit, ad Antipatrum recepit. Eumenes Craterum ex acie semiuiuum elatum recreare studuit. Quum id non potuisset, pro hominis dignitate, próq; pristina amicitia (nanque illo vsus erat Alexandro viuo familiariter) amplo funere extulit, ossáque in Macedoniam vxori eius ac liberis remisit. Hæc dum apud Hellespontum geruntur, Perdiccas apud flumen Nilum interficitur à Seleuco & Antigono, rerúmque summa ad Antipatrum defertur. Hic qui deseruerant, exercitu suffragium ferente, capitis absentes damnantur: in his Eumenes. Hac ille perculsus plaga, non succubuit, neque eò secius bellum ad-

A ministrauit. Sed exiles res animi magnitudinem etsi non frangebant, tamen imminuebant. Hunc persequens Antigonus, quum omni genere copiarum abũdaret, sæpe in itineribus vexabatur, neque vnquam ad manum accedere licebat, nisi his locis quibus multis possent pauci resistere. Sed extremo tempore quũ consilio capi non posset, multitudine circumuentus est. Hinc tamen multis suis amissis se expediuit, & in castellum Phrygiæ quod Nora appellatur, confugit. In quo quum circumsederetur, & vereretur ne vno

B loco manẽs equos militares perderet, quòd spatium non esset agitandi: callidum fuit eius inuentum, quẽadmodum stans iumentum calefieri exercerique posset, quò libentiùs & cibo vteretur & à corporis motu non remoueretur. Substringebat caput loro altius quàm vt prioribus pedibus planè terram posset attingere: deinde pòst verberibus cogebat exultare, & calces remittere: qui motus non minus sudorem excutiebat quàm si in spatio decurreret. Quo factum est, quod omnibus mirabile est visum, vt iumenta æquè nitida ex castello educeret, quum cõplures menses in

C obsidione fuisset, ac si in cãpestribus ea locis habuisset. Quotiescunque voluit, & apparatum & munitiones Antigoni alias incẽdit, alias disiecit. Tenuit autem se vno loco quandiu fuit hyems, quòd castrum subsidia habere non poterat. Ver appropinquabat. Simulata deditione, dũ de conditionibus tractat, præfectis Antigoni imposuit, séque ac suos omnes extraxit incolumes. Ad hunc Olympias, mater quæ fuerat Alexandri, quum literas & nuncios misisset in A-

D siam, consultum vtrum repetitum Macedoniam veniret, (nam tum in Epiro habitabat) & eas res occuparet: huic ille primùm suasit ne se moueret, & exspectaret quoad Alexandri filius regnum adipisceretur. Sin aliqua cupiditate raperetur in Macedoniam, omniũ iniuriarũ obliuisceretur, & in neminẽ acerbiore vteretur imperio. Horum nihil ea fecit. nam & in Macedoniã profecta est, & ibi crudelissimè se gessit. Petiuit autem ab Eumene absente, ne pateretur Philippi

domus & familiæ inimicissimos regnare, amicissimos A interire, ferrétque opem liberis Alexandri. Quam veniam si daret, quamprimùm exercitus pararet quos sibi subsidio adduceret. Id quò facilius faceret, se omnibus præfectis qui in officio manebant, misisse literas vt ei parerent, eiúsque consiliis vterētur. His verbis Eumenes permotus, satius duxit, si ita tulisset fortuna, perire bene meritis referentem gratiā, quàm ingratum viuere. Itaque copias contraxit, bellum aduersus Antigonum comparauit: quòd vnà erant Macedones complures nobiles. In his Peucestes, qui cor B poris custos fuerat Alexandri, tum autem obtinebat Persidem: & Antigenes, cuius sub imperio phalanx erat Macedonum. Inuidiam verens (quam tamen effugere non potuit) si potius ipse alienigena summi imperii potiretur quàm alii Macedonum, quorum ibi erat multitudo: in principiis nomine Alexandri statuit tabernaculum, in eóque sellam auream cum sceptro ac diademate iussit poni, eóque omnes quotidie conuenire, vt ibi de summis rebus cōsilia caperentur: credens, minore se inuidia fore, si specie imperii nominisque simulatione Alexādri bellum videretur ad- C ministrare: quod & fecit. Nam quum non ad Eumenis principia, sed ad regia conueniretur, atque ibi de rebus deliberaretur: quodammodo latebat, quum tamen per eum vnum gererentur omnia. Hic in Parætacis cum Antigono conflixit, non acie instructa, sed in itinere: eúmque malè acceptum in Mediam hyematū coegit redire. Ipse in finitima regione Persidis hyematum copias diuisit, non vt voluit, sed militum vt cogebat voluntas. Namque illa phalanx Alexādri D Magni quæ Asiam peragrauerat, deuicerátq; Persas, inueterata cùm gloria, tū etiā licētia, nō parēre se ducibus, sed imperare postulabat, vt nūc veterani faciūt nostri. Itaque periculum est ne faciant quod illi fecerunt sua intemperantia nimiáque licentia, vt omnia perdant, neq; minus eos cum quibus steterint, quàm aduersus quos fecerint. Quòd si quis illorum veteranorum legat facta, paria horum cognoscat, neque rē

A vllam, niſi tempus, intereſſe iudicet. Sed ad illos reuer-
tar. Hyberna ſumpſerant, non ad vſum belli, ſed ad
ad ipſorum luxuriam, longéque inter ſe diſceſſerant.
Hoc Antigonus quum comperiſſet, intelligerétque ſe
parem non eſſe paratis aduerſariis, ſtatuit aliquid ſi-
bi conſilii noui eſſe capiendum. Duæ erant viæ quà
ex Medis, vbi ille hyemabat, ad aduerſariorum hyber-
nacula poſſet perueniri. Quarũ breuior per loca de-
ſerta, quæ nemo incolebat propter aquæ inopiam: cæ-
terùm dierum erat ferè decem. Illa autem qua omnes
B commeabant, altero tanto longiorem habebat anfra-
ctum, ſed erat copioſa, omniúmque rerum abundans.
Hàc ſi proficiſceretur, intelligebat prius aduerſarios
reſcituros de ſuo aduentu, quàm ille tertiam partem
confeciſſet itineris ſui: ſin per loca ſola contenderet,
ſperabat ſe imprudentem hoſtem oppreſſurum. Ad
hanc rem conficiendam imperat quamplurimos v-
tres atq; etiam culleos comparari. Poſt hæc pabulũ,
præterea cibaria cocta dierum decẽ, vtque quammi-
nimè fieret ignis in caſtris. Iter quod habebat, omnes
celat. Sic paratus, quà conſtituerat proficiſcitur. Di-
C midium ferè ſpatium confecerat, quum ex fumo ca-
ſtrorum eius ſuſpicio allata eſt ad Eumenem, hoſtem
appropinquare. Conueniunt duces, quæritur quid o-
pus ſit facto. Intelligebãt omnes, tam celeriter copias
ipſorum contrahi non poſſe quàm Antigonus adfutu-
rus videbatur. Hîc omnibus titubantibus, & de re-
bus ſummis deſperantibus, Eumenes ait, ſi celeritatẽ
velint adhibere, & imperata facere, quod antè non fe-
cerint, ſe rem expediturum. Nam quod diebus quin-
que hoſtis tranſire poſſet, ſe effecturum vt nõ minus
D totidem dierum ſpatio retardaretur. Quare circumi-
rent, ſuas quiſque copias contraheret. Ad Antigo-
ni autem refrænandum impetum tale capit conſiliũ:
Certos mittit homines ad infimos montes, qui obuii
eant itineri aduerſariorum, híſque præcipit vt prima
nocte quàm latiſſimè poſſint, ignes faciant quamma-
ximos, atque hos ſecũda vigilia minuãt, tertia perex-
iguos reddant: & adſimulata caſtrorum conſuetudi-

ne,suspicionem iniiciāt hostibus,his locis esse castra, A
ac de eorum aduentu esse prænunciatum. Idémque
postera nocte faciāt. Quibus imperatū erat, diligē
ter præceptū curant. Antigonus tenebris obortis i-
gnes cōspicatur, credit de suo aduentu esse auditū,&
aduersarios illuc suas cōtraxisse copias.Mutat consi-
liū,& quoniā imprudentes adoriri nō posset,flectit i-
ter suum, & illū anfractum longiorē copiosæ viæ ca-
pit: ibiq; diē vnum opperitur, ad lassitudinē sedandā
militū, ac reficienda iumēta,quò integriore exercitu
decerneret. Hic Eumenes callidum imperatorem B
vicit consilio, celeritatémque impediuit eius, neque
tamen multum profecit. Nam inuidia ducum cum
quibus erat,perfidiáque militum Macedonum vete-
ranorum,quum superior prælio discessisset, Antigo-
no est deditus,quum exercitus ei ter antè separatis tē
poribus iurasset se eum defensurum,nec vnquam de-
serturum.Sed tanta fuit nonnullorum virtutis obtre
ctatio,vt fidem amittere mallent,quàm eum nō pro-
dere. Atque hunc Antigonus, quum ei fuisset infe-
stissimus,conseruasset,si per suos esset licitum, quòd C
ab nullo se plus adiuuari posse intelligebat in his re-
bus quas impendêre iam apparebat omnibus. Immi-
nebant enim Seleucus, Lysimachus,Ptolemæus,opi-
bus iam valentes, cum quibus ei de summis rebus e-
rat dimicandum.Sed non passi sunt hi qui circà erāt,
quòd videbant,Eumene recepto, omnes præ illo par
ui futuros.Ipse autem Antigonus adeò erat incensus,
vt nisi magna spe maximarum rerum leniri non pos-
set.Itaque quum eum in custodiam dedisset, & præ- D
fectus custodum quæsisset quemadmodū seruari vel-
let: Vt acerrimum, inquit,leonem, aut ferocissimum
elephantum.nondum enim statuerat cōseruaret eum
necne. Veniebat autem ad Eumenem vtrunque ge-
nus hominum,& qui propter odium fructum oculis
ex eius casu capere vellent,& qui propter veterem a-
micitiam colloqui consolaríque cuperent. Multi etiā
qui eius formam cognoscere studebant, qualis esset
quem tamdiu támque valdè timuissent,cuius in per-

A nicie positam spem habuissent victoriæ. At Eumenes, quum diutius in vinculis esset, ait Onomarcho, penes quem summa imperii erat custodiæ, se mirari quare iam tertium diem sic teneretur. non enim hoc cõuenire Antigoni prudẽtiæ, vt sic se vteretur victo, quin aut interfici aut missum fieri iuberet. Hic quum ferocius Onomarcho loqui videretur: Quid tu? inquit. animo si isto eras, cur non prælio cecidisti potius quàm in potestatem inimici venires? Huic Eumenes, Vtinam quidem istud euenisset, inquit: sed eò nõ
B accidit, quòd nunquam cum fortiore sum cõgressus. Non enim cum quoquam arma contuli quin is mihi succubuerit. Non enim virtute hostium, sed amicorum perfidia decidi. Neque id falsum. nã & dignitate fuit honesta, & viribus ad laborem ferendũ firmis, neque tã magno corpore quàm figura venusta. De hoc Antigonus, quum solus constituere non auderet, ad cõsilium retulit. Hic quum plerique omnes primò perturbati, admirarentur, non iam de eo sumptum esse supplicium à quo tot annos adeò essent malè habiti vt sæpe ad desperationem forent adducti, quique
C maximos duces interfecisset: deniq; in quo vno esset tantum vt quoad ille viueret, ipsi securi esse non possent: interfecto, nihil habituri negotii essent: postremò, si illi redderet salutem, quærebant quibus amicis esset vsurus: sese enim cum Eumene apud eum nõ futuros: hic cognita consilii voluntate, tamẽ vsque ad septimum diem deliberandi sibi spatium reliquit. Tũ autem quum vereretur ne qua seditio exercitus oriretur, vetuit ad eum quenquam admitti, & quotidianũ victum amoueri iussit. Nam negabat se ei vim allaturum
D rum qui aliquando fuisset amicus. Hic tamẽ non amplius quàm triduum fame fatigatus, quum castra mouerentur, insciente Antigono iugulatus est à custodibus. Sic Eumenes annorum quinque & quadraginta, quum ab anno vigesimo (vt suprà ostendimus) septẽ annos Philippo apparuisset, & tredecim apud Alexandrum eundẽ locum obtinuisset: in his vni equitũ alæ præfuisset: post autẽ Alexandri Magni mortẽ im-

perator exercitus duxisset, summósque duces partim A
repulisset, partim interfecisset: captus nō Antigoni vir tute, sed Macedonum periurio, talem habuit exitum vitæ. De quo quanta fuerit omnium opinio eorum qui post Alexādrum Magnū reges sunt appellati, ex hoc facilè potest iudicari, quòd nemo Eumene viuo rex appellatus est, sed præfectus. Iidē post huius occasum statim regium ornatum noménque sumpserunt: neque quod initiò prædicarūt, se Alexādri liberis regnum seruare, id præstare voluerūt: & vno propugnatore sublato, quid sentirēt aperuerunt. Huius sceleris principes fuerūt Antigonus, Ptolemæus, Seleucus, B
Lysimachus, Cassander. Antigonus autē Eumenem mortuū propinquis eius sepeliēdum tradidit. Hi militari honestóq; funere, comitāte toto exercitu, humauerunt, ossáque eius in Cappadociam ad matrem atque vxorem liberósque eius deportanda curarunt.

# PHOCIONIS

C

## VITA, XIX.

PHOCION Atheniēsis etsi sæpè exercitibus præfuit, summósq; magistratus cepit: tamen multo eius notior integritas est vitæ quàm rei militaris labor. Itaque huius memoria est nulla, illius autē magna fama: ex quo cognomine Bon' est appellatus. Fuit enim perpetuò pauper, quū ditissimus esse posset, propter frequētes delatos honores, potestatésque summas, quæ ei à populo dabātur. Hic quū à rege Philippo munera magnę D
pecuniæ repudiaret, legatiq; hortarētur accipere: simúlque admonerēt, si ipse his facilè careret, liberis tamen suis prospiceret, quibus difficile esset in summa paupertate tantā paternā tueri gloriā: His ille, Si mei similes erūt, idē hic, inquit, agellus illos alet qui me ad hanc dignitatē perduxit: sin dissimiles sunt futuri, nolo meis impensis illorū ali augeríq; luxuriā. Eidē quū propè ad annū octogesimū prospera permásisset

A fortuna, extremis temporibus magnum in odium peruenit ſuorũ ciuium. Primò cum Demade de vrbe tradenda Antipatro conſenſerat, eiúſque cõſilio Demoſthenes cum cæteris qui bene de republica mereri exiſtimabantur, plebiſcito in exilium erant expulſi. Neque in eo ſolùm offenderat quòd patriæ malè cõſuluerat, ſed etiam quòd amicitiæ fidem non præſtiterat. Nanque auctus adiutúſque à Demoſthene, eũ quem tenebat aſcenderat gradum, quum aduerſus Charetem eum ſubornaret. ab eodem in iudiciis,
B quum capitis cauſam diceret, defenſus aliquotiens, liberatus diſceſſerat. Hunc non ſolùm in periculis non defendit, ſed etiam prodidit. Cõcidit autem maximè vno crimine. quia quum apud eum ſummum eſſet imperium populi, & Nicanorem Caſſandri præfectum inſidiari Piræeo Athenienſium à Dercyllo moneretur: idémque poſtularet vt prouideret, ne commeatibus ciuitas priuaretur: hîc audiente populo Phocion negauit eſſe periculum, ſéque eius rei obſidem fore pollicitus eſt. Neque ita multo pòſt Nicanor Pi-
C ræeo eſt potitus. Ad quem recuperandum, ſine quo Athenæ omnino eſſe non poſſunt, quum populus armatus concurriſſet, ille non modò neminem ad arma vocauit, ſed ne armatis quidẽ præeſſe voluit. Erant eo tempore Athenis duæ factiones: quarum vna populi cauſam agebat, altera optimatum. In hac erant Phocion & Demetrius Phalereus. Harum vtraque Macedonum patrociniis nitebatur. Nam populares Polyperchonti fauebant, optimates cum Caſſandro ſentiebant. Interim à Polyperchonte Caſſander Ma-
D cedonia pulſus eſt. Quo facto populus ſuperior factus, ſtatim duces aduerſariæ factionis, capitis damnatos, patria propulit. In his Phocionem & Demetrium Phalereum: déque ea re legatos ad Polyperchontem miſit, qui ab eo peterent vt ſua decreta confirmaret. Hic eôdem profectus eſt Phocion. quò vt venit, cauſam apud Philippum regem verbo, re ipſa quidem apud Polyperchontem iuſſus eſt dicere. Namque is tũ regis rebus præerat. Hìc quum ab Agnonide accu-
ſatus

ſatus eſſet quòd Piræeum Nicanori prodidiſſet, ex A
conſimili ſententia in cuſtodiam coniectus, Athenas
deductus eſt, vt ibi de eo legibus fieret iudicium. Huc
vbi peruentum eſt, quum propter ætatem pedibus iã
non valeret, vehiculóque portaretur, magni cõcurſus
ſunt facti, quũ alii reminiſcentes veteris famæ, ætatis
misererentur: plurimi verò ira exacuerentur propter
proditionis ſuſpicionẽ Piræei: maximéque quòd ad-
uerſus populi commoda in ſenectute ſteterat. Qua de
re ne perorandi quidem ei data eſt facultas, & dicẽdi
cauſam. Inde iudicio, legitimis quibuſdã confectis, B
damnatus, traditus eſt vndecimuiris, quibus ad ſup-
plicium, more Atheniẽſium, publicè damnati tradi ſo
lent. Hic quum ad mortem duceretur, obuius ei fuit
Emphiletus, quo familiariter fuerat vſus. Is quum la-
crymãs dixiſſet, O quàm indigna perpeteris Phociõ!
huic ille, At non inopinata, inquit. hunc enim exitum
plerique clari viri habuerunt Athenienſes. In hoc
tantum fuit odium multitudinis, vt nemo auſus ſit
eum liber ſepelire. Itaque à ſeruis ſepultus eſt.

C

# THYMOLEONTIS

## VITA, XX.

Thymoleon Corinthius. Sine du-
bio magnus omniũ iudicio hic vir extitit.
Nanque huic vni contigit quod neſcio an
vlli, vt patriã in qua erat natus oppreſſam
à tyrano liberaret: & à Syracuſis, quibus auxilio erat
miſſus, inueteratam ſeruitutẽ depelleret, totámq; Si
ciliam multos annos bello vexatam, à barbaríſque op
preſſam, ſuo aduentu in priſtinum ſtatum reſtitueret. D
Sed in his rebus non ſimplici fortuna conflictatus eſt:
&, id quod difficilius putatur, multo ſapientius tulit
ſecundã quàm aduerſam fortunam. Nã quum frater
eius Timophanes dux à Corinthiis delectus, tyrãni-
dem per milites mercenarios occupaſſet, particépſq;
regni poſſet eſſe: tantum abfuit à ſocietate ſceleris, vt
antetulerit ſuorum ciuium libertatem fratris ſaluti,

A & patriæ legibus obtéperare sanctius duxerit quàm imperare patriæ. Hac mente per aruspicem communémque affinem, cui soror ex iisdem parentibus nata, nupta erat, fratrem tyrannum interficiendum curauit. Ipse non modò manus nō attulit, sed ne aspicere quidem fraternum sanguinem voluit. Nā dum res conficeretur, procul in præsidio fuit, ne quis satelles posset succurrere. Hoc præclarissimum eius facinus non pari modo probatum est ab omnibus. Nonnulli enim læsam ab eo pietatem putabant, & inuidia lau-
B dem virtutis obterebant. Mater verò post id factum neque domū ad se filium admisit, neq; aspexit, quin eum fratricidam impiúmque detestans compellaret. Quibus verbis adeò est commotus, vt nonnunquā vitæ finem facere voluerit, atque ex ingratorum hominum conspectu morte decedere. Interim Dione Syracusis interfecto, Dionysius rursus Syracusarum potitus est. Cuius aduersarii opem à Corinthiis petiuerunt, ducémque quo in bello vterentur, postularunt. Huc Thymoleon missus, incredibili felicitate Diony-
C sium tota Sicilia depulit. Quum interficere posset, noluit, tutóque vt Corinthū perueniret effecit, quòd vtrorumque Dionysiorum opibus Corinthii sæpè adiuti fuerāt. Cui⁹ benignitatis memoriā volebat exstare, eámque præclaram victoriā ducebat in qua plus esset clementiæ quàm crudelitatis. Postremò, vt non solùm auribus acciperetur, sed etiam oculis cerneretur, quem, & ex quanto regno ad quam fortunā detrusisset. Post Dionysii decessum, cum Iceta bellauit, qui aduersatus fuerat Dionysio, quem non odio
D tyrānidis dissensisse, sed cupiditate, indicio fuit, quòd ipse expulso Dionysio imperium dimittere noluit. Hoc superato Thymoleon maximas copias Carthaginensium apud Crimessum flumen fugauit, ac satis habere coegit, si liceret Aphricam obtinere, qui iam complures annos possessionem Siciliæ tenebant. Cepit etiam Mamercum Italicum ducem, hominem bellicosum & potentem, qui tyrannos adiutum in Siciliam venerat. Quibus rebus confectis, quum pro-

pter diuturnitatem belli non solùm regiones, sed etiam vrbes desertas videret: conquisiuit quos potuit, A
primùm Siculos, deinde Corintho accersiuit colonos, quòd ab his initiò Syracusæ erant conditæ. Ciuibus veteribus sua restituit, nouis bello vacuefactas possessiones diuisit: vrbium mœnia disiecta, fanáque deleta refecit: ciuitatibus leges libertatémque reddidit: ex maximo bello tantum otium toti insulæ conciliauit, vt hic cõditor vrbium earum, non illi qui initiò deduxerant, videretur. Arcem Syracusis, quam munierat Dionysius ad vrbem obsidendã, à fundamẽtis disiecit: cætera tyrannidis propugnacula demolitus est, B
deditque operã vt quammínimè multa vestigia serui tutis manerent. Quum tantis esset opibus vt etiam inuitis imperare posset, tantum autem haberet amorẽ omnium Siculorum vt nullo recusante regnũ obtineret: maluit se diligi quàm metui. Itaque quum primùm potuit imperium deposuit, & priuatus Syracusis, quod reliquum vitæ fuit, vixit. Neque verò id imperitè fecit. Nã quod cæteri reges imperio potuerũt, hic beneuolẽtia tenuit. Nullus honos huic defuit, neque postea Syracusis res vlla gesta est publica de qua C
prius sit decretum quàm Thymoleontis sententia cognita. Nullius vnquam consilium non modò antelatum, sed ne comparatum quidem est: neque id magis beneuolentia factum est quàm prudentia. Hic quũ ætate iam prouectus esset, sine vllo morbo lumina oculorum amisit. quam calamitatem ita moderatè tulit vt neque eum querentem quisquam audierit, neque eo minus priuatis publicísque rebus interfuerit. Veniebat autem in theatrum, quum ibi concilium populi haberetur, propter valetudinem vectus iumentis D
iunctis, atque ita de vehiculo quæ videbãtur dicebat: neq; hoc illi quisquã tribuebat superbiæ. Nihil enim vnquã neque insolẽs neque gloriosum ex ore ei9 exiit. Qui quidẽ quũ suas laudes audiret prædicari, nũquã aliud dixit quàm se in ea re maximas diis gratias agere atque habere, quòd quũ Siciliã recreare cõstituissent, tũ se potissimùm ducẽ esse voluissent. Nihil

A enim rerum humanarum sine deorũ numine agi putabat. Itaque suæ domi sacellum αὐτοματίας constituerat, idque sanctissimè colebat. Ad hãc hominis excellentẽ bonitatem mirabiles accesserunt casus. Nam prælia maxima natali die suo fecit omnia: quo factũ est vt eiusdem natalem festum haberet vniuersa Sicilia. Huic quidã Laphystius, homo petulans & ingratus, vadimonium quum vellet imponere, quòd cũ illo se lege agere diceret, & complures concurrissent qui procacitatem hominis manibus coercere conarentur:
B Thymoleõ orauit omnes ne id facerent. Nãque id vt Laphystio, cæterísque liceret, se maximos labores summáque adiisse pericula. Hanc enim speciẽ libertatis esse, si omnibus quod quisq; vellet, legibus experiri liceret. Idẽ, quum quidam Laphystii similis, nomine Demænetus, in concione populi rebus gestis eius detrahere cœpisset, ac nonnulla inueheretur in Thymoleonta, dixit, nunc demũ se voti esse compotem. namque hoc à diis immortalibus semper precatum, vt talem libertatem restituerent Syracusanis,
C in qua cuiuis liceret, de quo vellet impunè dicere. Hic quum diem supremum obiisset, publicè à Syracusanis in gymnasio, quod Thymoleonteum appellatur, tota celebrante Sicilia sepultus est.

## DE REGIBVS BREuis notatio.

D Hi ferè fuerunt Græciæ gentis duces qui memoria digni videantur, præter reges. Nanque eos attingere noluimus, quòd omniũ res gestæ separatim sunt relatæ: neque tamen hi admodum sunt multi. Lacedæmonius autem Agesilaus, nomine, non potestate, fuit rex, sicut cæteri Spartani. Ex his verò qui dominatum imperio tenuerunt, excellentissimi fuerunt, vt nos iudicamus, Persarũ, Cyrus, & Darius Hystaspis filius: quorum vterque priuatus, virtute regnum est adeptus.

Prior horum, apud Massagetas in prælio cécidit: Darius, senectute diem obiit supremū. Tres sunt præterea eiusdem generis, Xerxes, & duo Artaxerxes, Macrochir & Mnemon. Xerxi maximè est illustre quòd maximis post hominum memoriam exercitibus terra maríque bellū intulit Græciæ. At Macrochir præcipuam habet laudem amplissimæ pulcherrimæque corporis formæ, quam incredibili ornauit virtute belli. Nanque illo Persarum nemo fuit manu fortior. Mnemon autem iustitiæ fama floruit. Nā quum matris suæ scelere amisisset vxorem, tātum indulsit dolori vt eum pietas vinceret. Ex his duo eodem nomine, morbo naturæ debitum reddiderumt. Tertius ab Artabano præfecto ferro interfectus est. Ex Macedonum autem genere, duo multo cæteros antecesserunt rerum gestarū gloria, Philippus Amyntæ filius, & Alexander Magnus. Horum alter Babylone morbo cōsumptus est: Philippus Ægis à Pausania, quum spectatum ludos iret, iuxta theatrum occisus est. Vnus Epirotes, Pyrrhus, qui cum populo Romano bellauit. Is quum Argos oppidum oppugnaret in Peloponneso, lapide ictus interiit. Vnus item Siculus, Dionysius prior. nam & manu fortis & belli peritus fuit, &, id quod in tyranno non facilè reperitur, minimè libidinosus, non luxuriosus, non auarus, nullius rei denique cupidus, nisi singularis perpetuíque imperii, ob eámque rem crudelis. Nam dum id studuit munire, nullius pepercit vitæ quem eius insidiatorem putaret. Hic quum virtute tyrannidem sibi peperisset, magna retinuit felicitate, maiórque annis sexaginta natu, decessit florente regno. Neque in tam multis annis cuiusquā ex sua stirpe funus vidit, quum ex tribus vxoribus liberos procreasset, multíque ei nati essent nepotes. Fuerūt præterea multi reges ex amicis Alexandri Magni, qui pòst obitum eius imperia ceperunt. In his Antigonus, & huius filius Demetrius: Lysimachus, Seleucus, Ptolèmæus. Ex his Antigonus, quū aduersus Seleucum Lysimachúmque dimicaret, in prælio occisus est. Pari letho affectus est

A Lyſimachus à Seleuco. Nam ſocietate diſſoluta, bellum inter ſe geſſerunt. At Demetrius, quum filiam ſuā Seleuco in matrimonium dediſſet, neque eò magis fida inter eos amicitia manere potuiſſet, captus bello in cuſtodia ſocer generi periit morbo. Neq; ita multo pòſt Seleucus à Ptolemæo Cerauno dolo interfectus eſt, quem ille à patre expulſum Alexandria, alienarum opum indigentem, receperat. Ipſe autem Ptolemæus quum viuus filio regnum tradidiſſet, ab illo eodem vita priuatus dicitur. De quibus quoniā ſa-
B tis dictum putamus, non incommodum videtur non præterire Hamilcarem & Hannibalem, quos & animi magnitudine & calliditate omnes in Africa natos præſtitiſſe conſtat.

# HAMILCARIS

### VITA, XXI.

HAMILCAR Hannibalis filius, cognomine Barchas, Carthaginenſis, primo Punico bello, ſed temporibus extremis, admo-
C dum adoleſcentulus, in Sicilia præeſſe cœpit exercitui. Quum ante eius aduentum & mari & terra malè res gererentur Carthaginenſium, ipſe vbi adfuit, nunquam hoſti ceſſit, neque locū nocendi dedit: ſæpéque è contrario occaſione data, laceſſiuit, ſemperque ſuperior diſceſſit. Quo facto, quum penè omnia in Sicilia Pœni amiſiſſent, ille Erycem ſic defendit vt bellum eo loco geſtum nō videretur. Interim Carthaginenſes claſſe apud inſulas Ægates à C. Luctatio conſule Romanorum ſuperati, ſtatuerunt bel-
D li finem facere, eámque rē arbitrio permiſerunt Hamilcaris. Ille etſi flagrabat belli cupiditate, tamen paci ſeruiēdum putauit, quòd patriam exhauſtam ſumptibus, diutiùs calamitatē belli ferre non poſſe intelligebat: ſed ita vt ſtatim mente agitaret, ſi paululum modò res eſſent refectæ, bellum renouare, Romanóſque armis perſequi: donec aut certè viciſſent, aut victi manum dediſſent. Hoc conſilio pacem conciliauit: in

quà tãta fuit ferocia, vt quum Catulus negaret se bel A
lum compositurum, nisi ille cum suis qui Erycem tenuerant, armis relictis, Sicilia decederent: succumbente patria, ipse periturum se potius dixerit quàm cum tanto flagitio domum rediret. Nõ enim suæ esse virtutis, arma à patria accepta aduersus hostes, aduersariis tradere. Huius pertinaciæ cessit Catulus. At ille vt Carthaginẽ venit, multo aliter ac sperabat rempublicã se habentem cognouit. Nanque diuturnitate externi mali tantum exarsit intestinum bellum, vt nunquã pari periculo fuerit Carthago, nisi quũ deleta est. Pri B
mò mercenarii milites, qui aduersus Romanos fuerant, desciuerunt, quorum numerus erat viginti millium. Hi totam abalienarunt Africam, ipsam Carthaginem oppugnarunt. Quibus malis adeò sunt Pœni perterriti, vt auxilia etiam à Romanis petiuerint, eáque impetrauerint. Sed extremò, quum propè iã ad desperationem peruenissent, Hamilcarem imperatorem fecerunt. Is non solùm hostes à muris Carthaginis remouit, quum amplius cẽtum millia facta essent armatorum, sed etiam eò compulit vt locorum angu C
stiis clausi, plures fame quàm ferro interirent. Omnia oppida abalienata, in his Vticã atque Hipponẽ, valentissima totius Africæ, restituit patriæ. neque eo fuit cõtentus, sed etiã fines imperii propagauit: tota Africa tãtum otium reddidit vt nullum in ea bellum videretur multis annis fuisse. Rebus his ex sentẽtia peractis, fidẽti animo atque infesto Romanis, quò facilius causa bellãdi reperiretur, effecit vt imperator cũ exercitu in Hispaniã mitteretur, eóque secũ duxit filiũ Hã D
nibalẽ annorum nouẽ. Erat præterea cũ eo adolescẽs illustris & formosus, Hasdrubal, quẽ nonnulli diligi turpiùs quàm par erat, ab Hamilcare loquebãtur. Nõ enim maledici tãto viro deesse poterant. Quo factum est vt à præfecto morum Hasdrùbal cũ eo vetaretur esse. Huic ille filiam suam in matrimoniũ dedit, quòd moribus eorum interdici non poterat socero gener. De hoc ideò mentionem fecimus, quòd Hamilcare occiso, ille exercitui præfuit: résque magnas

A geſſit,& princeps largitione vetuſtos peruertit mores Carthaginenſium: eiuſdémque poſt mortem Hânibal ab exercitu accepit imperium. At Hamilcar poſteaquã mare tranſiit, in Hiſpaniámque venit,magnas res ſecũda geſſit fortuna, maximas bellicoſiſſimáſque gẽtes ſubegit: equis,armis,viris,pecunia,totã locupletauit Aphricã. Hic quũ in Italiã bellum inferre meditaretur,nono anno pòſt quàm in Hiſpaniam venerat,in prælio pugnans aduerſus Vectones occiſus eſt. Huius perpetuum odium erga Romanos

B nos maximè concitaſſe videtur ſecundum bellum Punicum. Nanque Hannibal, filius eius,aſſiduis patris obteſtationibus eò eſt perductus vt interire quàm Romanos non experiri mallet.

# HANNIBALIS

## VITA, XXII.

HANNIBAL Hamilcaris filius,Carthaginenſis. Si verum eſt,quod nemo dubitat,

C vt populus Romanus omnes gentes virtute ſuperarit, nõ eſt inficiandum,Hannibalem tanto præſtitiſſe cæteros imperatores prudentia quãto populus Romanus antecedebat fortitudine cunctas nationes. Nam quotieſcunque cum eo congreſſus eſt in Italia,ſemper diſceſſit ſuperior. Quòd niſi domi ciuium ſuorũ inuidia debilitatus eſſet, Romanos videtur ſuperare potuiſſe. Sed multorum obtrectatio deuicit vnius virtutem.Hic autẽ velut hæreditate relictum odium paternũ erga Romanos ſic cõfir

D mauit,vt prius animã quàm id depoſuerit.qui quidẽ quũ patria pulſus eſſet, & alienarum opũ indigeret, nunquã deſtiterit animo bellare cum Romanis. Nã vt omittã Philippum,quẽ abſens hoſtẽ reddidit Romanis: omniũ his tẽporibus potentiſſimus rex Antiochus fuit.Hũc tãta cupiditate incendit bellãdi,vt vſque à rubro mari arma conatus ſit inferre Italiæ. Ad quẽ quũ legati veniſſent Romani qui de eius volũtate explorarent,darëntque operã conſiliis clãdeſtinis,

vt Hannibalem in suspicionem regi adducerent, tanquam ab ipsis corruptum alia atq; antea sentire: neque id frustrà fecissent: ídque Hannibal comperisset, séque ab interioribus consiliis segregari vidisset: tempore dato adiit regem, eíque quum multa de fide sua, & odio in Romanos commemorasset, hoc adiunxit: Pater (inquit) meus Hamilcar, puerulo me, vtpote nõ amplius nouẽ annos nato, in Hispaniam imperator proficiscens Carthagine, Ioui Optimo Maximo hostias immolauit. Quæ diuina res dum conficiebatur, quæsiuit à me, vellémne secum in castra proficisci. B
Id quum libenter accepissem, atque ab eo petere cœpissem ne dubitaret ducere: tum ille, Faciam (inquit) si fidem mihi quam postulo dederis. simúlque ad arã adduxit, apud quam sacrificare instituerat, eámque, cæteris remotis, tenẽtem, iurare iussit, nunquam me in amicitia cum Romanis fore. Id ego iusiurandũ patri datum, vsque ad hanc diem ita conseruaui vt nemini dubium esse debeat quin reliquo tempore eadẽ mente sim futurus. Quare, si quid amicè de Romanis cogitabis, non imprudenter feceris si me celaris. quũ C
quidem bellum parabis, teipsum frustraberis si non me in eo principem posueris. Hac igitur ætate cum patre in Hispaniam profectus est Cuius post obitum Hasdrubale imperatore suffecto, equitatui omni præfuit. Hoc quoque interfecto, exercitus summam imperii ad eum detulit. Id Carthaginem delatum, publicè comprobatum est. Sic Hannibal minor quinque & viginti annis natus imperator factus, proximo triennio omnes gentes Hispaniæ bello subegit. Saguntum fœderatam ciuitatẽ vi expugnauit: tres exercitus maximos comparauit. Ex his vnum in Africam D
misit, alterum cum Hasdrubale fratre in Hispania reliquit, tertium in Italiam secum duxit: saltum Pyrenæum transiit: quacunque iter fecit, cum omnibus incolis conflixit: neminem nisi victum dimisit. Ad Alpes posteaquam venit, quæ Italiam ab Gallia seiungunt, quas nemo vnquam cum exercitu ante eum præter Herculem Graium trãsierat: quo facto is ho-

A die Saltus Graius appellatur: Alpicos conantes prohibere transitum, concîdit: loca patefecit, itinera muniit, effecítque vt eâ elephantus oneratus ire posset quâ antea vnus homo inermis vix poterat repere. Hâc copias traduxit, in Italiámque peruenit. Conflixerat apud Rhodanum cum P. Cornelio Scipione consule, eúmque pepulerat. Cum hoc eodem Clastidio apud Padum decernit, saucium inde ac fugatum dimittit. Tertiò idem Scipio cum collega Ti. Longo, ad Trebiam aduersus eum venit. Cum his manũ
B conseruit, vtrosque profligauit. Inde per Ligures Apenninum transiit, petens Hetruriam. Hoc itinere adeò graui morbo afficitur oculorum, vt postea nunquam dextro æquè bene vsus sit. Qua valetudine quum etiam premeretur, lecticáque ferretur, C. Flaminium consulem apud Thrasymenum cum exercitu insidiis circumuentum occîdit. Neque multo pòst C. Centenium prætorem, cum delecta manu saltus occupãtem. Hinc in Apuliam peruenit. Ibi obuiam ei venerunt duo consules, C. Terentius & Lu-
C cius Æmilius. Vtriusque exercitus vno prælio fugauit, Paulum consulem occîdit, & aliquot præterea cõsulares. In his Publium Seruilium Geminium, qui anno superiore fuerat consul. Hac pugna pugnata, Romam profectus est, nullo resistente. In propinquis vrbis montibus moratus est. Quum aliquot ibi dies castra habuisset, & reuerteretur Capuam, Q. Fabius Maximus, dictator Romanus, in agro Falerno ei se obiecit. Hîc clausus locorum angustiis, noctu sine vl-
D lo detrimento exercitus se expediuit. Fabio callidissimo imperatori dedit verba. Nanque obducta nocte, sarmẽta in cornibus iumẽtorum deligata incendit, eiúsque generis multitudinem magnam dispalatam immisit. Quo repentino obiectu viso, tantum terrorem iniecit exercitui Romanorum, vt egredi extra vallum nemo sit ausus. Hanc post rem gestam, non ita multis diebus, M. Minutium Rufum magistrum equitũ, pari ac dictatorem imperio, dolo perductum in prælium, fugauit. T. Sempronium Grac-

chum, iterum consulem, in Lucanis absens, in insi- A
dias inductum, sustulit. M. Claudiũ Marcellũ quinquies consulem, apud Venusiam pari modo interfecit. Longum est enumerare prælia. quare hoc vnũ satis erit dictum, ex quo intelligi possit quantus ille fuerit. Quandiu in Italia fuit, nemo ei in acie restitit, nemo aduersus eum post Cannensem pugnam, in campo castra posuit. Hic inuictus patriam defensum reuocatus, bellum gessit aduersus P. Scipionis filium, quem ipse primùm apud Rhodanum, iterum apud Padum, tertiò apud Trebiam fugauerat. B
Cum hoc, exhaustis iam patriæ facultatibus, cupiuit in præsentiarum bellum componere, quò valentior postea congrederetur. In colloquium conuenit, conditiones non conuenerunt. Post id factum, paucis diebus apud Zamam cum eodem conflixit. Pulsus, incredibile dictu, biduo & duabus noctibus Adrumetum peruenit, quod abest à Zama circiter millia passuum trecenta. In hac fuga Numidæ qui simul cum eo acie excesserant, insidiati sunt ei: quos non solùm effugit, sed etiam ipsos oppressit. Adrumeti reliquos C
ex fuga collegit. nouis delectibus, paucis diebus multos contraxit. Quum in apparando acerrimè esset occupatus, Carthaginenses bellum cum Romanis composuerũt. Ille nihilo secius exercitui postea præfuit, résque in Africa gessit. Itémque Mago frater eius, vsque ad Publium Sulpitium & Caium Aurelium Coss. His enim magistratibus legati Carthaginenses Romam venerunt, qui senatui populóq; Romano gratias agerent quòd cum his pacem fecissent, ob eámque rem corona aurea eos donarent, D
simúlque peterent vt obsides eorum Fregellis essent, captiuíque redderentur. His ex senatusconsulto responsum est, munus eorum gratum acceptúmque esse, obsides quo loco rogarent, futuros, captiuos non remissuros, quòd Hannibalem, cuius opera susceptum bellum foret, inimicissimum nomini Romano, & nunc cum imperio apud exercitum haberent: itémque fratrem eius Magonem. Hoc responso

A Carthaginenſes cognito, Hannibalem domum Magonémque reuocarunt. Huc vt rediit, prætor factus eſt, poſtquam rex fuerat anno ſecundo & vigeſimo. Vt enim Romæ conſules, ſic Carthagine quotannis annui bini reges creabantur. In eo magiſtratu pari diligentia ſe Hannibal præbuit ac fuerat in bello. Nãque effecit, ex nouis vectigalibus non ſolùm vt eſſet pecunia quæ Romanis ex fœdere penderetur, ſed etiam ſupereſſet quæ in ærario poneretur. Deinde anno poſt præturam, M. Claudio, Lucio Furio Coſſ. Ro-
B mani legati Carthaginem venerunt. Hos Hannibal ſui expoſcendi gratia miſſos ratus, priuſquam his ſenatus daretur, nauem conſcendit clàm, atque in Syriam ad Antiochum profugit. Hac re palàm facta, Pœni naues duas quæ eum comprehenderent, ſi poſſent conſequi, miſerunt: bona eius publicarunt: domum à fundamentis diſiecerunt: ipſum exulem iudicarunt. At Hannibal anno tertio poſtquam domo profugerat, L. Cornelio, Quinto Minutio Coſſ. cum quinque nauibus Africam acceſſit in finibus Cyre-
C næorum, ſi fortè Carthaginenſes ad bellum Antiochi ſpe fiduciáque inducere poſſet, cui iam perſuaſerat vt cum exercitibus in Italiam proficiſceretur. Huc Magonem fratrẽ exciuit. Id vbi Pœni reſciuerunt, Magonem eadem qua fratrẽ pœna affecerunt. Illi deſperatis rebus quum ſoluiſſent naues, ac vela ventis dediſſent, Hannibal ad Antiochũ peruenit. De Magonis interitu duplex memoria prodita eſt. Nanque alii naufragio, alii à ſeruis ipſius interfectũ eum, ſcriptum reliquerunt. Antiochus autem ſi tam in agen-
D do bello parêre voluiſſet conſiliis eius, quàm in ſuſcipiendo inſtituerat, propius Tiberi quàm Thermopylis de ſumma imperii dimicaſſet. Quẽ etſi multa ſtultè conari videbat, tamen nulla deſeruit in re. Præfuit paucis nauibus, quas ex Syria iuſſus erat in Aſiam ducere, híſque aduerſus Rhodiorum claſſem in Pamphylio mari cõflixit. Quo quum multitudine aduerſariorum ſui ſuperarentur, ipſe quo cornu rem geſſit fuit ſuperior. Antiocho fugato, verens ne dederetur,

(quod sine dubio accidisset si sui fecisset potestatem) A
Cretam ad Gortynios venit, vt ibi quò se conferret, consideraret. Vidit autem vir omnium callidissimus, magno se fore periculo, nisi quid præuidisset, propter auaritiam Cretensium. magnam enim secum pecuniam portabat, de qua sciebat exisse famam. Itaque capit tale consilium. Amphoras complures complet plumbo, summas operit auro & argento. Has Gortyniis præsentibus deponit in templo Dianæ, simulás se suas fortunas illorum fidei credere. His in errorem ductis, statuas æneas, quas secũ portabat, omnes B
sua pecunia complet, eásque in propatulo domi abiicit. Gortynii templum magna cura custodiunt, nõ tam à cæteris quàm ab Hannibale, ne quid ille insciẽtibus his tolleret, secúmque portaret. Sic conseruatis suis rebus Pœnus, illusis Cretensibus omnibus, ad Prusiam in Pontum peruenit: apud quem eodem animo fuit erga Italiam: neque aliud quicquam egit quàm regẽ armarit & excitarit aduersus Romanos. Quem quũ videret domesticis rebus minus esse ro- C
bustum, conciliabat cæteros reges, adiungebátq; bellicosas nationes. Dissidebat ab eo Pergamenus rex Eumenes Romanis amicissimus, bellúmq; inter eos gerebatur & mari & terra. Quò magis cupiebat eum Hannibal opprimi; sed vtrobique Eumenes plus valebat, propter Romanorum societatem. Quem si remouisset, faciliora sibi cætera fore arbitrabatur. Ad hunc interficiendũ, talem iniit rationem. Classe paucis diebus erant decertaturi. Superabatur nauiũ multitudine: dolo erat pugnandum, quum par non esset D
armis. Imperauit quàmplurimas venenatas serpentes viuas colligi, eásque in vasa fictilia coniici. Harum quum confecisset magnam multitudinem, die ipso quo facturus erat naulae prælium, classiarios conuocat, hísque præcipit omnes vt in vnam Eumenis regis concurrant nauem, à cæteris tantùm satis habeant se defendere: id facilè illos serpentum multitudine consequuturos. Rex autem qua naue veheretur, vt scirent, se facturum. quem si aut cepissent aut inter-

A fecissent, magno his pollicetur præmio fore. Tali cō
hortatione militum facta, classis ab vtrisque in præ-
liū deducitur. Quarum acie constituta, priusquam si-
gnum pugnæ daretur, Hannibal, vt palàm faceret suis
quo loco Eumenes esset, tabellarium in scapha cum
caduceo mittit. Qui vbi ad naues aduersariorū per-
uenit, epistolam ostēdens, se regem professus est quę-
rere. Statim ad Eumenem deductus est, quòd nemo
dubitabat aliquid de pace esse scriptum. Tabellarius,
ducis naue declarata suis, eôdem vnde ierat, se rece-
B pit. At Eumenes soluta epistola nihil in ea reperit
nisi quod ad irridendum eum pertineret. Cuius etsi
causam mirabatur, neque reperiebatur: tamen præ-
lium statim committere non dubitauit. Horum in
concursu, Bithyni Hannibalis præcepto vniuersi na-
uem Eumenis adoriuntur: quorum vim quum rex
sustinere non posset, fuga salutem petiit: quam conse-
quutus non esset nisi intra sua præsidia se recepisset,
quæ in proximo littore erant collocata. Reliquæ Per
gamenæ naues quum aduersarios premerent acrius,
C repentè in eas vasa fictilia (de quibus suprà mentio-
nem fecimus) coniici cœpta sunt. Quæ iacta initiò
risum pugnantibus excitarunt. Neque quare id fie-
ret, poterat intelligi. Postquam autem naues com-
pletas conspexerunt serpentibus, noua re perterriti,
quum quid potissimùm vitarent non viderent, pup-
pes auerterunt, séque ad sua castra nautica retulerūt.
Sic Hannibal consilio arma Pergamenorum supera-
uit. Neque tum solùm, sed sæpe aliàs pedestribus co-
piis pari prudentia pepulit aduersarios. Quæ dum
D in Asia geruntur, accidit casu, vt legati Prusiæ Romæ
apud L. Quintium Flaminium consularem cœnarēt:
atque ibi de Hannibale mentione facta, ex his vnus
diceret, eum in Prusiæ regno esse. Id postero die Fla-
minius senatui detulit. Patres conscripti, qui Hanni-
bale viuo nunquam se sine insidiis futuros existima-
bant, legatos in Bithyniam miserūt, in his Flaminiū,
qui à rege peterent ne inimicissimum suum secū ha-
beret, sibíq; dederet. His Prusias negare ausus non

est. Illud recusauit, ne id à se fieri postularent, quòd A
aduersus ius hospitii esset: ipsi si possent, comprehenderent: locum vbi esset, facilè inuenturos. Hannibal enim vno loco se tenebat, in castello quod ei ab rege datum erat muneri. idque sic ædificarat vt in omnibus partibus ædificii exitus haberet, semper verens ne vsu veniret quod accidit. Huc quum legati Romanorum venissent, ac multitudine domũ eius circumdedissent: puer ab ianua prospiciens, Hannibali dixit plures præter consuetudinem armatos apparere. Qui imperauit ei vt omnes fores ædificii circũiret, ac properè sibi renunciaret num eodem modo vndique obsideretur. Puer quum celeriter quid esset renunciasset, omnésque exitus occupatos ostendisset, sensit id B
non fortuitò factum, sed se peti, neque sibi diutius vitam esse retinendam. quam ne alieno arbitrio dimitteret, memor pristinarum virtutum, venenum, quod semper secum habere consueuerat, sumpsit. Sic vir fortissimus, multis variísque perfunctus laboribus, anno acquieuit septuagesimo. Quibus cõsulibus interierit, non conuenit. Nanque Atticus, M. Claudio C
Marcello, & Q. Fabio Labeone Coss. mortuũ, in Annali suo scriptum reliquit: at Polybius, Æmilio Paulo, & C. Bæbio Pamphilo: Sulpitius autẽ Blito, P. Cornelio Cethego, & Bæbio Pamphilo. Atque hic tantus vir, tantísque bellis districtus, nonnihil temporis tribuit literis. Nanque aliquot eíus libri sunt Græco sermone confecti. In his ad Rhodios de Cn. Manlii Volsonis in Asia rebus gestis. Huius bella gesta multi memoriæ prodiderunt: sed ex his duo qui cum eo D
in castris fuerunt, simúlque vixerunt quamdiu fortuna passa est, Philænius, & Sosilus Lacedæmonius. Atque hoc Sosilo Hannibal literarum Græcarum vsus est doctore. Sed nos tempus est huius libri facere finem, & Romanorum explicare imperatores, quò facilius collatis vtrorumque factis, qui viri præferendi sint, possit iudicari.

A

# FRAGMENTVM QVOD ex Probi libro posteriore superest.

## M. PORTII CATONIS VITA.

B.

CATO ortus municipio Tusculo, adolescentulus, priusquam honoribus operam daret, versatus est in Sabinis: quòd ibi hærediū à patre relictum habebat. Hortatu L. Valerii Flacci, quem in consulatu censuráque habuit collegam, (vt M. Perperna Censorinus narrare solitus est) Romam demigrauit, in foro esse cœpit. Primum stipendium meruit annorum decem septémque, Q. Fabio Maximo, M. Claudio Marcello c o s s. Tribunus militum in Sicilia fuit. Inde vt rediit, castra sequutus est C. Claudii Neronis: magníque opera eius existimata est in prælio apud Senā, quo cécidit Hasdrubal frater Hānibalis. Quæstor obtigit P. Africano consuli, cum quo non pro sortis necessitudine vixit. nanque ab eo perpetua dissensit vita. Ædilis pl. factus est cum C. Heluio. Prætor prouinciam obtinuit Sardiniam, ex qua quæstor superiore tempore ex Africa decedens, Q. Ennium poetam deduxerat. quod non minoris æstimamus quàm quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum. Consulatū gessit cum L. Valerio Flacco, sorte prouinciam nactus Hispaniam citeriorem: ex qua triumphum deportauit. Ibi quum diutius moraretur, P. Scipio Africanus consul iterum, cuius in priori consulatu quæstor fuerat, voluit eum de prouincia depellere, & ipse ei succedere. neq; hoc per senatum efficere potuit, quum quidem

C

D

Scipio

Scipio in ciuitate principatum obtineret: quòd tum A
non potentia, sed iure respublica administrabatur.
Qua ex re iratus, senatu peracto, priuatus in vrbe mã
sit. At Cato censor cum eodem Flacco factus, seuerè præfuit ei potestati. Nam & in complures nobiles animaduertit, & multas res nouas in edictum addidit, qua re luxuria reprimeretur, quæ iam tum incipiebat pullulare. Circiter annos octuaginta, vsque ad extremam ætatem, ab adolescẽtia, reipublicæ causa suscipere inimicitias non destitit. A multis tentatus, non modò nullum detrimentum existimationis fecit, sed, quoad vixit, virtutum laude creuit. In omnibus rebus singulari fuit prudentia & industria. B
nam & agricola solers, & reipublicæ peritus, & iurisconsultus, & magnus imperator, & probabilis orator, & cupidissimus literarum fuit. Quarum studium etsi senior arripuerat, tamen tantum progressum fecit, vt non facilè reperire possis neque de Græcis neque de Italicis rebus quod ei fuerit incognitum. Ab adolescentia confecit orationes: senex historias scribere instituit, quarum sunt libri septem. Primus continet res gestas regum populi Romani. Secundus & tertius, vnde quæque ciuitas orta C
sit Italica: ob quã rem omnes Origines videtur appellasse. In quarto autem, bellum Punicum primum: in quinto, secundum. Atque hæc omnia capitulatim sunt dicta. Reliqua bella pari modo persequutus est, vsque ad præturam Ser. Galbæ, qui diripuit Lusitanos. Atque horum bellorum duces non nominauit, sed sine nominibus res notauit. In iisdẽ exposuit quæ in Italia Hispaniisque viderentur admiranda. In quibus multa industria & diligentia comparet, multa D
doctrina. Huius de vita & moribus plura in eo libro persequuti sumus quem separatim de eo fecimus rogatu Titi Pomponii Attici. Quare studiosos Catonis ad illud volumen relegamus.

A

# IVLII AGRICOLAE vita per Cornelium Tacitum eius generum castissimè composita.

B CLARORVM virorum facta moresque posteris tradere, antiquitus vsitatum, ne nostris quidem temporibus, quãquam incuriosa suorum ætas omisit; quotiens magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac supergressa est vitium paruis magnisque ciuitatibus commune, ignorantiam recti & inuidiam. Sed apud priores vt agere memoratu digna, pronum magisque in aperto erat: ita celeberrimus quisq; in-
C genio ad prodendam virtutis memoriam sine gratia aut ambitione, bonæ tãtùm conscientiæ pretio ducebatur. Ac plerique suam ipsi vitam narrare, fiduciam potius morum quàm arrogantiam arbitrati sunt. nec id Rutilio & Scauro citra fidẽ, aut obtrectationi fuit. adeò virtutes iisdem temporibus optimè æstimantur quibus facilimè gignuntur. At mihi nunc narraturo vitam defuncti hominis, venia opus fuit. quam non petissem, ni incursaturus tam sæua & infesta virtutibus tempora. Legimus, quũ Aruleno Rustico Pætus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Heluidius lau-
D dati essent, capitale fuisse: neque in ipsos modò autores, sed in libros quoque eorum sæuitum, delegato triumuiris ministerio vt monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro vrerẽtur. Scilicet illo igne vocẽ populi Rom. & libertatẽ senatus, & cõsciẽtiam generis humani aboleri arbitrabantur, expulsis insuper sapientiæ professoribus, atque omni bona arte in exilium acta, ne quid vsquam honestum occur-

rerct. Dedimus profectò grande patientiæ documẽtum, vt ficut vetus ætas vidit quid vltimum in libertate effet, ita nos quid in feruitute, adempto per inquifitiones & loquendi audiendíque commercio. Memoriam quoque ipfam cum voce perdidiffemus, fi tam in noftra poteftate effet obliuifci quàm tacere. Nunc demum redit animus. & quanquam primo ftatim beatiffimi fæculi ortu Nerua Cæfar res olim diffociabiles mifcuerit, principatum ac libertatem, augeátque quotidie facilitatem imperii Nerua Traianus, nec fpem modò ac votum fecuritas publica, fed ipfius voti fiduciã ac robur affumpferit: naturâ tamẽ infirmitatis humanæ, tardiora funt remedia quàm mala: & vt corpora lentè augefcunt, citò extinguuntur, fic ingenia ftudiáque oppreffferis facilius quàm reuocaueris. Subit quippe etiam ipfius inertiæ dulcedo: & inuifa primo defidia, poftremo amatur. Quid fi per quindecim annos, grande mortalis æui fpatiũ, multis fortuitis cafibus promptiffimus quifque fæuitia principis interciderũt? Pauci, & (vt ita dixerim) non modò aliorũ, fed etiam noftri fuperftites fumus, exemptis è media vita tot annis, quibus iuuenes ad fenectutem, fenes propè ad ipfos exactæ ætatis terminos per filentium venimus. non tamen pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris fenectutis, ac teftimonium præfentium bonorum compofuiffe. Hic interim liber honori Agricolæ foceri mei deftinatus, profeffione pietatis aut laudatus erit, aut excufatus.

Cneus Iulius Agricola vetere & illuftri Foroiuliẽfium colonia ortus, vtrunque auum procuratorem Cæfarũ habuit: quæ equeftris nobilitas eft. Pater Iulii, Iulius Græcinus, fenatorii ordinis, ftudio eloquẽtiæ fapientiæque notus, iifque virtutibus iram Caii Cæfaris meritus. nanque Marcum Sillanum accufare iuffus, & quia abnuerat interfectus eft. Mater Iulia Procilla fuit, raræ caftitatis. in huius finu indulgentiáque educatus per omnem honeftarum artium cultum pueritiam adolefcentiámque tranfegit.

A Arcebat eum ab illecebris peccantium, præter ipsius bonam integrámque naturam, quòd statim paruulus sedem ac magistram studiorum Massiliam habuerit, locũ Græca comitate & prouinciali parsimonia mistum ac bene compositum. Memoria teneo, solitum ipsum narrare, se in prima iuuenta studium philosophiæ acrius, vltrà quàm concessum Rom. ac senatori, hausisse, ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coercuisset. scilicet sublime & rectum ingenium pulchritudinem ac speciem excelsæ magnæq; B gloriæ vehementius quàm cautè appetebat: mox mitigauit ratio & ætas. retinuítque, quod est difficilimum, ex sapientia modum. Prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio Paulino, diligẽti ac moderato duci, approbauit, electus quem contubernio æstimaret. Nec Agricola licenter more iuuenum, qui militiam in lasciuiam vertunt, neque segniter ad voluptates & commeatus, titulum tribunatus & inscitiam retulit: sed noscere prouinciam, nosci exercitui, discere à peritis, sequi optimos, nihil appetere iacta-C tionem, nihil ob formidinem recusare, simúlque anxius & intẽtus agere. Non sanè aliàs exercitatior magisque in ambiguo Britannia fuit. trucidati veterani, incensæ coloniæ, intercepti exercitus. tum de salute, mox de victoria certauere. Quæ cuncta etsi consiliis ductúque alterius agebãtur, ac summa rerum & recuperatæ prouinciæ gloria in ducem cessit, artem & vsum & stimulos addidere iuueni: intrauítque animũ militaris gloriæ cupido, ingrata temporibus, quibus sinistra erga eminentes interpretatio, nec minus pe-D riculum ex magna fama quàm ex mala. Hinc ad capescendos magistratus in vrbem digressus, Domitiã Decidianam splendidis natalibus ortam sibi iunxit. idque matrimonium ad maiora nitenti decus ac robur fuit. vixerúntque mira concordia, per mutuam charitatem, & inuicem se anteponendo, nisi quòd in bona vxore tanto maior laus, quãto in mala plus culpæ est. Sors quæsturæ prouinciam Asiam, proconsulem Saluium Titianum dedit: quorum neutro cor-

ruptus est: quanquam & prouincia diues ac parata A
peccantibus,& proconsul in omnem auiditatem pro
nus,quātalibet facilitate redempturus esset mutuam
dissimulationem mali. Auctus est ibi filia,in subsidiū
& solatium simul.nam filium antè sublatum,breui a-
misit. Mox inter quæsturam, ac tribunatum plebis,
atque etiam ipsum tribunatus annum quiete & otio
transiit,gnarus sub Nerone temporum,quibus iner-
tia pro sapientia fuit. Idem præturæ tenor & silentiū.
nec enim iurisdictio obuenerat. Ludos,& inania ho-
noris,modo rationis atque abundantiæ duxit, vti lō- B
gè à luxuria,ita famæ propior. Tum electus à Galba
ad dona templorum recognoscenda, diligentissima
cōquisitione fecit ne cuius alterius sacrilegium resp.
quàm Neronis sensisset. Sequēs annus graui vulne-
re animum domúmque eius afflixit. nam classis O-
thoniana licēter vaga,dum in Templo(Liguriæ pars
est)hostiliter populatur, matrem Agricolæ in præ-
diis suis interfecit,prædiáque ipsa & magnam patri-
monii partem diripuit,quæ causa cædis fuerat.Igitur C
ad solemnia pietatis profectus Agricola,nuncio affe-
ctati à Vespasiano imperii deprehensus, ac statim in
partes transgressus est. Initia principat' ac statū vrbis
Mutianus regebat,admodum iuuene Domitiano, &
ex paterna fortuna tantùm licentiam vsurpante. Is
missum ad delectus agendos Agricolam, integréque
ac strenuè versatum,vicesimæ legioni tardè ad sacra-
mentum transgressæ præposuit, vbi decessor seditio-
se agere narrabatur: quippe legatis quoque consula-
ribus nimia ac formidolosa erat. Nec legatus præto- D
rius ad cohibendum potens, incertum suo an militū
ingenio:ita successor simul & vltor electus, rarissima
moderatione maluit videri inuenisse bonos quàm
fecisse. Præerat tunc Britanniæ Vectius Volan' pla-
cidius quàm feroci prouincia dignum est. tempera-
uit Agricola vim suam,ardorémque compescuit. ne
incresceret,peritus obsequi,eruditúsque vtilia hone-
stis miscere. Breui deinde Britannia consularem Pe-
tilium Cerealem accepit. Habuerūt virtutes spatium

A exemplorum. Sed primo Cerealis modò labores & discrimina, mox & gloriam communicabat: sæpe parti exercitus in experimentum, aliquando maioribus copiis ex euentu præfecit. Nec Agricola vnquam in suam famam gestis exultauit: ad autorem & ducem vt minister fortunam referebat: ita virtute in obsequendo, verecundia in prædicando, extra inuidiam, nec extra gloriam, erat. Reuertẽtem ab legatione legionis diuus Vespasianus inter patricios adsciuit, ac deinde prouinciæ Aquitaniæ præposuit splendidæ in
B primis dignitatis administratione, ac spe consulatus, cui destinarat. Credunt plerique militaribus ingeniis subtilitatem deesse, quia castrensis iurisdictio secura & obtusior, ac plura manu agens, calliditatem fori non exerceat. Agricola naturali prudentia quanuis inter togatos facilè iustéque agebat. Iam verò tẽpora curarum remissionúmque diuisa: vbi conuentus ac iudicia poscerent, grauis, intentus, seuerus, & sæpius misericors: vbi officio satisfactum, nulla vltrà potestatis persona, tristitiam & arrogantiam & auaritiam exuerat: nec illi, quod est rarissimum, aut fa-
C cilitas autoritatem, aut seueritas amorem diminuit. Integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre, iniuria virtutum fuerit. Ne famam quidem, cui etiam sæpe boni indulgent, ostentandam virtute aut per artem quæsiuit: procul ab æmulatione aduersus collegas, procul à contentione aduersus procuratores: & vincere inglorium, & atteri sordidum arbitrabatur. Minus triennium in ea legatione detentus, ac statim ad spem consulatus reuocatus est, comitante opinione, Britanniam ei prouinciã dari, nullis in hoc
D suis sermonibus, sed quia par videbatur. haud semper errat fama, aliquando & eligit. Consul egregiæ tum spei filiam iuueni mihi despondit, ac post consulatum collocauit, & statim Britanniæ præpositus est, adiecto pontificatus sacerdotio. Britanniæ situm populósque multis scriptoribus memoratos, non in comparationẽ curæ ingeniive referam, sed quia tum primùm perdomita est: itaque quæ priores nondum

comperta eloquentia percoluere, rerum fide tradentur. Britannia insularũ quas Romana notitia complectitur, maxima, spatio ac cælo in orientem Germaniæ, in occidentem Hispaniæ obtenditur: Gallis in meridiem etiam inspicitur. Septentrionalia eius, nullis contrà terris, vasto atque aperto mari pulsantur. Formam totius Britanniæ Liuius veterum, Fabius Rusticus recentium, eloquentissimi autores, oblongæ scutulæ vel bipenni assimilauere. & est ea facies citra Caledoniam, vnde & in vniuersum fama est transgressa. sed immensum & enorme spatium procurrentium extremo iam littore terrarum velut in cuneum tenuatur. Hanc oram nouissimi maris tunc primùm Romana classis circumuecta insulam esse Britanniam affirmauit: ac simul incognitas ad id tẽpus insulas quas Orcadas vocant, inuenit, domuítque. dispecta est & Thyle, quam hactenus nix & hyems abdebat. sed mare pigrum & graue remigantibus perhibent: ne ventis quidem proinde attolli: credo quòd rariores terræ montésque, causa ac materia tempestatum, & profunda moles continui maris, tardius impellitur. Naturam oceani atque æstus neque quærere huius operis est, ac multi retulere. vnum addiderim, nusquam latius dominari mare, multum fluminum huc atque illuc ferre, nec littore tenus accrescere aut resorberi, sed influere penitus atque ambire, etiam iugis atque montibus inseri velut in suo. Cæterùm Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenæ an aduecti, vt inter barbaros, parum compertum. Habitus corporum varii: atque ex eo argumenta. nanque rutilæ Caledoniam habitantium comæ, magni artus, Germanicam originem asseuerant. Silurum colorati vultus, & torti plerunque crines, & posita contra Hispaniam, Iberós veteres traiecisse, easque sedes occupasse, fidem faciunt. Proximi Gallis, & similes sunt: seu durante originis vi, seu procurrentibus in diuersa terris, positio cæli corporibus habitum dedit. in vniuersum tamen æstimanti, Gallos vicinum solum occupasse credibile est. Eo-

A B C D

A rum ſacra deprehendas ſuperſtitionum perſuaſione. Sermo haud multum diuerſus. in depoſcendis periculis eadem audacia, & vbi aduenere, in detrectandis eadem formido. plus tamẽ ferociæ Britanni præferunt, vt quos nondum longa pax emollierit. nam Gallos quoque in bellis floruiſſe accepimus: mox ſegnitia cum otio intrauit, amiſſa virtute pariter ac libertate. quod Britannorum olim victis euenit, cæteri manent quales Galli fuerunt. In pedite robur: quædam nationes & curru præliantur. honeſtior auriga, clientes propugnant. olim regibus parebant,
B nunc per principes factionibus & ſtudiis trahuntur. nec aliud aduerſus validiſſimas gentes pro nobis vtilius, quàm quòd in commune non conſulunt. Rarus duabus tribúſque ciuitatibus ad propulſandum commune periculum conuentus: ita dum ſinguli pugnãt, vniuerſi vincuntur. Cælum crebris hymbribus ac nebulis fœdum. aſperitas frigorum abeſt. Dierum ſpatia vltra noſtri orbis menſuram, & nox clara, & extrema Britániæ parte breuis, vt finem atque initium
C lucis exiguo diſcrimine internoſcas. Quòd ſi nubes non officiant, aſpici per noctem ſolis fulgorem, nec occidere, & exurgere, ſed tranſire affirmant. ſcilicet extrema & plana terrarum humili vmbra non erigunt tenebras, infráque cælum & ſidera nox cadit. Solum præter oleam vitémque & cætera calidioribus terris oriri ſueta, patiens frugum, fœcundum. tardè miteſcunt, citò proueniunt. eadémque vtriuſque rei cauſa, multus humor terrarum cælíque. Fert Britannia aurum & argentum & alia metalla, pretiũ
D victoriæ. gignit & oceanus margarita, ſed ſubfuſca ac liuentia. Quidam artem abeſſe legentibus arbitrãtur. nã in rubro mari viua ac ſpirantia ſaxis auelli, in Britannia prout expulſa ſint colligi. ego facilius crediderim naturam margaritis deeſſe quàm nobis auaritiam. Ipſi Britanni delectum, ac tributa, & iniuncta imperii munera impigrè obeunt, ſi iniuriæ abſint: has ægrè tolerant, iam domiti vt pareant, nondum vt ſeruiant. Igitur primus omniũ Romanorum D. Iu-

lius cum exercitu Britanniam ingressus, quanquam A
prospera pugna terruerit incolas, ac littore potitus sit, potest videri ostendisse posteris, non tradidisse. Mox bella ciuilia, & in rempublicam versa principum arma, ac longa obliuio Britanniæ etiam in pace. Consilium id diuus Augustus vocabat, Tiberius præcipué. Agitasse C. Cæsarem de intranda Britannia, satis constat, ni velox ingenio, mobilis pœnitentia, & ingentes aduersus Germaniam conatus frustrà fuissent. Diuus Claudius autor operis, trāsuectis legionibus auxiliísque, & assumpto in partem rerum B
Vespasiano. quod initium venturæ mox fortunæ fuit, domitæ gentes, capti reges, & monstratus fatis Vespasianus. Consularium primus Aulus Plautius præpositus, ac subinde Ostorius Scapula, vterque bello egregi', redactáq; paulatim in formā prouinciæ proxima pars Britanniæ. addita insuper veteranorum colonia. quædā ciuitates Cogiduno regi donatæ. is ad nostrā vsq; memoriam fidissimus mansit, vetere ac iam pridem recepta populi Romani consuetudine, vt haberet instrumenta seruitutis & reges. Mox Didius Gal- C
lus parta à prioribus cóntinuit, paucis admodum castellis in vlteriora promotis, per quæ fama aucti officii quæreretur. Didium Veranius excepit, ísque intra annum extinctus est. Suetonius hinc Paulinus biennio prosperas res habuit, subactis nationibus, firmatísque præsidiis: quorum fiducia Monam insulam, vt vires rebellibus ministrantem, aggressus, terga occasioni patefecit. Nanque absentia legati remoto metu, Britanni agitare inter se mala seruitutis, conferre iniurias, & interpretando accendere: nihil profici D
patientia, nisi vt grauiora tanquam ex facili tolerantibus imperentur: singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi, è quibus legatus in sanguinem, procurator in bona sæuiret: æquè discordiam præpositorum, æquè concordiam subiectis exitiosam: alterius manus centuriones, alterius vim & contumelias miscere: nihil iam cupiditati, nihil libidini exceptū: in prælio fortiorem esse qui spoliet, nunc ab ignauis

A plerunq; & imbellibus eripi domos, abstrahi liberos, iniungi delectus, tanquam mori tantùm pro patria nescientibus. quantum enim transisse militum, si sese Britanni numerēt? sic Germanias excussisse iugum, & flumine, non oceano, defendi: sibi patriam, coniuges, parentes: illis auaritiam & luxuriam causas belli esse: recessuros vt diuus Iulius recessisset, modò virtutes maiorum suorum æmularentur: néve prælii vnius aut alterius euentu pauescerent: plus impetus, maiorem constantiam penes miseros esse: iam Britannorū
B etiam deos misereri, qui Romanum ducē absentem, qui relegatum in alia insula exercitum detinerent: iā ipsos, quod difficilimum fuerit, deliberare. porrò in eiusmodi consiliis periculosius esse deprehendi quàm audere. His atque talibus inuicem instincti, Voadica generis regii fœmina duce, (neq; enim sexum in imperiis discernunt) sumpsere vniuersi bellum: ac sparsos per castella milites consectati, expugnatis præsidiis, ipsam coloniā inuasere, vt sedem seruitutis. nec vllum in barbaris sæuitiæ genus omisit ira & victo-
C ria. Quòd nisi Paulinus, eo cognito prouinciæ motu, properè subuenisset, amissa Britannia foret: quam vnius prælii fortunâ veteri patientiæ restituit, tenentibus arma plerisque, quos conscientia defectionis & proprius ex legato timor agitabat. Hic quū, egregius cætera, arroganter in deditos, &, vt suæ quoque iniuriæ vltor, durius cōsuleret, missus Petronius Turpilianus tanquam exorabilior, & delictis hostium nouus, eóque pœnitentiæ mitior, compositis prioribus nihil vltrà ausus, Trebellio Maximo prouinciā
D tradidit. Trebellius segnior & nullis castrorum experimentis, comitate quadam curandi prouinciam tenuit. Didicere iam barbari quoque ignoscere vitiis blandientibus, & interuentus ciuilium armorū præbuit iustam segnitiæ excusationem. sed discordia laboratum, quum assuetus expeditionibus miles otio lasciuiret. Trebellius fuga ac latebris vitata exercitus ira, indecorus atq; humilis precariò mox præfuit: ac velut pacti, exercitus licentiam, dux salutem. hæc se-

ditio ſine ſanguine ſtetit. Nec Vectius Volanus manentibus adhuc ciuilibus bellis agitauit Britanniam A
diſciplina. eadem inertia erga hoſtes, ſimilis petulantia caſtrorum: niſi quòd innocens Volanus, & nullis delictis inuiſus charitatem parauerat loco autoritatis. Sed vbi cũ cætero orbe Veſpaſianus & Britanniam recuperauit, magni duces, egregii exercitus, minuta hoſtium ſpes: & terrorem ſtatim intulit Petilius Cerealis, Brigantum ciuitatem, quæ numeroſiſſima prouinciæ totius perhibetur, aggreſſus multa prælia, & aliquando non incruēta: magnámque Brigantum partem aut victoria amplexus, aut bello. Et quũ B
Cerealis quidem alterius ſucceſſoris curam famámque obruiſſet, ſuſtinuit quoque molem Iulius Frontinus, vir magnus, quãtum licebat, validámque & pugnacem Silurum gentem armis ſubegit, ſuper virtutē hoſtiũ locorum quoq; difficultates eluctatus. Hunc Britanniæ ſtatum, has bellorum vices media iam æſtate tranſgreſſus Agricola inuenit, quum & milites velut omiſſa expeditione ad ſecuritatem, & hoſtes ad occaſionem verterentur. Ordouicum ciuitas haud C
multo ante aduentum eius, alam in finibus ſuis agētem, propè vniuerſam obtriuerat: eóque initio erecta prouincia, vt quibus bellum volentibus erat, probare exemplum, aut recentis legati animũ opperiri. Tum Agricola (quanquam tranſacta æſtas, ſparſi per prouinciam numeri, præſumpta apud militem illius anni quies tarda & contraria bellum inchoaturo, & pleriſque cuſtodiri ſuſpecta potius videbatur) ire obuiá diſcrimini ſtatuit: contractíſque legionum vexillis & modica auxiliorum manu, quia in æquũ digredi Or- D
douices non audebant, ipſe ante agmen, quò cæteris par animus ſimili periculo eſſet, erexit aciem: cæſâq; propè vniuerſa gente, non ignarus inſtandum famæ, ac prout prima ceſſiſſent fore vniuerſa, Monam inſulam, cuius poſſeſſione reuocatum Paulinum rebellione totius Britanniæ ſuprà memoraui, redigere in poteſtatem animo intendit. Sed vt in dubiis conſiliis, naues deerant, ratio & conſtantia ducis tranſuexit

A depositis omnibus sarcinis, lectissimos auxiliarium, quibus nota vada, & patrius nandi vsus quo simul séque & arma & equos regunt, ita repentè immisit vt obstupefacti hostes, qui classem, qui naues, qui mare expectabant, nihil arduum aut inuictum crediderint sic ad bellum venientibus. Ita petita pace, ac dedita insula, clarus ac magnus haberi Agricola: quippe cui ingredienti prouinciam, quod tempus alii per ostentationem aut officiorum ambitum transigunt, labor & periculum placuisset. Nec Agricola prosperitate B rerum in vanitatem vsus, expeditionem aut victoriã vocabat, victos continuisse: ne laureatis quidem gesta prosequutus est, sed ipsa dissimulatione famæ famam auxit, æstimantibus quanta futuri spe tam magna tacuisset. Cæterùm animorum prouinciæ prudens, simúlque doctus per aliena experimenta parum proficí armis si iniuriæ sequerentur, causas bellorum statuit exscindere, à se suísque orsus. primam domum suam coercuit: quod plerisque haud minus arduum est quàm prouinciã regere: nihil per libertos seruósq; publicæ rei: non studiis priuatis, nec ex commenda- C tione aut precibus centurionum milites ascire, sed optimum quenque fidelissimum putare: omnia scire, non omnia exequi: paruis peccatis veniã, magnis seueritatem commodare: nec pœna semper, sed sæpius pœnitentia contentus esse: officiis & administrationibus potius non peccaturos, quàm damnare quum peccassent. Fruměti & tributorum auctionem æqualitate munerum mollire, circuncisis quæ in quæstum reperta ipso tributo grauius tolerabãtur. nanque per D ludibrium assidere clausis horreis, & emere vltrò frumenta, ac vendere pretio cogebantur. diuortia itinerum & longinquitas regionum indicebatur, vt ciuitates à proximis hybernis in rěmota & auia deferrent, donec quod omnibus in prõptu erat, paucis lucrosum fieret. Hæc primo statim anno comprimendo egregiam famam paci circundedit, quæ vel incuria vel tolerantia priorum haud minus quàm bellum timebatur. Sed vbi æstas aduenit, contracto

exercitu multum in agmine laudare modestiam, dis- A
iectos coercere: loca castris ipse capere, æstuaria ac
syluas ipse prætentare: & nihil interim apud hostes
quietum pati, quo minus subitis excursibus popula-
retur: atque vbi satis terruerat, parcendo rursus iri-
tamenta pacis ostentare. Quibus rebus multæ ciui-
tates quæ in illum diem ex æquo egerant, datis obsi-
dibus iram posuere, & præsidiis castellisque circun-
datæ, tanta ratione curáque, vt nulla antè Britanniæ
noua pars illacessita transierit. Sequens hyems sa-
luberrimis consiliis absumpta. nanque vt homines B
dispersi ac rudes, eóque bello faciles, quieti & otio
per voluptates assuescerent, hortari priuatim, adiu-
uare publicè, vt templa, fora, domus extruerent, lau-
dando promptos, & castigãdo segnes. ita honoris æ-
mulatio pro necessitate erat. Iam verò principum fi-
lios liberalibus artibus erudire, & ingenia Britãno-
rum studiis Gallorum anteferre, vt qui modò lin-
guam Romanam abnuebant, eloquentiam concupi-
scerent. inde etiam habitus nostri honor, & frequens
toga, paulatímq; discessum ad delinimẽta vitiorum, C
porticus, & balnea, & conuiuiorum elegantiam. íd-
que apud imperitos humanitas vocabatur, quũ pars
seruitutis esset. Tertius expeditionum annus no-
uas gentes aperuit, vastatis vsque ad Taum (æstuario
nomen est) nationibus. qua formidine territi hostes,
quanquam conflictatum sæuis tempestatibus exerci-
tum, lacessere non ausi. ponendísque insuper castellis
spatium fuit. Adnotabant periti, nõ alium ducem op-
portunitates locorum sapiẽtius legisse, nullum ab A-
gricola positum castellum aut vi hostium expugna- D
tum, aut pactione ac fuga desertum. crebræ eruptio-
nes. nam aduersus moras obsidionis annuis copiis fir
mabantur. ita intrepida ibi hyems, & sibi quisq; præ-
sidio, irritis hostibus, eóque desperantibus, quia so-
liti plerunque damna æstatis hybernis euentibus pen
sare, tum æstate atque hyeme iuxtà pellebantur. Nec
Agricola vnquam per alios gesta auidus intercepit,
seu centurio, seu præfectus, incorruptum facti testem

A habebat. Apud quosdam acerbior in conuitiis narrabatur, vt bonis comis, ita aduersus malos iniucundus. cæterùm ex iracūdia nihil super erat. secretum & silentium eius non timeres. honestius putabat offendere quàm odisse. Quarta æstas obtinēdis quæ percurrerat insumpta, ac si virtus exercituum & Romani nominis gloria pateretur, inuentus in ipsa Britannia terminus. Nam Glota & Bodotria diuersi maris æstus per immensum reuecti, angusto terrarum spatio dirimuntur, quod tum præsidiis firmabatur: atq;
B omnis propior sinus tenebatur, summotis velut in aliam insulam hostibus. Quinto expeditionum anno naue prima transgressus ignotas ad id tempus gentes crebris simul ac prosperis præliis domuit: eámque partem Britāniæ quæ Hyberniam aspicit, copiis instruxit, in spem magis quàm ob formidinem. siquidem Hybernia medio inter Britanniam atq; Hispaniam sita, & Gallico quoque mari opportuna, valentissimam imperii partem, magnis inuicem vsibus miscuerit. Spatium eius si Britanniæ comparetur, angu-
C stius: nostri maris insulas superat. Solum cælúmque & ingenia cultúsque hominum haud multum à Britānia differunt. melius aditus portúsq; per commercia & negotiatores cogniti. Agricola expulsum seditione domestica vnum ex regulis gentis exceperat, ac specie amicitiæ in occasionem retinebat. Sæpe ex eo audiui, legione vna & modicis auxiliis debellari obtinerique Hyberniam posse. Idque etiam aduersus Britanniam profuturum, si Romana vbique arma, & velut è conspectu libertas tolleretur. Cæterùm æ-
D state, qua sextum officii annum inchoabat, amplas ciuitates trans Bodotriam sitas, quia motus vniuersarum vltrà gentium, & infesta hostili exercitu itinera timebantur, portus classe explorauit: quæ ab Agricola primùm assumpta in partem virium, sequebatur egregia specie, cū simul terra, simul mari bellum impelleretur: ac sæpe iisdem castris pedes equésque & nauticus miles mixti copiis & lætitia sua quisque facta, suos casus attollerēt: ac modò syluarum & mon-

tium profunda, modò tempestatum ac fluctuum aduersa, hinc terra & hostis, hinc auctus oceanus militari iactantia compararentur. Britannos quoque, vt ex captiuis audiebatur, visa classis obstupefaciebat, tãquam aperto maris sui secreto vltimum victis perfugium clauderetur. Ad manus & arma conuersi Caledoniam incolentes populi paratu magno, maiore fama, vti mos est de ignotis, oppugnasse vltrò castella adorti, metum vt prouocantes addiderant: regrediēdúmq; citra Bodotriam, & excedendũ potius quàm pellerentur, specie ignaui prudentium admonebant, quum interim cognoscit, hostes pluribus agminibus irrupturos. Ac ne superante numero & peritia locorum, circumiretur, diuiso & ipse in tres partes exercitu incessit. Quod vbi cognitum hosti, mutato repētè cõsilio vniuersi nonam legionem, vt maximè inualidam, nocte aggressi inter somnum ac trepidationē cæsis vigilibus irrupere. Iámque in ipsis castris pugnabant, quũ Agricola iter hostium ab exploratoribus edoctus, & vestigiis insequutus, velocissimos equitum peditúmque assultare tergis pugnantium iubet, mox ab vniuersis adiici clamorem. & propinqua luce fulsere signa. ita ancipiti malo territi Britanni: & Romanis redit animus, ac securi pro salute, de gloria certabant. vltrò quinetiam irrupere. & fuit atrox in ipsis portarum angustiis prælium, donec pulsi hostes, vtroque exercitu certante, his vt tulisse opem, illis ne eguisse auxilio viderentur. quòd nisi paludes & syluæ fugientes texissent, debellatum illa victoria foret. Cuius constantia ac fama ferox exercitus, nihil virtuti suæ inuium, penetrandam Caledoniam, inueniendúmque tandem Britanniæ terminum continuo præliorum cursu fremebant: atque illi modò cauti ac sapientes, prompti post euentum ac magniloqui erant. Iniquissima hæc bellorum conditio est: prospera omnes sibi vendicant, aduersa vni imputantur. At Britanni non virtute, sed occasione & arte ducis rati, nihil ex arrogantia remittere, quominus iuuentutem armarent, coniuges ac liberos in loca tuta transfer-

A rent, cœtibus ac sacrificiis conspirationem ciuitatum sancirent. atque ita iritatis vtrinque animis discessum. Eadem æstate cohors Vsipiorum per Germanias conscripta, in Britanniam transmissa, magnũ ac memorabile facinus ausa est. Occiso centurione ac militibus, qui ad tradendam disciplinam immixti manipulis exemplum & rectores habebantur, tres liburnicas adactis per vim gubernatoribus ascendêre: & vno remigrante, suspectis duobus, eóque interfectis, nondum vulgato rumore vt miraculum proue-
B hebantur: mox hac atque illâ rapti, & cum plerisque Britannorum sua defensantium prælio congressi, ac sæpe victores, aliquando pulsi, eò ad extremum inopiæ venere, vt infirmissimos suorum, mox sorte ductos vescerentur: atque ita circunuecti Britanniam, amissis per inscitiam regendi nauibus, pro prædonibus habiti, primùm à Sueuis, mox à Frisiis intercepti sunt. ac fuere quos per commercia venundatos, & in nostram vsque ripam mutatione ementium adductos indicium tanti casus illustrauit. Initio æstatis Agri-
C cola domestico vulnere ictus anno antè natum filium amisit. Quem casum neque vt plerique fortium virorum ambitiosè, neque per lamenta rursus ac mœrorem muliebriter tulit. & in luctu bellum inter remedia erat. Igitur præmissa classe, quæ pluribus locis prædata, magnum & incertum terrorem faceret, expedito exercitu, cui ex Britannis fortissimos & longa pace exploratos addiderat, ad montem Grampium peruenit, quem iam hostes insederant. Nam Britanni nihil fracti pugnæ prioris euentu, & vltionem aut
D seruitium expectantes, tandémque docti commune periculum concordia propulsandum, legationibus & fœderibus omnium ciuitatum vires exciuerant. Iámque super triginta millia armatorum aspiciebantur, & adhuc affluebat omnis iuuentus, & quibus cruda ac viridis senectus, clari bello, ac sua quisque decora gestantes, quum inter plures duces virtute & genere præstans nomine Galgacus, apud contractam multitudinem prælium poscêtem, in hunc modum loquutus

tus

tus fertur. Quotiens causas belli & necessitatẽ no- A
stram intueor, magnus mihi animus est, hodiernum
diem, consensúmque vestrum, initium libertatis to-
tius Britanniæ fore. Nam & vniuersi seruitutis ex-
pertes: & nullæ vltra terræ, ac ne mare quidem secu-
rum imminente nobis classe Romana. ita prælių at-
que arma, quæ fortibus honesta, eadem etiam igna-
uis tutissima sunt. Priores pugnæ, quibus aduersus
Romanos varia fortuna certatum est, spem ac subsi-
dium in nostris manibus habebant: quia nobilissimi
totius Britanniæ, eóque in ipsis penetralibus siti, nec B
seruientium littora aspicientes, oculos quoque à con-
tactu dominationis inuiolatos habebamus. Nos ter-
rarum ac libertatis extremos, recessus ipse ac sinus fa
mæ in hunc diem defendit. nunc terminus Britanniæ
patet: atque omne ignotum pro magnifico est. Sed
nulla iam vltrà gens, nihil nisi fluctus & saxa. & infe-
rioris Romani, quorum superbiam frustra per obse-
quium & modestiam effugeris: raptores orbis, post-
quam cuncta vastantibus defuere terræ, & mare scru
tantur: si locuples hostis est, auari: si pauper, ambitiosi, C
quos non oriens, non occidens satiauerit: soli omniũ
opes atque inopiam pari affectu concupiscunt: auferre,
trucidare, rapere falsis nominibus imperiũ: atque
vbi solitudinẽ faciunt, pacem appellant. Liberos cui-
que ac propinquos suos natura charissimos esse vo-
luit: hi per delectus alibi seruituri auferuntur. Coniu-
ges sororésque, etsi hostilem libidinem effugiant, no-
mine amicorum atque hospitium polluuntur. Bona
fortunásque in tributum egerunt, in annonam fru- D
mentum: corpora ipsa ac manus syluis ac paludibus
emuniendis verbera inter ac contumelias conterunt.
Nata seruituti mancipia semel veneunt, atque vltro à
dominis aluntur: Britannia seruitutem suam quotidie
emit, quotidie pascit. Ac sicut in familia recentissi-
mus quisque seruorum & conseruis ludibrio est: sic
in hoc orbis terrarum vetere famulatu, noui nos &
viles in excidium petimur. Neque enim arua nobis
aut metalla, aut portus sunt, quibus exercendis reser-

A uemur. Virtus porrò ac ferocia subiectorum ingrata imperantibus: & longinquitas ac secretum ipsum, quò tutius, eò suspectius. Ita sublata spe veniæ, tandem sumite animum, tam quibus salus quàm quibus gloria charissima est. Brigantes, fœmina duce, exurere coloniam, expugnare castra, ac, nisi felicitas in socordiam vertisset, exuere iugum potuere: nos integri & indomiti, & libertatem non in præsentia laturi primo statim congressu. vnde ostendamus quos sibi Caledonia viros seposuerit. An eandem Romanis in
B bello virtutem quam in pace lasciuiã adesse creditis? Nostris illi discessionibus ac discordiis clari, vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt: quem contractum ex diuersissimis gentibus vt secundæ res tenẽt, ita aduersæ dissoluent: nisi si Gallos & Germanos, & (pudet dictu) Britannorũ plerosque dominationi alienæ sanguinem commodantes, diutius tamen hostes quàm seruos, fide & affectu teneri putatis: metus & terror est, infirma vincula charitatis. quæ vbi remoueris, qui timere desierint, odisse incipient. Omnia
C victoriæ incitamenta pro nobis sunt: nullæ Romanos coniuges accendunt: nulli parentes fugam exprobraturi sunt: aut nulla plerisque patria, aut alia est. paucos numero circùm trepidos ignorantia, cœlũ ipsum ac mare & syluas, ignota omnia circunspectãtes, clausos quodammodo ac victos alii nobis tradiderũt. Ne terreat vanus aspectus, & auri fulgor atque argenti, quod neque tegit neque vulnerat. In ipsa hostium acie inueniemus nostras manus. agnoscent Britanni suam causam. recordabuntur Galli priorem liberta-
D tem. deserent illos cæteri Germani, tanquam nuper Vsipii reliquerunt. Nec quicquam vltrà formidinis, vacua castella, senum coloniæ, inter malè parentes & iniustè imperantes ægra municipia & discordantia. hîc dux, hîc exercitus: ibi tributa & metalla & cæteræ seruientium pœnæ, quas in æternum proferre, aut statim vlcisci, in hoc campo est. Proinde ituri in aciem & maiores vestros & posteros cogitate. Excepêre orationem alacres, & barbari moris cantu & fremi-

tu clamoribúsq; dissonis. Iámque agmina & armorum fulgores audentissimi cuiusque procursu, simul instruebantur acies, quũ Agricola, quanquam lætum & vix monitis coercitum militem adhuc ratus, ita disseruit. Octauus annus est, commilitones, ex quo virtute & auspiciis imperii Rom. fide atque opera vestra Britanniam vicistis, tot expeditionibus, tot prælijs seu fortitudine aduersus hostes, seu patientia ac labore penè aduersus ipsam rerum naturam opus fuit. Neque me militum, neque vos ducis pœnituit. Ergo egressi, ego veterum legatorum, vos priorum exer- B
cituum terminos, finem Britanniæ non fama nec rumore, sed castris & armis tenemus. Inuenta Britannia & subacta. Equidem in agmine quũ vos paludes montésve & flumina fatigarent, fortissimi cuiusque vocem audiebã, quando dabitur hostis, quãdo acies? Veniunt, è latebris suis extrusi. & vota virtúsque in aperto, omniáque prona victoribus, atque eadem victis aduersa. Nam vt superasse tantum itineris, syluas euasisse, transisse æstuaria, pulchrum ac decorum in frontem, ita fugientibus periculosissima quæ hodie prosperrima sunt. Neque enim nobis aut locorum e- C
adem notitia, aut cômeatuum eadem abundantia: sed manus & arma, & in his omnia. Quod ad me attinet, iam pridem mihi decretum est, neq; exercitus neque ducis terga tuta esse. Proinde & honesta mors turpi vita potior, & incolumitas ac decus eodem loco sita sunt. nec inglorium fuerit, in ipso terrarum ac naturæ fine cecidisse. Si nouæ gentes atque ignota acies constitisset, aliorum exercituum exemplis vos hortarer: nunc vestra decora recẽsete, vestros oculos interroga- D
te. Ii sunt quos proximo anno vnam legionem furto noctis aggressos, clamore debellastis: ii cæterorũ Britannorũ fugacissimi, ideóq; tandiu superstites. Quomodo syluas saltúsque penetrantibus fortissimum quodque animal robore, pauida & inertia ipso agminis sono pelluntur: sic acerrimi Britannorum iam pridem ceciderunt: reliquus est numerus ignauorum & metuentium. quos quòd tandem inuenistis, non re-

A ſtiterunt, ſed deprehenſi ſunt nouiſſimi, & extremo metu corpora defixere in iis veſtigiis in quibus pulchram & ſpectabilem victoriam ederetis. Tranſigite cum expeditionibus, imponite quinquaginta annis magnum diem: approbate reipub. nunquam exercitui imputari potuiſſe aut moras belli, aut cauſas debellandi. Et alloquente adhuc Agricola militũ ardor eminebat, & finem orationis ingens alacritas conſequuta eſt, ſtatímq; ad arma diſcurſum. inſtinctos ruentéſque ita diſpoſuit vt peditum auxilia, quæ octo B milia erant, mediam aciem firmarent: equitum tria milia cornibus affunderentur. legiones pro vallo ſtetere ingens victoriæ decus citra Romanũ ſanguinem bellanti, & auxilium ſi pellerentur. Britannorum acies in ſpeciem ſimul ac terrorẽ editioribus locis conſtiterant; ita vt primum agmen æquo, cæteri per accliue iugum connexi velut inſurgerẽt: media campi couinarius & eques ſtrepitu ac diſcurſu cõplebat. Tum Agricola ſuperante hoſtium multitudine veritus ne ſimul in frontem, ſimul & latera ſuorum pugnaretur, C diductis ordinibus, quanquam porrectior acies futura erat, & arceſſendas pleriquc legiones admonebant, promptior in ſpẽ, & firmus aduerſis, dimiſſo equo pedes ante vexilla conſtitit. Ac primo congreſſo eminus certabatur. ſimul conſtantia, ſimul arte, Britanni ingentibus gladiis, & breuibus cetris miſſilia noſtrorum vitare, vel excutere, atq; ipſi magnam vim telorum ſuperfundere: donec Agricola tres Batauorũ cohortes ac Tungrorum duas cohortatus eſt vt rem ad mucrones ac man' adducerẽt. quod & ipſis vetuſtate D militiæ exercitatum, & hoſtibus inhabile parua ſcuta & enormes gladios gerentibus. nam Britannorũ gladii ſine mucrone complexum armorum, & in aperto pugnã non tolerabant. Igitur vt Batauí miſcere ictus, ferire vmbonibus, ora fœdare, & tractis qui in æquo obſtiterant, erigere in colles aciem cœpere, cæteræ cohortes æmulatione & impetu commiſtæ proximos quoſque cædere: ac pleriq; ſemineces aut integri feſtinatione victoriæ relinquebantur. Interim equitum

turmæ fugêre, couinarii peditum se prælio miscuere: A &quanq am recentem terrorem intulerant, densis tamen hostium agminibus & inæqualibus locis hærebant: minimeq; equestris ea pugnæ facies erat, quum in gradu stantes simul equorum corporibus impellerentur: ac sæpè vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, vt quenq; formido tulerat, transuersos aut obuios incursabãt. Et Britanni, qui adhuc pugnæ expertes summa collium insederant, & paucitatem nostrorum vacui spernebant, digredi paulatim & circumire terga vincentium cœperant: ni idipsum veritus Agricola quatuor equitũ alas, ad subita belli retentas, venientibus opposuisset, quãtóque ferocius accurrerãt, B tanto acrius pulsos in fugam disiecisset. Ita consilium Britannorum in ipsos versum. transuectæque præcepto ducis à fronte pugnantium alæ, auersam hostium aciem inuasere. Tum verò patentibus locis grande & atrox spectaculum: sequi, vulnerare, capere, atq; eosdem oblatis aliis trucidare. Iam hostiũ, prout cuique ingenium erat, cateruæ armatorum paucioribus terga præstare, quidam inermes vltro ruere, ac se morti C offerre. Passim arma, & corpora, & laceri artus, & cruenta humus, & aliquando etiam victis ira virtúsque: postquam syluis appropinquarũt, collecti, primos sequentium incautos & locorum ignaros circumueniebant. Quòd ni frequens vbique Agricola, validas & expeditas cohortes indaginis modo, & sicubi arctiora erant, partem equitum dimissis equis, simul rariores syluas equitem persultare iussisset, acceptum aliquod vulnus per nimiã fiduciam foret. Cæterum vbi compositos firmis ordinibus sequi rursus videre, in fugam D versi, non agminibus vt prius, nec alius alium respectantes, rari & vitabundi inuicem, longinqua atque auia petiere. finis sequendi nox & satietas fuit. cæsa hostium ad decem milia. nostrorum trecenti quadraginta cecidere: in queis Aulus Atticus præfectus cohortis, iuuenili ardore & ferocia equi hostibus illatus. Et nox quidem gaudio prædáq; læta victoribus: Britanni palantes mixtóque virorum mulierúmque

A ploratu,trahere vulneratos,vocare integros: deserere domos, ac per iram vltro incendere: eligere latebras, & statim relinquere: miscere inuicem cõsilia aliqua, dein sperare: aliquando frangi aspectu pignorum suorũ,sæpius concitari.satisque constabat sæuisse quosdã in coniuges ac liberos,tanquã misererẽtur. Proxim' dies faciem victoriæ latius aperuit. vastum vbiq; silentium,secreti colles. fumantia procul tecta. nemo exploratoribus obuius.Quibus in omnẽ partem dimissis, vbi incerta fugæ vestigia, neque vsquã con-
B globari hostes compertum,& exacta iam æstate spargi bellum nequibat:in fines Horestorũ exercitum deducit.Ibi acceptis obsidibus, præfecto classis circumuehi Britanniã præcepit:datæ ad id vires,& præcesserat terror. Ipse peditem atque equites lento itinere, quo nouarum gentium animi ipsa transitus mora terrerentur,in hybernis locauit.Et simul classis secunda tempestate ac fama Trutulensem portum tenuit,vnde proximo latere Britãniæ lecto omni redierat. Hũc rerum cursum,quanquam nulla verborum iactantia,
C epistolis Agricolæ actum, vt Domitiano moris erat, fronte lætus,pectore anxius excepit.Inerat conscientia, derisui fuisse nuper falsum è Germania triumphum,emptis per commercia quorum habitus & crines in captiuorum speciem formarentur: at nunc veram magnámq; victoriam, tot millibus hostiũ cæsis, ingenti fama celebrari. Id sibi maximè formidolosum, priuati hominis nomen supra principis attolli: frustra studia fori,& ciuilium artium decus in silentium acta,si militarem gloriam alius occuparet: & cæ-
D tera vtcunq; facilius dissimulari, ducis boni imperatoriam virtutem esse.Talibus curis exercitus, quódque sæuæ cogitationis indicium erat,secreto suo satiatus, optimum in præsentia statuit reponere odium, donec impetus famæ & fauor exercitus languesceret. nam etiam tum Agricola Britanniam obtinebat. Igitur triumphalia ornamenta, & illustris statuæ honorẽ,& quicquid pro triumpho datur,multo verborum honore cumulata, decerni in senatu iubet: addíque

insuper opinionem, Syriam prouinciam Agricolæ destinari, vacuam tum morte Atilii Rufi consularis, & maioribus reseruatam. Credidere plerique libertum ex secretioribus ministeriis missum ad Agricolam, codicillos quibus ei Syria dabatur tulisse, cum præcepto vt, si in Britannia foret, traderentur: cúmq; libertum in ipso freto Oceani obuium Agricolæ, ne appellato quidem eo ad Domitianum remeasse: siue verum istud, siue ex ingenio principis fictum ac compositum est. Tradiderat interim Agricola successori suo prouinciam quietam tutámque. Ac ne notabilis celebritate & frequentia occurrentium introitus esset, vitato amicorum officio, noctu in vrbem, noctu in palatium, ita vt præceptum erat, venit: exceptúsque breui osculo & nullo sermone, turbæ seruientium immixtus est. Cæterum vt militare nomen, graue inter otiosos, aliis virtutibus temperaret, tranquillitatem atque otium penitus auxit, cultu modicus, sermone facilis, vno aut altero amicorum comitatus: adeo vt plerique, quibus magnos viros per ambitionem æstimare mos est, viso aspectóque Agricola, quærerent famam, pauci interpretarentur. Crebro per eos dies apud Domitianũ absens accusatus, absens absolutus est. causa periculi non crimen vllum, aut querela læsi cuiusquam, sed infensus virtutibus princeps, & gloria viri, ac pessimum inimicorum gen', laudãtes. Et ea insequuta sunt reip. tempora quæ sileri Agricolam non sinerent: tot exercitus in Mysia-Daciáque, & Germania Pannoniáque, temeritate aut per ignauiam ducum amissi: tot militares viri cum tot cohortibus expugnati & capti. nec iam de limite imperii & ripa, sed de hybernis legionum & possessione dubitatum. Ita quum damna damnis continuarẽtur, atque omnis annus funeribus & cladibus insigniretur, poscebatur ore vulgi dux Agricola: comparantibus cunctis vigorem, constantiam, & expertum bellis animum, cum inertia & formidine eorum. Quibus sermonibus satis constat, Domitiani quoque aures verberatas, dum optimus quisq; libertorum amore & fide, pessimi malignitate & liuore

A pronum deterioribus principem extimulabant. Sic Agricola simul suis virtutibus, simul vitiis aliorum, in ipsam gloriā præceps agebatur. Aderat iam annus quo proconsulatum Asiæ & Africæ sortiretur, & occiso Ciuica nuper, nec Agricolæ consilium deerat, nec Domitiano exemplum. Accessere quidam cogitationū principis periti: qui, iturúsne esset in prouinciam, vltro Agricolam interrogarent. ac primo occultius quietem & otium laudare, mox operam suam in approbanda excusatione offerre, postremò non iam obscuri, suadentes simul terrentésque, pertraxere ad
B Domitianum. qui paratus, simulatione in arrogantiam compositus, & audiit preces excusantis, & quum annuisset, agi sibi gratias passus est: nec erubuit beneficii inuidia: salarium tamē proconsulari solitū offerri, & quibusdam à seipso concessum, Agricolæ non dedit: siue offensus non petitum, siue ex consciētia, ne, quod vetuerat, videretur emisse. Propriū humani ingenii est, odisse quem læseris: Domitiani verò natura
C præceps in iram, & quo obscurior, eo irreuocabilior, moderatione tamen prudentiáque Agricolæ leniebatur: quia non contumacia, neq; inani iactatione libertatis famam fatúmque prouocabat. Sciant quibus moris illicita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse: obsequiúmque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eò laudis excedere quò plerique per abrupta, sed in nullum rei pôst vsum, ambitiosa morte inclaruerūt. Finis vitæ eius nobis lu-
D ctuosus, amicis tristis, extraneis etiā ignotísque non sine cura fuit. Vulgus quoque, & hic aliud agens populus, & ventitauere ad domum, & per fora & circulos loquuti sunt: nec quisquā audita morte Agricolæ aut lætatus est, aut statim oblitus est. Augebat miserationem constans rumor, veneno interceptum. Nobis nihil comperti, affirmare ausim. cæterum per omnem valitudinē eius, crebrius quàm ex more principatus per nuntios visentis, & libertorum primi, & medicorum intimi venere: siue cura illud, siue inquisitio erat. Supremo quidem die momenta deficientis per dispo

ſitos curſores nunciata conſtabat, nullo credente ſic A
accelerari quæ triſtis audiret. Speciem tamen doloris
animo vultuque præ ſe tulit, ſecurus iam odii, & qui
facilius diſſimularet gaudium quàm metū. Satis con-
ſtabat lecto teſtimonio Agricolæ, quo cohæredem o-
ptimæ vxori, & piiſſimæ filiæ Domitianum ſcripſit,
lætatum eum, velut honore iudicióque: tam cæca &
corrupta mens aſſiduis adulationibus erat, vt neſci-
ret à bono patre non ſcribi hæredem niſi malum prin
cipem. Natus erat Agricola Caio Cæſare ter
cos. idibus Iuniis: exceſſit ſexto & quinquageſimo
anno, decimo Kalend. Septembres Collega Priſcóq; B
coss. Quòd ſi habitum quoque eius poſteri noſce-
re velint, decentior quàm ſublimior fuit. nihil metus
in vultu. gratia oris ſupererat. bonum virum facilè cre
deres, magnum libenter. Et ipſe quidem, quanquam
medio in ſpatio integræ ætatis ereptus, quantum ad
gloriam, longiſſimum æuum peregit. Quippe & vera
bona, quæ in virtutibus ſita ſunt, impleuerat: & conſu
laribus ac triumphalibus ornamentis prædito, quid
aliud adſtruere fortuna poterat? Opibus nimiis non C
gaudebat, ſpecioſæ contigerant. filia atque vxore ſu-
perſtitibus, poteſt videri etiam beatus incolumi digni
tate, florente fama, ſaluis affinitatibus & amicitiis fu-
tura effugiſſe. Nam ſicuti durare in hac beatiſſimi ſe-
culi luce, ac principem Traianum videre, augurio vo
tiſque apud noſtras aures ominabatur: ita feſtinatæ
mortis grande ſolatium tulit, euaſiſſe poſtremum illud
tempus quo Domitianus non iam per interualla ac
ſpiramēta temporum, ſed continuo & velut vno ictu
rempublicam exhauſit. Non vidit Agricola obſeſſam D
curiam, & clauſum armis ſenatum, & eadem ſtrage
tot conſularium cædes, tot nobiliſſimarum fœmina-
rum exilia & fugas. Vna adhuc victoria Carus Meti-
us cenſebatur, & intra Albanam villam ſententia Meſ
ſalini ſtrepebat, & Maſſa Bebius iam tum reus erat.
Mox noſtræ duxere Heluidium in carcerem manus.
Nos Maurici Ruſticique viſus, nos innocēti ſangui-
ne Senecio perfudit. Nero tamen ſubtraxit oculos,

# IN VITAS PLVTARchi parallelas

## ANNOTATIONES.

In quibus multi Plutarchi loci emendantur ac restituuntur, multi explicantur: quidam ex aliis quoque autoribus eodem modo tractantur.

## G. XYLANDER LECTORI S.

*Ex his meis annotationibus facilè eruditi candidóque præditi ingenio lectores intelligent, cùm qualis hactenus in manibus hominum fuerit Plutarchus Latinus, tum qualem nos dederimus. Interpretum aliquot insignia errata hìc demonstraui, non profectò alia de causa quam vt mei operis rationē redderem, aliósque etiam qui de Græcis libris Latinos facere student, sui officij monerem. Omnia verò & Græci librarij & interpretū persequi si voluissem errata, aut vbique edere meæ versionis causas, in immensum hæc lucubratio excreuisset, atque haud scio an ipsum Plutarchi opus æquasset. Permulta etiam sunt quæ vti in Græco repereram atque apud interpretes, ita reliqui: non quòd mihi satis fieret, aut quòd mendum subesse non animaduerterem: sed quia non veniebat in mentem quo pacto emendare possem. Id præsertim in propriis nominibus sæpe mihi vsuuenit. Statueram etiam annotare vbi ea quæ à Plutarcho scribuntur, ab aliis bonis scriptoribus eodem vel alio modo referrentur: atque etiam παραλειπόμενα addere, si quid (vt sunt non contemnenda quædam) ad istam alicuius pertinens Plutarchus prætermisisset. sed longitudo operis futuri moléstq; me ab instituto retraxit. itaque ea vel aliis indaganda, vel mihi suo commodiori tempore ac loco perscribenda reliqui. Hæc ipsa, qualiacunque sunt, grato animo probus lector accipiat, bonique consulat.*

# IN PLVT. THESEVM ANNOTATIONES GUIL. XYLANDRI & HERM. CRUSERII, INTERPRETUM: QUARUM HAS AB ILLIS DISCERNES HAC NOTA IN FINE τῆς προσονομάσεως APPOSITA, Cr.

VTILE est admodum, scire qua quis ætate, quibus temporibus vixerit, quorũ hominum fuerit æqualis. Id quanuis de Theseo indicare difficilius est, quia ante Olympiadas fuit: tamen quũ Helena puella sit ab ipso rapta, quũ filii eius in Troiano bello fuerint, quũ ipse Herculis amicitiam coluerit, colligi ex iis quæ apud Clementem Alexandrinum lib. στρωμάτ. apud Dionysium Halicarn. lib. 1 De antiquitate Romana, apud alios multos historiarum & annalium scriptores demonstrantur, potest, à Romulo & Roma ad AEneam vsque & Troiam tempora repetentibus nobis, Theseum annis circiter ante Romam conditam CCCCL floruisse. (nã nos quidem initio Romæ pro meta quasi & scopo vtemur, ad quem dirigamus omnes alias historias, & ad hos quasi carceres reuocemus: quando neque de annis à creato mundo elapsis certum & firmum quicquam adhuc traditum est: & si quis ad natales Christi referre tẽpora velit, nullo id negotio facere possit, quum constet ferè, anno ab V.C. DCCLI Christum natum) Plutarchus quidem autor in vita Cimonis est, ossa Thesei CCCC circiter post exiliũ eius annis Athenas à Cimone reportata fuisse. id autem appâret circa annum Romæ CCLXXX factum fuisse: vt vix CL annis, aut ad summum CC ante Romam conditam viguisse Theseum, inde iudicari possit. Sed & is locus (vt multi alii) mendosus haud iniuria, opinor, censeri potest: &, si hoc non sit, aliam à nostra & recepta supputationem sequi Plutarchus potuit: quando nõ vnam, sed plures, ipse Dionysius refert. Cæterùm Sosius iste Senecio cuius tam nobilis est in Plutarchianis lucubrationibus mentio, quatuor sub Traiano gessit cõsulatus, vt ex annalibus patet. Fuisse eum in summo apud imperatorem honore, Xiphilinus scribit ex Dione.

Tomi primi p.1,b. *Vt AEschyli verbis vtar*] Versus sunt de tragœdia cui titulus ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις.

1,2,a. *Pugnaces ambo*] Versus est Homericus Iliad. 7: Idæi præconis ad Hectorem & Aiacem.

Ibid. *Si, quę minimè tragicè dicta videntur, ad veritatem faciunt*] Lapus hæc verba ad ea quæ de natalibus Thesei sequuntur, retulit. Ego sequutus sum distinctionẽ Græci codicis. videtur enim Plutarchus hæc dixisse fabulæ causa remouendæ quæ de Romulo in cælum rapto fertur.

Ib. c. *Euripides*] Initio Hippolyti coronati.

Ib. d. *Vtre pedem extantem*] In Græco est, -δῆμον Ἀθηναίων εἰσαφικέσθαι. Legendum esse ἀφικέσθαι ratio carminis docet. Iisdem ferè verbis recitat hoc oraculum AEgeus Medeæ apud Euripidem. Isacius in Lycophronem eadẽ copiosè exponit, & ipsum oraculum hoc modo: (quam quidem genui-

uam lectionem esse puto) Ἀσκοῦ τὸν προύχοντα ποδεῶνα φέρτατε λαῶν Μὴ λύσῃς πρὶν ἐς ἄκρον Ἀθηναίων ἀφίκηαι.

1,3,a. *Sub ingenti abditos saxo*] Esse in via ab Hermione Trœzenem euntibus, ait & describit Pausan. lib. 2.

Ib. b. *Quod* τίθεσθαι *Græcè dicitur*] Xylander ibi perspicuitatis causa de suo addidit, *Vtrobique vi Græci vocabuli astipulante.* nam (inquit in Annot.) υἱὸς θετὸς Adoptitius dicitur, παρὰ τὸ τιθέναι: ac θέσις, Adoptio. & quum τίθημι sit Pono, à monumentis istis repositis dici potuit Θησεύς.

Ib. c. *Vt de Abantibus memorat Homerus*] In Bœotia vocans eos ὄπιθεν κομόωντας, crinito occipite. Cæterùm de more comã deo nuncupandi & consecrandi, Pausanias hæc, τὸ δὲ ἔτι ἐγὼ ἀνάθημα καιρομένου τὴν κόμην παιδὸς οἱ ἐπὶ τῷ Κηφισῷ. καθεστάναι δὲ ἐκ παλαιοῦ καὶ τοῖς πᾶσι τοῦτο Ἕλλησι, τῇ Ὁμήρου τις ἂν τεκμαίροιτο ποιήσει, ὃς τὸν Πηλέα εὔξασθαί φησι τῷ Σπερχειῷ κερεῖν ἀνασωθέντος ἐκ Τροίας Ἀχιλλέως τὴν κόμην. Atticis. Locus Homeri est Iliad. ψ.

1,4, c. *Eruerentúrque lacertis ad viol.*] Thucyd. quoque libro 1, p. 2, testatur Thesei ætatem fuisse latrociniis infestam. Cr.

1,5,c. *Periphetē*] Suid. Periphanem vocat. Vide Diod. lib. 5. Cr.

Ibid. d. *In Isthmo Sinnim Pityocampten*] Scribendum potius vnico n Sinin, vt & apud Pausan. necnō apud Ouid. Metam. l. 7, quē vide. nam & ipse elegāter hæc Thesei facinora recenset, inter alia de hoc Sinide Pityocampte canens, *Occidit ille Sinis magnis malè viribus vsus, Qui poterat curuare trabes, & agebat ab alto Ad terram latè sparsuras corpora pinus.* Perpetam enim ibi Scinis scriptum esse, vel ex metro patet.

1,6,a. *Multáque stœbe & asparagis obsitum*] Xyl. vertit, *Stœbáque herba & spinis densis obsitum.* Cur autē (inquit in Annot.) ἀσφάραγον verterim *Spinam*, Suidas docebit. Et Eustathius ait in Iliadis 21, esse τὸ ἐκ τῶν ἀκανθῶν ἀναφυόμενον. Stœben ex spinosarū herbarum numero esse, apparet ex Plin. 21, 16.

Ibid. b. *Crommyonia sus*] Ouid. Metam. l. 7, Cromyona vnico m scribit: *Quodque suam securus arat Cromyona colonus, Munus opúsque tuum est, Theseu.* Apud Pausaniam in Atticis legitur ὗς τῆς Κορινθίας ἐν Κρομμυῶνι. Sed rursus initio Corinth. Κρομμυὼν ἀπὸ τοῦ Κρόμμου τοῦ Ποσειδῶνος. Stephano est Κρεμμυών, Plinio Cremyon. vt & apud Ouid. quidam cod. habēt *Cremyona.* Strabo lib. 8, Κρομμυὼν habet.

Ibid. c. *Sunt qui Phæam mulierē latronem &c.*] Sic vertit & Xyl. annotans, Lego enim non ληστρίδα, sed ληστρίδα. alioquin fuit vertēdum, Sunt qui Phæam vxorem Lestridis fuisse perhibeant: quod non admitto.

1,7,b. *Hermione, Damastem Procrustem dictum*] Hunc locū ita vertit & Xyl. in cúmque sic scribit: Græca sic habent: καὶ μικρὸν προελθὼν, Δαμάστην ἐν Ἑρμιονι τὸν Προκρούστην, ἀναγκάσας αὐτὸν ἀπισοῦν τοῖς κλιντῆρσιν, ὥσπερ τοὺς ξένους ἐκεῖνος. Lapus quū verterit, *Quū domuisset Procrustem*, dubitasse mihi de voce δαμάστην videtur, aut legisse ἐδάμασεν: etsi verbo nihil est opus, quum à superioribus hæc pendeant. aliàs & ipse dubitarem, nisi articulus τὸν ostenderet Damastem nomen, Procrustem cognomentum esse, quum nemo scripto-

ſum, quod ego ſciam, Procruſtem nomine Damaſtæ affecerit. Pauſanias Atticis, πρὸς τούτῳ τοῦ Κηφισοῦ λῃστὴν Πολυπήμονα ὄνομα, Προκρούστην δὲ ἐπίκλησιν, Θησεὺς ἀπέκτεινεν. Ouid. *Vidit & immanem Cephiſias ora Procruſten.* Neque hæc verba, ἀπισοῦν τοῖς κλιντῆρσι, ſunt admodum euidentia: ideóque (vt arbitror) à Lapo prætermiſſa. Videntur mihi hoc ſignificare, Latronẽ illũ hoſpites in lectum aut culcitram collocaſſe, & eorum artus tantiſper extendiſſe dum luxatis membris longitudinem lecti implerent, atque ea vi iis mortem attuliſſe: quod ſit προκρούειν. Quod idem ferè traditum à Diodoro Siculo lib. 5, inueni. Certè autor argumenti Ἰσθμίων Pindari, (ſiue is eſt Triclinius) Procruſtæ cognomentum Sinidi tribuit: eum quo tamen reliqui diſſentiunt. ἐν Ἑρμίοις autẽ, locum ſignificat in Iſthmo, vt apparet ex Plinii lib. 4, cap. 51: & lib. Strabonis 8, & Pauſania, atque aliis.

Ib. d. *Quem nunc Hecatombæona dicunt*] Quia parum cõſtat quo modo Græci, & Attici præſertim, menſes Latinis noſtris reſpondeant, & neque interpretibus ea de re cum aliis, neque ſecum ferè ipſis conuenit, malui Græcum nomen relinquere. Dicam ſub finem totius operis hac de re quædam.

1, 8, a. *Diſtrictum cultrum, quaſi carnes quę appoſitæ erãt, diſſectur°, oſtendit ei*] Lapus *Gladium* vertit quod eſt in Græco μάχαιραν: ſatis inconuenienter, ne dicam imperité. Capulo gladii agnitum Theſeum facilè concedo, ſicut eſt apud Ouidium: *Quum pater in capulo gladii cognouit eburno Signa ſui generis.* Eũ ergo vt oſtentaret Theſeus, educendi cultri gratia protulit. Animaduerti etiã apud Homerum μάχαιραν eſſe cultrum, ξίφος gladium. Locum adſcribam ex Iliad. γ, Ἀτρείδης δὲ ἐρυσσάμενος χείρεσσι μάχαιραν, Ἥ οἱ πὰρ ξίφεος μέγα κουλεὸν αἰὲν ἄωρτο, Ἀρνῶν ἐκ κεφαλέων τάμνε τρίχας. Scholion: μάχαιραν νῦν τὸ παρὰ τὸ ξίφος μικρὸν μαχαίριον λέγει. Eſt & apud Herodotum lib. 2, οὐδὲ κρέως καθαροῦ βοὸς διατετμημένου Ἑλληνικῇ μαχαίρῃ γεύσεται Αἰγύπτιος: id eſt cultro, haud quidem dubié. ne dicã Halicarnaſſeum Dionyſium lib. 11, non ſemel ſcribere, Verginiam, quum vindiciæ eſſent ab Appio Claudio ab libertate decretæ, à patre ſuo cultro lanii confoſſam: μαγειρικῇ μαχαίρᾳ. Et noſtrates ſanè homines qui vulgari & impolito vtuntur ſermone, etiam gladios *meſſer* nominant: quum culter ſic Germanicè dicatur, voce à Græco μάχαιρα deducta, vti apparet. & quidem ipſe Plutarchus, quum loquitur de gladio hoc, qui eſſet γνώρισμα Theſei, non μάχαιραν dicit, ſed ξίφος.

Ib. b. *Vbi nunc in Delphinio ſepta ſunt*] περίφραστον: lego περίφρακτον. Delphiniũ autem tẽplum Athenis erat, Apollini dedicatum: Suidas. & mox ipſe Plutarchus Apollinis Delphinii meminit. & Euſtathius in φ Iliad. δικαστήριον fuiſſe Athenis eo nomine ſcribit, vbi de cædibus iudicaretur. ἑρμῆς porrò frequenter ſtatuam Mercurialem ſignificat: vnde illa ἑρμῶν περικοπὴ ex Thucydide infrà in Alcibiade. & Hermæ Pentelici apud Ciceronem ad Atticum. Lapus Tẽpli partẽ reddiderat.

Ibid. e. *Sphetta, Gargetto*] Pagi ſunt apud Athenas, de quibus in Stephano dicemus.

Ibid. *Inde aiunt Pallenæ tam curiæ cum Agnuſiis connubium non*

*esse*] Nomina sunt euriarum Atticarum. quod non intellexit corrector iste Latinæ versionis, qui pro Παλλωαίων reponendum arbitratur Παλλαντιδῶν: quasi verò euria non ab his nomen habuerit. Idem pro Ἑκαλήνῳ, quod est ab Hecale diminutiuum, mallet Ἑκαλῄσκῳ. Quasi verò ὑποκοριστικὸν aliter non potuerit quàm trito illo modo formari.

Ib. d. *Tetrapolin incolentibus*] Hoc est Atticam, quam quatuor vrbibus habebant, OEnoa, Probalintho, Tricorytho, Marathone, vt refert Stephanus. Sex. Pompeius Festus aliter: Quadrurbem, inquit, Athenas Accius appellauit, quòd scilicet ex quatuor vrbibus in vnū domicilia tulere, Braurone, Eleusine, Sunio, Piræeo. sed hæc aliás. Hinc apud Euripidem populus Atheniensis τετράπολις ξυνοικος λαὸς dicitur, Ἡρακλείδαις: quippe quum ex quatuor vnum Theseus composuisset, vt sequetur apud Plutarchum. Cæterùm Strabo, grauis autor, Tetrapolim vnam e duodecim ciuitatibus facit in quas Atticam hominum turbam digesserit Cecrops, & quas in vnam deinde Theseus redegerit. lib. 9.

1,9, a. *In Attica dolo peremptus*] Diodor. lib. 5, circa Thebas sublatum ait. Cr.

Ib. d. *In Bottiæorum rep.*] De Bottiæis Plin. l. 4, c. 2. Cr.

1,10, a. *Vel Homerus, Iouis appellans discipulum*] Xyl. vertit, *Colloquio Iouis vsum dicens*: in eundem hunc locum sic annotans: Locus est Vlyssææ 19. vbi Διὸς ὀαριστὴν vocat. Hor. 1 Carm. oda 28, sic vertit: *Et Iouis arcanis Minos admissus*. Est autem ὀαρίζειν, Colloqui cum aliquo, non nugas, sed seria, & res arcanas tractandi causa: quod & hinc apparet, & ex eo quòd Græci ob hoc vxores ὀάρους vocant. quo vocabulo & Homerus ita vsus est libro Iliad. nono, Ἀνδράσι μαρναμένοις ὀάρων ἕνεκα σφετεράων.

Ibid. b. *Omnium illum autorem*] Diodorus lib. 4, (quintum alii citant, quòd alteram primi libri partem pro secundo libro, hūc pro tertio accipiunt) ait, Androgeon ab AEgeo, metuente ne is cum Pallantis filiis societatem sui regno pellendi coiret, apud OEnoë positis insidiis occisum. Corrector iste annotauit, Diodorum scribere, id apud Thebas factum.

1,11, a. *Attolleret candidū*] Catull. De nuptiis Pelei, *Candidáque intorti sustollant vela rudentes*. Vide locum. Cr.

Ibid. b. *In Phalero*] Portus est Atticæ, vnde Demetrio Phalerei cognomentum.

1,12, b. *Leniter ei respondisse Thesea*] Vt sensus constet, sic legendum est, τούτῳ μὲν ἀπεκρίνατο πράως ὁ Θησεὺς, παραιτούμενος, &c.

Ib. c. *In Thymætadis*] In Græco est, ἐν Θυμαιτάδαις, elliptic ώς. Amiotus supplet *Oppido* seu *Castello*. vt appareat eam fuisse familiā Atticam Theseo coniunctam necessitate. Aristoph. Vesp. meminit Θυμαιτίδος σισύρας: quā schol. denominatam scribit ἀπὸ δήμου τῆς Ἱπποθοωντίδος φυλῆς: hanc autem, ἀπὸ Θυμοίτου ἥρωος. Iudem Suidas. Pausan. l. 2, vltimum Thesidarum regum Athenis nomen Thymœtæ gessisse scribit.

1,13, a. *In Homeri Necyam*] hoc est librum Vlyssææ vndecimum. sic autem cùm alii tum Cicero 1 Tusc. quæst. nominat hūc librum, quòd Vlyssis ad manes descensum exponat.

Ibid.c. *Mensis Gorpiaei*] Hunc ferè Septembrem interpretantur. Suidas γορπιαῖον ait esse τὸν σεπτέμβριον, κατὰ τοὺς Μακεδόνας: Gordiæum. Sed & Hesychius in voce Ἀδγορπιαῖον perhibet: & rectius. nam apud Suidam quoque manuscriptus cod. habet Γορπιαῖος.

1,14, d. *Eresiona feres ficus*] Hi versus alibi aliter leguntur. Nam & in primo φέρει malo, quod est apud Eustathiū, (quē legēt studiosi huius rei cognoscendæ, sub finem Commentariorum in xx Iliadis) Varinum, Suidam, & Clementem Alex. initio quarti Stromatεων, quàm φέρειν. & quum hic atque apud Clementem sit ἀναψύσασθαι, apud Suidam ἀποψύσασθαι, apud Varinum ὑποψύσασθαι, atque etiam ἐπικρήσασθαι, ex Eustathio hoc legitur. deinde ibidem κύλιξ legitur, & ὅπως atque ἵνα pro ὡς. Ego sensum obseruaui. Extat de Eiresiona etiam Homeri carmen in vita eius apud Herodotum, (si quidē is est autor) & Suidā. Cur verò εἰρεσιώνην verterim *frondem lemniscatam*, facilè intelligunt eruditi.

1,16, a. *Astu & vrbem Athenas appellauit*] Sic Cicero 11 De legibus, Atticos Theseus migrare ex agris, & in astu quod appellatur, omnes se conferre iussit. Et Terentius in Eunucho, An ille in astu venit? de Chærea, qui ex Piræeo se in vrbem contulisset.

1,17, c. *Tanto spatio quantum nauis theoridis expansum humi velum occupasset*] Θεωρίδος νεὼς ego hic quasi ad verbum verti, *Nauis qua spectatum venirent*. Est autem Theoris nauis publica Atheniensium, vt paralus, vt Salaminia, de quibus alibi. Hanc autem quotannis solebant Delphos mittere ex voto Thesei, qui ea in Cretā vectus reuectúsque fuerat: eáq; missa, dum rediret, quasi iustitium Athenis erat. de qua re legatur initium Phædonis Platonici, Suidas, interpres AEschyli ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας, alii. Inde videtur dictus θεωρὸς, qua voce in Camillo est & Demetrio & alibi vsus Plutarchus. Cæterùm ex hoc loco apparet, nauim theorida non Delphos modò, sed & aliò publicè ad spectacula & sacrificia mitti consueuisse.

1,18, d. *Apollini*] Aliqui legunt Panori. Cr.

1,19, c. *Vbi est rhomboides*] ὅπου τὸ ῥομβοειδές. figura est parallelis, sed non omnibus æqualibus lineis, angulísque non rectis contēta quadrilatera. Sed cuius rei figura sit, sepulcrine an alius, an verò proprium hîc sit nomen, in Græco non exprimitur. itaque sic reliquimus.

Ibid. d. *Theseidis*] poema de Theseo.

1,20, c. *Sub Cadmea*] Id est, arce Thebana. quod satis est notū, cùm ex aliis tum ex AEmil. Probo.

Ibidem d. *Eleutheris*] Oppidum est Atticæ, quod versus Bœotiam pro limite aliquando fuit. Pausan. Atticis.

1,22, a. *Venerunt ambo Theseus & Pirithous Spartam*] In Græco est simpliciter ἦλθον μὲν εἰς Σπάρτην ἀμφότεροι: ita vt videātur quædam hîc deesse. nulla enim Pirithoi & Thesei præcessit mētio: de quibus tamen autorem loqui, sequentia indicant.

Ibid. b. *Qui vxori Persephone nomen indiderat*] In Græco ita omnino est vti ego reddidi. Lapus tritam (vt opinor) fabulam potius sequendam ratus, reginam Cereris nomine, filiam Proserpinam edidit: idémque est apud Amiotū. Alioquin *Aidoneus* Pluto Græcis

est, cui non Cererem, sed huius filiam Proserpinam, raptam ab eo, coniugem fuisse fabulæ loquuntur. Atque de hoc etiam illis conuenit, Peirithoum non ad filiam Proserpinæ, sed ipsammet Plutonis coniugem rapiendam auxiliatore Theseo profectũ. Plutarchus ergo alios autores, qui mythologiã tradiderint, sequutus videtur. Res non est summi momenti: fuit tamen notanda.

Ibid.c. *Menestheus Petei*] In Gr. est ὁ Πετεῶς. quem libri errorem sequutus Lapus, vertit, *Menestheus Petensis*. Sed scribendum ὁ Πετεῶ, notum est vel ex illo Homerico Iliad.β, -υἱὸς Πετεῶο Μενεσθεύς. Meminitque eodem modo in Corinth. Pausanias.

1,23, c. *Matrem eius & Aphidnas*] Malè in Græco Ἀθήνας pro Ἀφίδνας.

Ibid.d. *Anaces*] vide Cic. lib. 3, De nat. d. Cr.

1,24,1. *Clymenémque venustã*] Locus est Iliad. 3. Vide quæ ibi annotauit Scholiastes, & Calabrũ lib. 14. De Munito multa sunt apud Lycophronẽ. nã Munitũ ille vocat Μούνιτον. Quo loco quàm & arroganter & stultè (vt sæpenumerò) doctissimũ poetam interpres Tzetzes, nescio quarum argutiarum ostentandarum gratia, insectetur, suíque oblitum nugetur, ostendam (Deo volente) in Variis meis aliquando lectionibus.

Ibid. d. *Quum comperisset, eos præterquam quòd se odissent, insuper timorem abiecisse sui*] In Græco legitur, ὡς μὲν ἀπῆλιπε μισοῦντας αὐτὸν, εὗρίσκων τοῦ μὴ φοβεῖσθαι τὸ μισεῖν προσειληφότας. Lapus ita vertit vt haud dubiè legerit, οὐς μὲν ἀπῆλιπε, μισοῦντας αὐτὸν εὗρίσκων, τοῦ μὴ φοβεῖσθαι &c. Neutram lectionem cur probem, aperiam. Lapi eò locum non habet, quòd neque omnes quos reliquerat Athenis Theseus, ipsum oderãt: & qui antè odissent, tum demum adducto in contemptum Theseo, etiam non metuebant. Tacitum enim odium contemptui aperto anteire & manifestæ inimicitiæ solet: non contrà. Quare ne nostri quidẽ codicis lectio cõstat: sed ita est emendanda, οὓς μὲν ἀπῆλιπε μισοῦντας αὐτὸν, εὗρίσκων τὸ μὴ φοβεῖσθαι τοῦ μισεῖν προσειληφότας. Hoc vt ita esse intelligas, considera illam vocem tyrannorum, *Oderint dum metuãt*. Estque sapienter dictum à Diodoro Siculo lib. 18: τὸ γὰρ ἐν ταῖς εὐτυχίαις σιωπώμενον μῖσος, ὅταν ἐν μεταβολῆς ἐν ταῖς ἀτυχίαις ἐκραγῇ ταῖς ὀργαῖς, ἀποσημειοῦται πρὸς τοὺς μισουμένους. Qui, inquit, reb^9 vtentem secundis aliquem tacitè oderunt: si eius fortuna in aduersam mutata indignatio hæc erumpat, planè aduersum eos qui odio sunt ipsis efferantur. Sed hæc satis.

## IN PLVT. ROMVLVM ANNOTATIONES Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

1,28,b. *Fabius pictor*] Fabii Pictoris extat fragmentum, & Catonis. Vide etiam Dionys. Halicarn. & T. Liuium. Cr.

1,29,a. *Cermanus*] Apud Varronem lib. 4 De ling. Lat. & apud Sex. Pompeiũ Festum, Cermalus legitur: quos vide.

Ibidem. *Vel quia pecora ruminantia illic captabant vmbrã*] Ἐνδιάζειν, non ἐνδιαζόντων, scribe. Est autē ἐνδιάζειν propriè *Meridiari*, seu *Interdiu dormire*, aut, *Quieti se dare*. Sic & in Lucullo, μεσημβρίας οὔσης, καὶ τῶν στρατιωτῶν ἐνδιαζόντων καὶ ἀναπαυομένων. Eustathius in 4 Vlyss. ad versum de Proteo, Ἔνδιος δ' ὁ γέρων, ait ἔνδια vocari ab Oppiano διατριβὰς ὑπαιθρίους, nimirum diatribas sub dio.

Ibidem d. *Hic Larentiam complexus est ac dilexit*] Οὗτος ἔγνω τὴν Λαρεντίαν. Verbum γινώσκειν pro *Rem habere*, seu *Corpus miscere*, sumitur, quemadmodum & in sacris literis. Sic Plutarchus sæpe loquitur. vt in Pompeio, παλλακίδας Μιθριδάτου οὐκ ἔγνω. & in Bruto, τὴν Σερβιλίαν ἐγνώκει Καῖσαρ. & De mulierū virtutibus, γυναῖκα ἐγνωσμένην ἀφ' ὥρας ζῶντι τῷ Γαλάτῃ. & initio Eumenis, de Barsina ab Alexandro habita. & in Galba, de matre Nymphidii. Latini eodem modo vsurparunt verbum *Cognoscere*. Ouid. lib. 4 Metam. de Cadmo: *- ille sua lambebat coniugis ora, Inque sinus charos, veluti cognosceret, ibat.* Et Iulius Cæsar simili modo loquutus est de Germanis lib. 6 Comment. belli Gallici: Intra annum vigesimum fœminæ notitiam habuisse, in turpissimis habent rebus. Cæterùm Larentiæ eadem historia est apud Plutarchū, Quæst. Rom. 35. & apud Macrob. lib. 1 Saturnal.

1, 30, a. *Traiectum velaturam vocant*] *Velaturam facere* dicuntur qui mercede vehunt: & *Velabrum*, quòd ibi vehantur lintribus. ex Varronis lib. 4 De ling. Lat. De velabro vide & Liu. Dec. 3, l. 7.

1, 32, b. *Alueum se ad Iliam ferre*] Αὐτὸς δὲ τοῦτο πρὸς τὴν Ἰλίαν. Satis ex ipso sensu liquet, neutri generis demōstratiuū pronomen absolutè positum, τὴν σκάφην alueum indicare: vt cogitare non habeam quid Lapo, quū hæc peruerteret, in mentem venerit.

1, 34, a. *Herodorus Ponticus*] In Græco est Ἡρόδοτος. quod vitium sequutus vterque interpres, Herodotum extulit: quum sit Herodorus, cuius etiam in Theseo mentio facta est, Ἡρόδωρος. Fuit autem ex Pontica Heraclea: vnde apud Athenæum lib. 11 Heracleotes citatur. Quin & apud Plutarchum in Rom. quæst. X C I I I, vbi iisdem hæc ferè verbis referuntur, Ἡρόδωρος rectè legitur.

1, 35, b. *Palilia vocabant*] Horum, sicut & rituū condendæ vrbis, est venustissima descriptio apud Ouid. I I I I Fastorū, & Propertiū lib. 4, elegia prima & quarta. Certè Dionysius Halicarn. παρεντάλια appellare videtur sub finem primi libri.

Ibid. c. *Familiaris erat Tarutius*] Cicero 2 De diuinatione, L. quidem Tarutius Firmanus, familiaris noster, &c. Vide locum.

1, 37, a. *Testimonii aduersus patronum clienti, vel patroni aduersus clientem dicendi*] Vide hac de re iudicium C. Marii in prætura ambitus rei, ab ipso Plutarcho in eius vita descriptum.

1, 39, a. *De quibus prolixius in Quæstionibus diximus*] ἐν τοῖς αἰτίοις. Librum Plutarchi intelligo qui adhuc extat sub titulo Κεφαλαίων καταγραφή, quo explicatio problematum seu quæstionum cōtinetur. ibi in Romanis quæstionibus & hæc & alia id genus multa pertractantur. Faciunt hæc plurimùm ad intelligēdos cùm alios, tum Lucani locum libro secundo, de Catonis & Marciæ posteriori-

bus nuptiis, hoc initio: *Tarritáque premens frontem matrona corona, Translata uetuit contingere limina planta.*

Ibidem c. *Ceninensium rex Acro*] Κενινητῶν. Magna est varietas in plerisque propriis vocabulis Græcis & Latinis. Infrà in Marcello Κανινητῶν legitur. Et Stephanum noui Καρίνlω scribere, per αι diphthongum: itemque Plinii m. vt & Propertiꝰ lib. 4. primā produxit, hanc ipsam historiam describens: *Acron Herculeus Cenina ductor ab arce.* Liuiani libri variant. Apud Dionysiū lib. 2 perperam scribitur Κανιτιῷ, pro Κενινήτῃ. Apud Suidam etiam Κενινήτης per ε.

1, 40, c. *Romulum fallitur Dionysius*] Halicarnassēum notat Dionysium, cuius hæc sunt verba lib. Ῥωμ. ἀρχαιολ. secundo: τὸ δὲ τρόπος δὲ τῆς πομπῆς αὐτὸς (Romulus) ἐπορεύετο ἐσθῆτα μὲν ἠμφιεσμένος ἁλουργῆ, δάφνῃ δὲ κατεστεμμένος τὰς κόμας· καὶ, ἵνα τὸ βασιλεῖον ἀξίωμα σώζῃ, τεθρίππῳ παρεμβεβηκώς.

1, 41, a. *Neque de Rhymitalce Thrace Cæsar*] Augustum intellige. Vide Plutarchum sub finem Apophth. Porrò variè is Rhymitalces Græcis & Latinis scribitur: non summo tamē historiæ momento.

Ibidem d. *Istam non Boii*] Τlὼ δ' οὔτ' Ἀρζέιοι τε. Scribendum est ἄρ Βοῖοί τε. Boios enim Gallos fuisse nemo ferè ignorat: Arbœos Gallos inuenio nullos. Pro χερμεῖσι, malim χερμάδιlω.

1, 44, c. *Ex Auentino*] In Græco est Loentino. Annotator in versiōne Lapi apposuit, *Puto ab Auētino.* hoc videtur sequutus Amiotus. iudicent periti.

1, 45, a. *Romulus ab illo est scuta mutuatus*] Θυρεοῖς. & vbi verti *Clypeis*, ἀσπίδας. Videtur autem Θυρεὸς maior esse quàm sit ἀσπίς: hoc est, scuto clypeus minor. Itaq; scutum vsurpabant postea tēporis qui loricam non ferebant. Argolicum sane clypeum non fuisse magnum, ex Virgilio apparet: qui oculum Cyclopis ei comparat, 3 Aeneidos, *Argolici clypei aut Phœbeæ lampadis instar.* Quod posterius est ex opinione vulgi dictum & eorum qui solem sesquipedalē putarunt. Cæterùm Liuius lib. 1, de armatura secundæ classis loquens, scutū ait eis pro clypeo datū. Dionys. lib. 4 hoc ipsum describens, ἀντὶ τῶν ἀσπίδων αἱ δῶκε θυρεούς. His ex verbis eorum quæ dixi ratio constat.

1, 46, a. *Pulsare oblatos*] Versus sunt Butæ: quod miror neutrum interpretum sensisse, eóque elegantiam loci ab iis interuersam.

Ibid. d. *Vel subdito partu*] In Græco est, κλειδῶν ὑποβολῇ. Id quum suspectum esset Lapo, his verbis expressisse satis habuit, *clam furtimque marito.* & hæc ad adulterium retulit. Amiotus claues adulterinas intellexit. Ego qui ni semper mendum esse in verbo κλειδῶν putarem, ea maximè ducebar coniectura, vel potius argumento, non esse simile vero, in legibus de matrimonio latis, de falsis aut occultis clauibꝰ agi, præsertim ita vt inter veneficium & adulterium id crimen medio loco referretur. Ergo παίδων legēdum censeo, vt cùm veneficium prohiberetur, tum ne qua alienam sobolem pro sua supponeret, atque ita decepto marito genus stirpemque vitiaret. Rectène ita cēseam, viderint docti, quorum iudicium facio. mihi quidem, ne causa ca-

dam, haud valde metuo. Certè βρέφη ὑποβολιμαῖα vocari subdititios liberos, satis est notum.

1,49, b. *Quod septimagium, id est septimam portionem, vocant*] ἣν Σεπτεμάγιον καλοῦσιν, ὅπερ ἐστὶν ἑπταμόριον. Dionysius rectius videtur τοὺς καλουμένους ἑπτὰ πάγους dicere, septem pagos, (vel septempagium) quos & Porsena Etruscus reposcebat, vt lib. 5 Dionysius perspicuè docet. Cæterùm quod apud Dionysium sequitur, καὶ τῶν ἄλλων ἀποστῆναι τῶν παρὰ ταῖς ἐμβολαῖς τοῦ ποταμοῦ, (libet enim obiter hoc monere) ex hoc loco Plutarchi vitiosum esse intellexi, emacularíque locum posse, si legatur, καὶ τῶν ἁλῶν, &c. Plutarchus ἁλοπηγίων expresśius habet. Error librarii is fuit, vt facilè admitti potuerit.

1,50, a. *Ac magistratum supremum Albanis quotannis crearet*] In Græco est Σαβίνοις, quod non video quomodo locum posśit habere. Ἀλβανοῖς lege.

1,52, a. *Aristea Proconnesio*] Προκοννησίου. Legẽdum Πρ. Insula est Propontidis Proconnesus. Lapus Aristeum protulit, sequutus (vt opinor) mendosam Plinii lectionem, qui huius similem rem de eo narrat lib. VII Histor. nat. capite LII. Vide Herodotum in Thalia, ex quo Plutarchus historiam hanc videtur decerpsisse, (ibi quoq; Ἀριστέης Προκοννήσιος dicitur) & Suidam. Meminit Gellius 9, 4. De Cleomede lege Eliacorũ posteriorem apud Pausaniam. Fabula eius, de Sampsone sacro videtur, vt multæ aliæ, imitata.

Ibid. d. *Omnium corpus teneatur morte pallida*] Locus hic Pindari non extat in iis quas hodie eius habemus reliquiis. Ipse trochaicis versibus trimetris hypercatalecticis expresśit illos versus. Non sum adeò inscius eorum quæ ad considerãdos Græcos versus attinent: scio quæ ab Hephæstione & Triclinio, aliisq; ad eam rem tractandam sint subministrata adiumenta. Sed quòd versus in Græco textu non sunt distincti, & variè possunt cùm distingui tum scandi, vt aliud subinde atq; aliud genus carminis præ se ferant: curioso & (ferè dixerim) inutili labori supersedere volui cùm hîc tum alibi, & mea vti libertate. Lectoris est gratiam nobis huius vel licentiæ, vel (si ita vult vocare) ignauiæ facere, alioquin satis magno laboris pondere grauatis.

1,53, b. *Vt Marcũ Cneum, Caiũ*] Xyl. *Veluti Marci ac Caii*: annotátque, *Marcelli* est in Græco, apud Lapum & Amiotum. Sed mihi nequaquam placuit: qui intelligerem hîc prænomina intelligi, quæ omnium sunt apud vulgus, & in huiusmodi præsertim concursu, vsitatisśima. neque verò tam multi erant Marcelli quàm Marci, nedum isto tempore, sed ne aliàs quidem. Verùm in re aperta quid verba facio? Si cui tamen Marcelli pertinaciter placebunt, (nam incuria, non consilio, retentes ab interpretibus iudico) non impedio quin suum sequatur ingenium, modò meminerit, in vita Camilli, vbi ea quæ de Tutola sequitur fabula, repetitur, Marcos rectisśimè legi, cum Caiis & Luciis. Historia hæc refertur etiam in Saturnal. Macrobii libro primo cap. 11.

1,54, b. *Et ad Capræ paludem tanquam ad mare pergant*] ὡς ἐπὶ θάλατταν. Quid hoc sibi velit, sanè (vt fatear verũ) excogitare nõdum potui. ὡς ἐπὶ θυσίᾳ si fuisset, habuissem quæ dicerem. iudicent

hoc acutiores. Amiotus hæc verba accepit quasi Capræ palus versus mare sita intelligatur. quod an sensum dignum autore exprimat, nesc o.X. Cruserius quoque plane legendum censet, *Vt ad sacrificium*, quòd id priori narrationi sit congruens.

IN COMPARATIONEM.

1,54, e. *Illud Platonis profectò*] Locus est in Phædonis secundæ paginæ fine, vbi Socrates Simmiæ ostendit, metu malorū omnes homines, exceptis philosophis, fortes esse.

1,55,b. *Vnde mihi quidem haud perperam videntur philosophi amorem definire*] Est & hoc apud Platonem in Symposio.

1,56,a. *Nemo ignoscat mentem ei subitò tantopere fuisse cōmotam*] Hunc locum Lapus peruertit planè, neque sensum & verba sequētia considerauit.

1,57,c. *Quippe annis triginta & ducentis*] Quid de hoc numero statuam, ambigo. nisi fortè dissensisse ab alius plerisque autoribus Plutarchus est putandus, In re ita illustri atque insigni: quomodo etiam de ætate qua vixerit Theseus, vt suprà retuli. Ne ausim mēdum dicere, facit quòd iisdem ferè literis in comparatione Numæ cum Lycurgo repetitur: & tamen mendum suspicor. Nam Dionysius Halicarnass. grauis & diligentissimus autor, lib. 2, ait hoc factū Olympiade CXXXVII, M. Pōponio, C. Papirio Coss. id est, V. C. anno DXXIII, vt nos & alii ferè numerant. quem annum Gellius numerans, alios nominat Coss. lib. 4, cap. 3: & lib. 19, capite vltimo, alium annum, si non fallit codex. Maximæ autoritatis scriptor Tertullianus περὶ μονογαμίας, & in Apologetico, affirmat, sexcentis propè post Romam conditam annis Sp. Caruilium cum vxore diuortium fecisse. Certè trecentis propè annis ab aliis Plutarchi numerus distat. X. Val. Max. (vt annotat Cruf.) habet *Viginti & quingentis*. Idem Val. l. 2, c. 1, habet *Cabillium*.

## IN PLVT. LYCVRGVM ANnotationes Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

QVO tempore vixerit Lycurgus, si quis disputatū & explicatum accuratius legere desiderat, Clementis Alexādrini primum Stromateωn librum consulat. Huc enim nos transferre quæ copiosè ab eo variis ex autoribus sunt collecta, breuitatis studium non finebat.

1,65,d. *Præterea tribuit ei Xenophon vetustatis opinionem*] Locus est in libello De Lacedæmoniorū republica. Is libellus lectus, multum lucis huic adferet.

Ibidem, *Heraclidas*] De Heraclidis multa sunt passim apud Græcos, apud Pausaniam in Laconicis, & alibi, atque etiā apud Herodotum non vno loco. inde peti malo quàm huc infarcire. Et Clemens multa atque docta habet eo quem indicaui loco. Breuiter autē & luculentè res tota est à Diodoro Siculo perscripta atque explicata, lib. 4. Ad eū te remitto. Plutarchus in Solone, ab Hercule vndecimum fuisse Lycurgum scribit: vt & hîc ex Eurychida.

1,66,b. *Fama est Sonm, quum in loco aspero & arido circumsideretur a Catoriis*] Iisdem plane verbis hoc refertur in Apophthegmatis Plutarchi Laconicis. Sed ibi accusatiuus Σόον, siue Σῶον, vt ibi scriptum est, perperã cũ præcedentibus cõnexus est, vt ex hoc loco satis manifestò apparet. Quæ res interpretem quoque Raphaelem Regium in errorem impulit, virum alioqui doctissimum. Itaq; post Sœoidæ (pro quo scribendum potius Phœbidæ, vt apud eundẽ Plut. in Pelopida reperimus, & in Agesilao: quanquam hic reclamante serie alphabetica) illud apophthegma, πολλοῦ τὴν ἡμέραν ἀξίαν ἦν, δυναμένην τὴν ἀγαθὸν δεῖξαι, interpungendum est, spatioque aliquato interposito subiũgendum hoc nouum Soi apophthegma, Σόον λέγεται ἐν χωρ. & quæ sequuntur. Huius generis erratorum, & quidem multo grauiorum, aliquot sunt in Græco centuriæ, in Plutarchi opusculis quæ Moralia inscribũtur & vocantur: interpretũ verò oscitãtiæ & crassæ ignorantiæ, myriades multæ. hic ἀφύσιν erat, pro ἀφῆσιν.

Ibid.c. *Eurytionidas*] Pausanias, accuratus in primis atque fide dignus scriptor, libro tertio, qui de rebus Laconicis est, vbi vtriusque familiæ reges enumerat, Eurypontidas hos vocat, (Εὐρυπωντίδας) & filiũ Soi Eurypontã, (Εὐρυπῶντα Σόου υἱὸν) atque ita constanter legitur. Herodotus quoque in Vrania, Leotychidæ genus recensens, eum de quo quærimus, Εὐρυφῶντα vocat: sicque etiam in Agidino est libro. Etiã infrà in Lysandro Εὐρυπωντίδαι dicuntur: sed vitio librarii, vt quidem existimo. Nam mihi Eurytion cum alias magis probatur, in Plutarchi saltem loco hoc & aliis: (vt paulo antè in comparatione Pompeii cum Agesilao, initio Agidis, &c. Potest enim fieri vt ab illis dissenserit, aliosque sequutus sit autores) tum ratione declinationis, & obliquorum casuum moueor. dixisset enim Εὐρυπῶντα: sed legitur hic Εὐρυτίωνα, & in Agide est Εὐρυτιωνίδης, quũ fuisset scribendum Εὐρυπωντίδης. alioquin τῶ π & τ scriptio est admodum affinis, sed accentus & vltima syllaba vocabuli me mouent. Porrò idem (vt hoc lectoris gratia addam) Eunomum Prytanidis F. Eurypontis N. facit.

1,67,b. *Nomen dedit Charilao*]. Herodotus lib.1, eadem indicans, vocat hunc Leoboten, Λαβώτην. Eũmque locum citans Pausanias quo dixi libro, ostendit Labotam Echestrati F. (Λαβώτου τοῦ Ἐχεστράτου) aliis dictum: sed ipse dissentit haud dubiè, & Chariliũ Polydectæ filium disertè pòst paulo nominat, Χάριλλον. Dionysius Halic. libro 2 Antiq. Roman. ex Sabinorum historiis Eunomum appellat. καθ' ὃν (inquit) χρόνον ἔτι ἐπιτρόπων Εὔνομον τὸν ἀδελφιδοῦν, Λυκοῦργος, ἔθετο τῇ Σπάρτῃ νόμους.

1,69,b. *Regressus domũ est cum celebrato illo oraculo*] Ab Herodoto ibidem refertur ad verbum.

Ibid.d. *Chalciœcon*] AEdẽ Mineruæ fuisse constat. Suidas ita dictam, vel quòd ærea (aut verius ærata) esset, vel à Chalcidensibus Eubœensibus condita, scribit. Liuius lib.35, templum esse Mineruæ æreum scribit: idémque Pausanias. Mẽtio eius crebra & nobilis passim. vt & apud AEmil.Prob. in Pausania, In æde Mineruæ quæ Chalciœcus vocatur, confugit.

Ibid. *Quod ferunt eius colle-*

*gam in regno Archelaum*] Pausanias expressè hunc Agesilaum nominat. Lapus Archesilaum legit: & pro Arithmiada, Artemidã. In libello De discrimine amici & adulatoris, contrario sensu hoc de Charilao iudicium legitur: nimirum non dignũ eum laude & boni viri titulo esse qui ne malis quidem durum se præbeat. Atque ita etiam in Laconicis Apophth. legitur, nisi quòd ibi Archidamidæ adscribitur.

Ibidem, *Quē ait Plato*] Locus est lib.3 De legibus.

1,70,b. *Sphærus totidem ab initio, &c.*] Haud scio isne sit quem in vita Cleomenis Sphærum Borysthenitem, Zenonis Citiensis discipulum, Cleomenísque in philosophia præceptorem fuisse scribit. Quæ ad numeri proprietatem attinent, in Arithmeticis traduntur.

Ibidem, *Ioni Sillanio*] In hac rhetra vertenda quædam Græca reliqui, quæ quid sint non intelligebam. vt est illud Gamodân & goriân.

1,71,b. *Vt ait Plato*] Eo quem dixi libro.

1,73,b. *Et poculum Lacedæmonicum quod cothon dicebatur*] Κώθων, poculum figlinum exiguum atque sinuosum. Describitur venustè apud Athenæum lib.11. vbi itidem affertur Critiæ testimonium. Aliquando ponitur pro potu & compotatione: quomodo & κωθωνίζεσθαι verbum. Sic κώθωνος vocabulo vsus est autor noster in Pyrrho, vt ibi admonui. & in Timoleōte est, περὶ κώθωνα διατρίβειν, Potare: & in Anton. Quid ἄμβων sit, ex AElio Dionysio Eustathius 9 Odysseæ docet. Ego ita verti vt congruere maximè huc putaui.

1,75,b. *Nam ei qui sacrificasset vel venatus esset*] ὅπως ἂν κατηγῶν ἐψίσειε. Lapus & Amiotus retardatum intelligunt: quasi si ὀψίσοιτο legissent: quæ sanè vox in Lexicis reperitur, alibi legisse non succurrit. ἐψίσοιτο quidem nō quadrat.

1,76,a. *Fama est quendam regem Ponti*] Id factum à Dionysio tyranno refert Cic. 5 Tusc. quæst. & in Apophth. Laconicis idem est: vt in voce ποντικῶν videatur esse mendum.

1,77,c. *Vt vult Aristoteles*] Polit. 7, c.17. Cr.

1,78,b. *Vt ait Plato*] lib.5 De repub. Geometrica autem necessitas, est vis illa demonstrationum quæ in Mathematicis ita ex primis veris necessariisque propositionibus construuntur, vt ii rectè non persuadere, sed cogere apud Ciceronem dicantur.

1,80,d. *Vt autor est Plato*] Tibi verò, Alcibiade, Pericles seruorũ deterrimum Zopyrum Thracem pædagogum præfecit. Socrates apud Platonem in Alcibiade priore. Nutricis nomē hic deprauatè Ἀμύκλα, rectè initio Alcibiadis Ἀμύκλα legitur.

1,81,c. *Per brumā lycophonas, quos vocant, substernebant*] λυκόφονας. Apud Hesychium & Varinum λυκόφανον accusandi casu legitur. aitque ille, lingua Messeniorum ita appellari τὸν ἐχινόποδα. Echinopus autem ab hoc exponitur gen⁹ spinæ, seu cardui. In Institut. Lacon. pro hoc λυκόφονας scriptũ λυκοφόνας. p.422, hui⁹ ed.

1,82,a. *Mellirenas*] Μελλείρενας enim duplici λ legi, παρὰ τὸ μέλλω. tametsi Suidas quoque vno λ videatur scribere: vt Doricè forτasis extritum alterum λ suspicari possimus. Plutarchus in libello An seni gerēda resp. scribit, apud

Ephesios moris fuisse vt sacerdos Dianæ primo anno *μελλίρην*, secundo *ἱέρην*, tertio *παρίρην* diceretur. quod institutum ab hoc non valde abludit, vt & Vestalium.

Ibid. d. *In ara Dianæ Orthiæ*] Lapus vertit, *ad arã Augurii*. Est enim sequutus mendum Græci libri qui *ὀρνιθείας* habet: quum sit legendum haud dubiè *ὀρθίας*. De Dianæ enim Orthiæ loquitur ara, ad quam flagris cõcidi pueros instituto Lycurgi consueuisse, locuples testis est in Laconicis Pausanias: simúlque causam eius instituti aliam quàm vel Cic. libro 2 Tusc.quæst. vel Lucianus ad finẽ Anacharsidis, vel ipse Plutarchus indicet, refert: quam breuitati studens, ex eo te, si lubeat, petere iubeo. aliam etiam in Aristidis vita noster refert. Suprà quoque mentio facta est huius Orthiæ Dianæ, in Theseo: necnon in Institut. Lacon. p. 426, huius edit.

1,84,a. *In quibus manus non tollitur*] Xyland. vertit, *In quibus victoria non potest prodi*: & super hoc annotat, *χεὶρ οὐκ ἀνατείνεται*, id est *manus non intenditur*. Obscurũ est hoc. Causa in Laconicis apophth. subiungitur, Vt ne quis labori succumbere adsuefeat. Videtur ergo cauisse ne herbam (quod aiunt) quisquam porrigeret in certando: sed alia ratione certamen dirimeretur. Tale est quod Lucianus dicto libro refert, de pueris in duas partes diuisis, inque loco aqua circumdato pugnantibus, tantisper dum vna pars alteram vsque in aquam compelleret, eo enim pacto nullum porrò percutere, aut ferire. Latini sanè *Manus dare* dicunt pro eo quod est Victum se fateri. Cicero etiã *Manum tollo* dixit: id quod nos hic *χεῖρα ἀνατείνειν* dici putamus: in libro De consolatione, quũ morte Tulliolæ suæ à fortuna superatum se fatens, Cedo, inquit, en manum tollo. Locus est apud Lactantium lib. 3, cap. 28. Similiter Virg. 12 AEneid. *-vicisti: & victũ tendere* (*τείνειν* hoc quidẽ est) *palmas Ausonii videre*. Neque affirmo me rẽ acu tetigisse. quod in mentem venit, attuli, *καὶ ἐπέχω*.

Ibidem, *Alter non aue & plus possidere altero*] *Μὴ μᾶσσον ἀπέχειν θατέρου ἑτέρου ἐκτῆσθαι*. *θατέρου* genitiuo casu lego, *ι* non subscripto. In Apophth. Lac. p. 46, *πλουτοῖ ἤτι*. vt & hic legi posit *μᾶσσον ἤτι* pro *μᾶσσον τι*. Ibidem *ἱεσείνῃ* pro *ἐκτῆσθαι*. Quorum neutrum quadrat. forsan legendum *ἱερατίῃ* aut *ἱερατίζῃ*. apud Hes. enim reperio *ἱερατίζειν, ἱερᾶν, ἐπιθυμεῖν*. nisi fortè quis legendum existimet *κρατύνῃ*. In iisdẽ Apophth. habetur *αἰδῆσαι* pro *αἰδεῖσθαι*: rectius.

1,85,a. *Ille quem hortabantur vt audiret quendam qui cantum &c.*] Agesilao in vita eius Plutarchus hoc tribuit: proximum Antigono, in Apophth. Laconicis.

Ibidem d. *Nos fortitudine plurimum præstabimus*] *πολλῶν*, quum debeat esse *πολλῷ*: quod & sensus requirit, & ita legitur in Laconicis apophth. Lapus mendum retinuit. Rhythmi embaterii meminit Iliad. ο Eustathius.

1,92,a. *Spendontis*] *Σπένδοντος*. *Spendontis* habet Lapus. *τὰς δὲ δεσποσύνας* autem, *dominos* verto: vt *dominium* pro domino positum *μετωνυμικῶς* intelligatur, sicut *φιλότης* apud Lucianum & alios pro amico dicitur. Domini autem heilotibus interdixerant carminum Terpandri & aliorum vsu, re maximè apud illos habita liberali. Erasmus in Apophth. Lacænarum *δεσποσύνας* *filias heriles* vertit, cõcaptiuas scilicet, quarum

illi autoritatem pluris quàm iussum victoris fecerint. Quod commētum non cum vocabulo modò, (nā δεσπόσυνος Verna est,seu Domi heri sui educatus seruus, teste Eustathio in Iliad.λ: vnde fœmininum δεσποσύνη, fuerit Serua, non Filia herilis: tametsi idem Il. γ,adiectiuè poni hoc modo neget) sed & sententia Plutarchi pugnat, ostendentis Musica,re apprimè liberali,interdictum seruis fuisse. Ideò capti non poterant eos versus cantare,quos vt discerent,à dominis eis non fuerat concessum. Cæterum locus qui de Heilotibus necatis paulo antè ex Thucydide citatur, extat libro quarto, vbi de Brasida in Chalcidicam emisso disserit.

1,92,a. *Secundum magnum illum terræmotum*] Hunc, & bellum ab Heilotibus vnà cum Messeniis cōtra Lacedæmonios gestum, describit Diodorus Siculus libro II. vide & Plutarchū in Cimone.

1,93,b. *Vsque ad Agidem Archidami filium*] Is cum Pausania rex fuit quo tēpore Lysander Atheniensibus victis, eos ad pacis duras cōditiones accipiendas compulit,& bellum Peloponnesiacum confecit. vide vitam Lysandri,& Pausaniam. Alius fuit Agis cuius vitam Plutarchus scripsit.

Ibid.c. *Per Alexandrum, vel potius Lysandrum*] Quis hîc Alexander dicatur, (si modò menda locus vacat) nescio: de Lysandro constat. Fortassis Cleandridem notat,qui se à Pericle est passus corrumpi, & Plistonacti persuasit vt ex Attica exercit.m abduceret. Plutarchus Pericle,& alii. Fuit autem is Plistonax pater Pausaniæ regis,quem modò nominaui. Sed hæc est coniectura:non tamen forte omnino vana.

# IN PLVT. NVMAM ANNOtationes Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

1,96,b. *Atque ab Numæ seculo quinque fermè remotum ætatibus*] Pythagoram philosophum Numa permultis annis posteriorem fuisse,duobúsque adeò propè seculis(hoc est,annis ducentis)testatur libro 2 De oratore Tullius: idémque in præfatione quarti libri Tusc.quæst. ait,Pythagoram in Italia tum fuisse quum L.Brutus reges profligauit:quod non dissentit ab eo quod Pythagoram Liuius ait regnāte Seruio Tullo primùm in Italiam venisse. Dionysius hoc idem ratione olympiadum demonstrans libro 2,quatuor ætatibus eū Numa posteriorem fuisse,non rotundo tamen numero,colligit. Plutarchus hîc quinque ætates facit, πέντε γενεάς inquiens. Videtur autem innuere, id quod inter regni Numæ initium,& aduentum in Italiam Pythagoræ, qui sub Seruio Tullo fuit,tempus intercidit, annorū circiter c L,vt Ætas(γενεά) triginta annorum intelligatur,quo modo non Homerici tantùm Nestoris tres illæ γενεαὶ lib. 1 Iliadis à Græcis interpretibus exponuntur: atque adeò ab ipso nostro etiam Plutarcho in Catone Censorio,vbi de accusationibus eius refert.(nam Ouidius libro 12 Metamorph. fabulam sectatus est, vbi hæc Nestora

hæc Nestor: ...*uixi Annos bis centum, iam tertia viuitur ætas.* sed & apud Plutarchũ in libro Cur oracula defierint, ostenditur, triginta annos de Heracliti sententia γενεὰν (*ætatem*) esse viri ἡβῶντος, hoc est *uigentis, & iam etiam gignentis.* & quidem huiusmodi τεσσαρακονταετοῦς γενεᾶς meminit etiã Diodorus Siculus prope finem libri 11. Vnde Herodotus non ineleganter centũ annos complexam hominis ætatem, τρεῖς γενεὰς, *tres ætates*, appellauit: βραχύ τι παρεκτείνων τὴν τεσσαρακονταετῆ γενεάν, vt ait Eustathius. Quid autẽ apud Dionysium γενεὰ sit, non est facile affirmare: arbitror tamen annos eum 25 pro eo intelligere. Nam profectò eius quem dixi libri initio, Romam à Latinis conditam dicens decimasexta post excidium Troiæ ætate, ἑκκαιδεκάτῃ γενεᾷ: mox ait, eam anno ab euerso Ilio quadringẽtesimosecundo extructam. Sed hæc satis.

1,97,d. *Comparant inter se centum quinquaginta patres*] πεντήκοντα καὶ ἑκατόν. Equidem non video vt hoc verum sit, vtque consentiat cum eo quod in Romulo dictum est, centum patres de Sabinis centum prioribus istis adscriptos fuisse: quod idẽ est apud Dionysium. nam Liuius interregnum penes c patres fuisse tradit: vt qui Sabinos istos non agnosceret. Dionysius autem ducentis patribus diserte tribuit: quod & hic malim. non enim c L, sed c c, fuerunt etiam ex Plutarchi, vt diximus, sententia.

Ib. *Vt loco Quirini*] Hic de modo interregni cum aliis non consentit, neque satis credo verba non esse deprauata.

1,98, c. *Filius fuit Pomponii*] υἱὸς δὲ Πομπωνίου. Liuius lib. 40, de lapideis Numæ arcis repertis: In altera Numam Pomponium Pomponis F. regem Romanorum sepultũ esse. Dionysius Halicarn. υἱὸν Πομπιλίου Πόμπωνος, κατ' ὄνομα Νομᾶν vocat: Pompilii Pomponis F. nomine Numam. Pomponem Numæ F. infrà refert Plutarchus.

Ibid. d. *Vndecimo calend. Maias*] Sic est & in Romulo. Nec video quid sequutus sit Lapus, x I I I I cal. scribẽs. Quod eni hic πρὸ δέκα μιᾶς dicitur, ibi planius est scriptum πρὸ ἕνδεκα. Est autem non x x, vt Amiotus putauit, sed x x I dies Aprilis. in Romulo x I x extulit idem.

1,99,c. *Phryges de Atte*] Atys hic aliàs, apud Suidam Attis, Ἄττις. apud Lucianum de Dea Syria, scribitur Ἄττης, vnde hic gignẽdi casu Ἄττεω. Ex Ouidio, Catullo, aliis, & hoc Luciani libello, satis de amore eius & Cybeles constat. Notus etiam Endymionis & Lunæ amor est. De Herodoto Bithynorum, nihil succurrit.

1,100,b. *Et defuncto alium deum sepulturam perhibent curasse*] Bacchum nimirum, qui Lacedæmoniorum ducem Athenas obsidentem iussit honorificè funus facere nouæ Sireni, hoc est Sophocli. autor in Atticis Pausanias. Meminit & Plinius 7,29.

1,103,a. *Et ministrum in æde Iouis pubescentem puerum dici Camillum*] Idem est apud Dionysium libro 2, & apud Festum in voce Cumera, atque libro 6, in Flaminius Camillus.

Ibid. b. *Quam vocat æstuãtem ciuitatem Plato*] φλεγμαίνουσαν, lib. De repub. 2.

Ibid. d. *Pythagoram technis captantem*] θήραν ἐπ' ἀνθρώπων. Lapus videtur τύρει legisse: sed lecti-

onem nostram malo.

1,104,a. *Tacitam eam nominauit*] Græcè hoc Plutarchus exponit, σιωπηλὴν ἢ νέαν. Sed hoc posterius puto esse mendosum, & ἐνεὰν legendum, hoc est Mutam. Nihil enim huc νέα, id est Iuuenis aut Recens.

1,104,d. *Ab illo AEmiliam quoque gentem patriciis insertam nomen referunt traxisse*] nimirum vt Mamerci AEmilii dicerentur. Sanè apud Liuium lib.4, mentio fit Mamerci AEmilii, cuius tres ibi dictaturæ referuntur. Et apud Suetonium in Iulio Mamercus AEmilius eius propinquus nominatur. Ita initio libri septimi apud Liuium L. AEmilius consul nominatur, cognomento Mamercus. Alii Mamercinum (vt & alibi) legunt: quod probo. Est & apud Diodorum T. AEmilius Mamercus: aut potius Mamercinus.

1,105,a. *Maxima pars nomen omnium absurdissimum approbant*] Etiam Varrone notat, apud quem hoc est lib.4 De ling. Lat. Lucanus lib.1, à posse & facere dictos Pontifices, innuisse videtur hoc versu, *Pontifices, sacri quibus est permissa potestas.*

Ibid.b. *Ab rege Anco Marcio Numa ex filia nepote*] Ancum Marcium intelligit, quartum regem Romanorum.

Ib.d. *Aristionis tyrannide*] Fuit hoc bello Mithridatico, vt cum aliunde tum ex Sylla Plutarchi intelligitur. quod autem sequitur mentio eiusdem belli, ea mihi ad Vestalem ignem referenda videtur.

Ib. *Succendunt eam scaphiis cauatis in aqu.*] Xyl. vertit, *Eam ad rem instrumentis vtuntur quæ σκαφεῖα nominant. sunt autē excauata in modum turbinis rectanguli.* Atque in hunc locum sic annotat, Meminit Vitruuius lib.9, cap.9, horologii scaphii, quod est hemisphærium excauatum: quod genus hodie etiam vsurpatur. Idem cap.1, lib.8, scapheïon pro vase aliquo rotūdo & cauo posuit. Cæterum turbinis siue coni rectanguli quæ est apud Euclidem libro 11, definitio, occasionem mihi dedit hunc locum ita vertendi. nam Lapus neque perspicuè neque verè extulerat.

1,108,a. *Vsque ad decem*] Sic & Lapus legit. nā perspicuè falsum est in Græco μέχρι τῆς δώδεκα, pro δέκα: quod sequentia verba ostendunt, vt aliorum scriptorum testimonia omittam.

Ibid. *Siquidem pacis Feciales arbitri erant*] Vellem sanè Plutarchum edidisse nobis rationem huius nominis. parum enim de ea constat, præsertim in tāta scriptionis diuersitate. Hic φητιάλιοι vocātur, in Camillo φητιάλεις: in Problematis autē, quæst. 62, φιδιάλιοι leguntur, haud dubia menda. Apud Dionysium φετιάλεις sunt. Latini codices ferè Fœciales, œ diphthongo habent. Varro à fide & faciēdo dictos testatur: à feriendo Festus, quòd pacis faciendæ essent autores. Itaque feciales sine diphthōgo scribo. Cum Plutarcho facit Dionysius. nam Liuius sub Tullo demum Fecialium ministerium retulit. Verba autem quibus vsus fuerit Fecialis in indicendo hosti bello, habes apud Gell. lib. 16, cap.4.

Ib.c. *Fama est*] Liu. libro 5, Cr.

1,109,c. *Eas peltas ancilia ex figura nocāt*] Ouid. Fast. l.3, — *ancile vocat* (f. scutum quod leui versatum leniter aura deciderat) *quòd ab omni parte recisum est, Quémque notes oculis angulus omnis abest.* Cr.

1,112,b. *Locum verò Elicium ab illo appellatum quasi Ilicium, quòd ἱλεως Græce propitium significet*] Xyl. vertit, *Loco nomen inde ilicium fuisse impositum*: Annotatque, Nempe παρὰ τὸ ἵλεως, quod est Propitius. Sanè Elicium Iouem multo aliter Liuius exponit. Et Ouidius Fast. 3, *Elicium* (inquit) *cælo te Iuppiter. vnde minores Nūc quoque te celebrant Eliciūmque uocant.*

Ibid.c. *Siquidem compedes terminos esse, si seruarentur, uiriū &c.*] Xyl. vertit, *Nam intelligebat si quidem à limitum usu sibi caueret, fa-cturum hoc ad suam potentiam firmandam*: & annotat: Lapus perperam, *si obseruaret*, vt & reliqua. Non venit ei in mentem φυλάττεσθαι media voce esse Vitare, Cauere.

1,113,d. *A qua excepit eos qui in matrimonio essent*] In Græco sensum perturbat menda, ὑπεξελομένους, quod ad patres referri debebat vtique. & Lapus eo deceptus, obscure & nullo sensu vertit, *Patribus illos interuertentibus, &c.* & ne indicium quidem factæ à Numa correctionis reliquit. Fuit autem à Plutarcho scriptum ὑπεξελομένου, isque genitiuus ad Numā refertur, quidque is correxerit indicat. Et verò ὑπεξαίρεσις, Exceptio, suprà etiā dicebatur de pontificibus. vt ὑπεξελέσθαι sit Eximiū habere, seu Excipere, nihil minus quam Interuertere: qua de re etiam in Antonino nostro monueram. Atque ipse Plut. in Catone philosopho, de tribunatu pl. eius loquens, perspicue ita vsus est: ἵνα Σιλανὸν ὑπεξελόμενος δι' οἰκειότητα. & in Artoxerxe de eius cum Parysatide lusione, qua Mesabatam eunuchū illa ad cædem traxit.

1,114,a. *Quem Mercidinum uocant Romani*] Μερκιδῖνον. Lapus μαρκηδῖνον videtur legisse. Infra in Cæsaris vita vocatur Mercedonius, μαρκηδόνιος: quæ lectio videtur verior. Sanè Festus quoq; annotauit, Mercedonios dici a soluenda mercede.

1,115,a. *Iunium à tempore anni*] X. vertit, *Iuniū à Iunone*. sicq; annotat: ἀπὸ τῆς ὥρας: Lapus pulchrè, *ab anni tempore*. Maium à maioribus dictum, Iunium à iunioribus, venustè refert Ouid. initio 5, & 6 Fastorum: ne alios autores adducam. Itaque staret lectio ὥρας, quod est Iuuentute aut Iuuenibus: nisi Iunoni cum Hebe de origine mensis disceptanti, videretur autor accedere. Itaq; rectè pro ὥρας legas Ἥρας: præsertim quum Maium à Maia dictum audieris, & ætatum nomina simul ipse seorsim adducat.

1,115,b. *Plantásque expiant eo tempore*] Xylander vertit, *Mortuis parentant*: legendum ducēs θνητοῖς pro φυτοῖς. non enim (inquit) aut plantis vtebantur isto quidem in sacrificio, aut in honorem plantarum quicquam fiebat: quorum alterum Lapo, alterum Amioto placuisse miror.

Ibid.d. *M. Atilio & T. Manlio*] Alii C. Atilium Bulbum vocant. Fuit hoc anno V.C. D X V I I I, post perfectum primum Punicum bellum. Liuius meminit lib. 1, Velleius lib. 2, Orosius l. 4, cap. 12: (qui toto anno clausum Ianum fuisse dicit: Varro l. 4 De lingua Lat. eodem anno & clausum & patefactum) Eutrop. initio tertii, Augustum bis clausisse Ianum, nempe anno D C C X X V, confecto bello Actiaco. & iterum V.C. anno D C C X X I X, subactis Hispanicis & Gallicis populis, propter quos reseratus fuerat, Dion lib. 51.

& 53, docet.

1,116,c. *Quam ille non paucis fe- culis post non dubitauit de rep. pro- ferre*] Locus Platonis est lib.6 De Repub. cuius & libro 1, Epist.1, ad Qu. fratrem meminit Cicero.

1,117,a. *Mamerci Mamercios*] Quod sequitur de regum cognomento, facit locum suspectum & obscurum. De Mamercis AEmiliis supra auditum est. Sed Mamerciam gentem, & quidem cognomento regum, nullam etiamnum legi. Marcios reges fuisse Romæ nobiles scio: an verò hic legédum sit Μαρκίους pro Μαμερκίους, Marcios, non Mamercios, nó satis scio: non enim in promptu dicere est cur à Mamercio statim nomen in Marcia familia mutatum fuerit, quum alioquin tandiu in AEmiliis durauerit. Sane Suetonius ab Anco Marcio genus Marciorum repetit in Cæsare, cap. (vt numerāt) 6. Sed & huius ipsius Anci genus Plut. hic & initio Coriolani à Numa repetit: ita tamen vt huic loco id parum videatur mederi. Hæc ego doctioribus relinquo. Profectò quod statim de Marcii cum Pompilia nuptiis sequitur, huic videtur refragari sententiæ quam de Mamercus in Marcios mutandis protuli: quum quidem id in confesso esse dicat Plutarchus.

1,118,b. *P. Cornelio & M. Bebio*] Historia est apud Liuium lib.40, copiosius descripta. Incidit in annum V.C. DLXXIII. Numam autem anno Romæ octogesimoprimo mortuum constat: quibus si addas quadringétos annos, à Valerio Antiate numeratos, propè centum annis adhuc à summa temporum nostra aberis: vt vel Antiatis calculus (quod vix crediderim) falsissimus sit, vel hic pro τετρακοσίων, Quadringētis, πεντακοσίων, Quingentis, legendum videatur: idque vero propius puto. Nam & apud Plinium lib.13, cap. 13, scriptum est, libros eos inuentos P. Cornelio, L. F. Cethego, M. Bebio Q. F. Tamphilo Coss. ad quos à regno Numæ colliguntur anni DXXXV.

Ibid.d. *Tullus Hostil.*] Vide Val. Max. lib.3, cap.4: & l.9, cap.12. Vide & Virg. AEneid.6. Cr.

1,119,a. *Quo morbo magis ac magis alios infecit, ut fama est, fulmine ictus*] Xyl. vertit, *Confirmauitque eo magis istam de se opinionem. siquidem traditur fulmine percussus conflagrasse.* Annotatque, locum in Græco esse suspectum, & ad diuinandum propositum, ob defectum vocabuli alicuius.

Ibid.d. *Vt Saturnalibus unà cum dominis*] Elegās eius rei mentio est apud Horatium, Satyra septima libri secundi, & infrà in vita Syllæ. Explicatur autem copiosè à Macrob. lib.1 Saturn.

1,121,b. *Quid igitur interest inter hac instituta? &c.*] Locus in Græco est duriusculus, si modò bene habet: & subobscurus. itaque Lapo imposuit.

Ibid.c. *Quæ cum choro iuuenū &c.*] Versus sunt ex Andromache tragœdia: verba Pelei, in Menelaum & Helenam, vxorem eius, Lacedæmoniam, notæ impudicitiæ, grauiter & stomachosé inuehentis. Lapus ἐξερημοῦν, *Euertere*, vertit, quū sit Relinquere: sic & reliqua. Sophoclis versus asterisco notaui: exponam & emendabo vbi inuenero integros. Credo locum totum mutilum esse. Suprà vbi est αἰαπεπλαμβὴν καὶ θῆλυς, facilē cuiuis appareat legendum ἄθηλυς.

# IN PLVT. SOLONEM ANNOtationes Guil.Xylandri & Herm.Cruserii, interpretum.

QVA ætate Solon vixerit, non est obscurum: quum eum cum Crœso colloquutum & noster, & Herodotus libro 1, & alii ostendant. Crœsum autem à Cyro, qui regnum Persarum constituit, debellatum, nemo ferè nesciat. Id autem olympiade LVIII eue nisse, satis ex temporum rationibus constat. & meminit Solinus c. 7 Polyhistoris. Eodem tempore Romæ Ser.Tullus regnabat, quod ex Annalibus liquet. Itaque & Cicero, cui in his rebus plurimum tribui debet, viguisse Solonem Ser.Tullo regnante, in Bruto memoriæ prodidit: & post eum Gellius 17,21. Sanè floruisse Solonem olympiade XLVI, Clemens Alexandrinus lib. 1 Stromat. demonstrat. Apparet autẽ iam ætate prouectiorem cum Crœso colloquutum, vt iuuentus eius à Clemente indicari intelligatur. Itaque quum Suidas vixisse eũ XLVII, & aliorum sententia LVI olympiade dicat, vtrunque commodè acceptum cum veritate consentit.

1,128,a. *Omnes enim vno ore ab Execestide memorãt genitum*] Ἐξηκεσίδου in Græco est, & apud Suidã. Quod moneo propter Lapum, qui (si codex non fallit) diuisẽ *ex Ecestide* legit. Tota quoque periodus de amoribus Solonis & Pisistrati, ab eo est omissa.

Ib. c. *Tum ex eo quod scripsit legem &c.*] Hæc in oratione AEschinis in Timarchũ, eodem modo & allegatur & explicatur.

1,129,b. *Haud magis est diues*] Hi versus habẽt sententiam haud obscuram, quam & Horatius expressit: *Si ventri benè, si lateri est, pedibúsque tuis, nil Diuitiæ poterunt regales addere maius.*

Postremum distichon est obscurum, & si rem acu non tetigi, veniam oro. Nam Lapo etiam ignoscẽdum hîc arbitror. Dictum Hesiodi cuius paulo pòst meminit, celebratissimum est ex *α.* ἔργων. Ἔργον δ' οὐδὲν ὄνειδος, ἀεργίη δέ τ' ὄνειδος: id est, *Non est turpe laborare: est ignauia turpis.*

Ib.d. *Vt qui Massiliã condidit primus*] X. vertit, *Vt Massalias Massiliæ autor.* Sicque in hũc locum annotat: Quod in Græco est ἀγαπηθὶς, Lap⁹ ἀγαπηθὶς legit, & Obseruatus reddidit. Idem ego sum sequutus, & Massaliam proprium nomen reliqui. de Massilia autem vrbe eum loqui, ne dubium quidem est. Venit in mentem ἀγαπηθὶς fortassis illud proprium esse nomen: sed nihil habeo certi. Massiliæ originem copiosẽ Strabo lib.4 exponit: & à Phocæensibus ortam eam vrbem, in Archidamo Isocrates disertè dicit.

1,133,b. *Nam quum animo quidam insiti sint igniculi*] Hæc ineptè Lapus ad solum Thaletem retulit, quum sint in genere dicta de storgis (vt vocamus) naturalibus.

1,134,a. *Pileatus*] πῖλον περιθέμενος. Lapus *Cœno fœdatus*, vt si πηλὸν legisset. Sed nihil est.

Ib. c. *Ad Coliadẽ*] Atticæ promontorium est, viginti à Piræeo stadiis. Pausf.initio Atticorum: &

Strabo lib.9. Idem Pauſ.de Scirade promontorio ibidem.

1,135,d. *Bis ſex adduxit &c.*] Verſus ſunt libro Iliadis ſecundo, Herodotus in Vita Homeri, in Atheniẽſium honorem ab Homero gratias eis agente factos dicit. Meminerunt & alii, & Ariſtoteles libro 1 Rhetorices, c.15: & Fabius lib. 5, cap. De exemplis.

1,136,c. *Neque enim id orator prodidit Aeſchines*] Locus in oratione in Cteſiphontem extat: vbi quidem conſultorem & autorem huius aduerſus Cirrhæos & Acragallidas belli Solonem, non tamen ducem, refert: hiſtoriam verò ſatis dilucidè ibi exponit. Eadem eſt in Phocicis Pauſaniæ enarrata (ex quo Suidas in Solone eam indicauit) qui Cliſthenem belli ducẽ nominat.

Ibid.d. *Cylonium ſcelus*] De hoc Thuc.lib.1, & Herod.lib.5, & Cic. De legibus. Cr.

Ibid. *Archon*] Vide infrà in Pericle.

Ibid.d. *Rupto ſua ſponte filo*] κρόκην. Lapus *Simulacri veſte*: quaſi κρόκη hoc ſignificet. De hoc piaculo vide Thuc.lib.1: Herodot.l. 5. Meminit & Cicero ſecundo Legum.

1,137,b. *Myrone Phlyenſi*] τοῦ Φλυέως. Φλυεὺς autem curia eſt Cecropidis tribus, apud Atheniẽſes: quod & ex initio Plutarchiani Themiſtoclis, & aliunde patet, & Stephanus admonuit. Quod annotaui, quia vterque interpretum lapſus hîc eſt: Lapus *Phlieri* F. vertens, Amiotus *Phliaſiũ*, quum id ſit à Phliunte Achaiæ oppido.

Ibid.c. *Nouum Cureta*] Curetes Iouem enutriuiſſe in Creta, ibíque humaſſe mortuum ferebantur: iidémque ſacrorum & rerum diuinarum peritiſsimi. Quidam eoſdem cum Corybantibus faciunt: à quibus Pauſanias in Arcadicis diſſentire videtur. Sed quid his opus? Lege potius Lactant.lib.1, cap.21, atque etiam 11. Erat autem Epimenides Phæſto Cretæ oppido ort': itaque ob rerum diuinarum (quam putabant) peritiam, pro nouo Curete habebatur.

1,138,a. *Siquidem Diacriorum &c.*] Herodot. Κλεισθένης eandem rem narrans, Ὑπεραχρίους vocat: idémque Pediæos (ſic enim infrà habetur Πεδιαίων, non Πεδιέων) τοὺς ἐκ τοῦ Πεδίου, quaſi Cãpeſtres. Suidas in Πάραλοι, Πεδιακοὺς nominat: Ariſtoteles lib.5, cap.5 Πολιτικῶν, Πεδιακούς.

1,139,c. *Quod ſolum, inquit, natale conſeruaui*] Verſus ſũt trochaici tetrametri catalectici in Græco, idq; genus carminis retinui. Idém que etiã in ſequentibus proximis feci: in quibus ἔφη, ἴσασι, ἤθελε, καὶ ἀπιτετρίφθαι, cur in ἔφυ, αὐταμαι, ἤθελον, & κατεπιτετρίφθαι commutarim, ratio metri & ſenſus docet. Hæc quum iam olim ſcripſiſſem, oblata eſt mihi occaſio variarum lectionum M.Antonii Mureti, viri lõgè doctiſſimi, inſpiciẽdarum. Is libro 1, cap.13, Petrum Victorium reprehendit, quòd idem ferè hoc de loco ſenſiſſet quod ego mihi video placuiſſe. Quid de hoc loco alii ſentirent, nõ indagaram, neque opus eſſe admodum putaſſem. Sanè meum non eſt vel excuſare Victoriũ, (non enim caret errore) vel reprehendere Muretum: cum quibus ſi comparer, puer profectò ſum. Sed tamen illud mei fuit officii, cur ab huius horũ verſuum lectione diſſentirem, indicare: nequid mihi eius autoritas obeſſet. Sentio enim illos Solonis reprehenſores non id dixiſſe, debuiſſe Solonem vel acceptis quæ hîc

proponuntur conditionibus: tyrannidem capessere, (quis enim tam impudens sit, vt hoc alteri consulat, tametsi ipse ita perditè sentiat?) sed à sese sumpto exemplo, per comparationem innuisse stultitiam Solonis, qui vltrò & honestè oblatam tyrãnidem respueret: quum non deessent qui certa proposita pernicie eam essent amplexuri. ἤθελον enim prima persona legendum est, non tertia ἤθελε: & sunt verba de se, nõ de Solone loquentis: id quod ratio versus trochaici euidenter demonstrat: nisi friuolum aliquid afferre (qualia sunt alicubi apud Græcos grammatistas à nobis annotata, suóque tempore exigentur) velis, quo λι ante γὰρ produci contendas. Quamuis ne cum iis quidem magnopere contenderim, qui existimant malorum hominum eam sententiam fuisse, debuisse Solonẽ certo proposito exitio tyrannidem adire: nisi metri ratio meam opinionem asséreret, alteram euerteret. Non enim insolẽtes sunt huiusmodi quasi hyperbolicæ loquutiones, vt illa apud Homerum (libet enim obiter, quia ad animum accidit, rudiorum causa monere) Anchisæ ad Venerem: Βουλοίμην κεν ἔπειτα, γυνὴ εἰκυῖα θεῇσι, Σῆς εὐνῆς ἐπιβὰς ἰέναι δόμον ἄϊδος εἴσω. Et quale tandem illud est Theognidis consilium: Χρὴ πενίην φεύγοντα καὶ εἰς μεγακήτεα πόντον Βάλλειν, καὶ πετρῶν Κύρνε κατ᾽ ἠλιβάτων. Nemo enim hoc simpliciter, sed ad exaggerandam rem inflatius dictum ac figuratè omnes sentiunt. Quo loco qui βάλλειν pro Seminare exponunt, littus verè arant. Sed hæc hactenus.

1,141,a. *Et ciuium ob æs alienum in nexum abductorum*] ἀγωγίμων πρὸς ἀργύριον γεγονότων πολιτῶν. Etiam absque reliqua fuissent, tamen ἀγώγιμος infinitis locis, apud Plut. adeò ipsum, ne dicam alios autores, eũ significat In quem ius prehensionis est, & qui in vincula abduci ab aliquo impunè potest. Ita in Lysandri vita lex Spartanorum memoratur, quæ exules Atheniensium ἀγωγίμους esse iuberet. Idémque noster autor in Catone Minore de Marcello quæsturæ collega loquẽs: Obnoxii ob verecundiam animi, ita vt quibusuis precibus vinceretur, & petitionem recusare vereretur vllam, ἀγώγιμον ὑπ᾽ αἰδοῦς τοῖς δεομένοις eleganter dixit. Lapus noster monstrosè perspicuum sanè locum hũc peruertit, nescio quos ciues exportandis pecuniis constitutos, ab eóque officio eos quòd Atticè loqui nescirent, remotos somnians. Idem (quod minoris, non tamẽ nullius, est oscitantiæ) non animaduertit vbi versus Solonis, vbi verba Plutarchi essent: quod idem in Amioto desidero.

1,144,b. *Sed vbique cum Ephetis agat de rebus capitalibus*] Virorum octoginta, quorũ nullus quinquagenario minor esset, cõcilium fuit, qui Athenis in Palladio, Prytaneo, Delphinio, & Phreatis de cæde iudicabant. Sic dicti, quòd ab his prouocari non posset. Hæc ferè Suidas. Iam quæ de Palladio & aliis iudiciis scitu digna habet in Atticis Pausanias, & quæ ex eo & aliis de isto & Ephetis annotauit lib. 1 Vlyssеæ Eustathius, huc non ita quadrant: sicut neque is qui Constitut. nouella X C I I I, ἐφέτης dicitur, quem Haloander iudicem appellationis reddidit.

Ib. d. *Quæ puellę opulentæ orbæ gratiam facit*] Hæc enim simul significare videtur γυνὴ ἐπίκληρος: atque ita exponit Suidas. Apud A-

ristotelem in Ethicis ad Nicomachum, simpliciter pro bene dotata sumitur vxore: ἐνίοτε καὶ ἄρχεσιν αἱ γυναῖκες ἐπίκληροι οὖσαι. libro 8, cap. 10. Etenim ἐπίκληρος Athenis dicebatur ea ad quã solam omnis deuoluitur hæreditas, siue iã mortuis parentibus, siue alterius prolis ius hæreditatis habẽtis spe spoliatis: id est, quæ omnino fit μονοκληρονόμος, siue iam, siue certò futura. Sic Plutarchus etiam de vxore Agidis, filia Gylippi, οὔσης μεγάλης ἐπίκληρος. de hac vocabuli notione etiam Eustathius in v 11 Iliadis. Legis περὶ ἐπικλήρων mentio fit apud Aristophanis Scholiastem in Auibus: sed quæ ad spurios referatur, non huc videatur quadrare. Certè apparet hũc locũ ostendere, beneficio cuiusdam legis certis hominibus licuisse ducere τὰς ἐπικλήρους: sed quæ lex constitutione Solonis sit circumscripta eatenus ne naturæ repugnaret. Aliæ fuerũt ἐπίκληροι, orbæ & dotis indigæ, quas ducere proximi genere alia lege cogebantur. vnde Terentianus ex Apollodoro transcriptus Phormio, de quibus alio loco.

1,145,d. *Quòd si iuuenem &c.*] Hæc confudit Lapus, interpunctionib⁹ puto falsis Græci libri seductus. Sanè Plinius perdicem inter ea quæ omnino non pinguescant, numerat lib. 11, c. 37. Quod autem ad præcedẽtem versiculum attinet, fateor me nonnihil errasse. Is enim totus vnà cum antecedente apud poetam, legitur in libello Plutarchi Εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον. quod mihi tũ demum in mentem venit quum typographo hæc traderem. Constat autem ex eo loco, non reprehẽdentis ob contractas nuptias Philoctetam, sed à contrahendo (vtpote senem) dehortantis verba esse. Leue hoc est, sed nolo esse Næuius: alii potius iis quæ multa inter tot labores, curas, occupationes, miseriásque peccare potuimus, ignoscant. Reponant loco mei versiculi hæc verba, partem (vt est & in Græco) versus:

*--ecquid coniugium appetis miser?*

1,148,c. *Modum plantandi digest*] Vide Digest. fin. reg. libro vltimo. Cr.

1,149,a. *Vnde non est semel illis fides abroganda*] Apud Lapum est, *Nullam esse iis fidem adhibendam:* nisi librarius errauit in eius versione exscribenda: omnino enim falsum est hoc, & verbis Plutarchi pugnat.

1,150,a. *Hic quum desierit mensis*] Homerus Vlyssea lib. 14, & alibi. De ratione mensium, in fine annotationum aliquid dicam.

Ib. d. *Ex quibus audiuit (vt autor est Plato) sermonem Atlanticum*] Locus est perelegãs & prolixus, sub initium ferè Timæi. Ad eum te remitto.

1,152,a. *Facilè enim ipse ille poterat*] Hæc dum ad Crœsum retulit Lapus, quum liquidò de Solone dicantur, quid cogitarit nõ video. Venustè res hæc narratur etiam apud Herodotum libro 1, vt notum est.

Ibid. d. *Neque vllius suspicere felic.*] Aristot. Ethic. lib. 1. Cr.

1,153,a. *Fabularum scriptor AEsopus*] λογοποιός. Lapus subitò ex Apologor..m scriptore historicum redegit. Et verò AEsopum ætate septem sapientum vixisse, vel aliunde, vel ex Plutarchi conuiuio eorum didicisset. Sic apud Lucianum etiam in Icaromenippo ὁ λογοποιὸς citatur Αἴσωπος. Iulianus quoque Apostata in epistola quadam, Herodotũ per ignominiam Θούριον λογοποιὸν vocat, nugacem,

& fabularum, non historiæ, scriptorem. Alioquin haud me latet, Græcos sua historiarum volumina etiam λόγους inscripsisse, cuius rei exēplum, præter cætera, extat Polybianum. Sed quid hoc ad AEsopum? Sanè etiam in Paulo noster λογοποιεῖν posuit pro Fabulas & falsos rumores spargere: & in Phocione λόγος pro fabula seu apologo ponitur. & in extremo Nicia, is qui de clade Siciliensi incerto autore nuncium retulerat tonsor, δόξας λογοποιὸς εἶναι, infortunium habuit.

Ib.b. *Postquā verò acie à Cyro fuit deuict.*] Vide Val.Max.lib.7, cap.2. Cr.

1,155,b. *Nam nos lingua uiri*] Pentameter est à Plutarcho omissus, vt & à Clemēte, hos ipsos versus l.1 Strom. ponēte: apposui autē sensus gratia: extat apud Stob. Εἰς ἔργον δ᾽ οὐδὲν γινόμενον βλέπετε.

1,156,a. *Rogantibusque qua re fretus adeò loqueretur temerè.*] ἀπονοηθέντες. Ita notum est ἀπόνοιαν esse Extremam & quasi insanam audaciam, vt *desidiā* à Lapo hic subditam, admodum mirer. Sic paulo pòst πηρωθέντα vertit, *Qui oculos amisisset*: quasi verò id sit πηρός, & nemo πηρωθεὶς nisi excæcatus.

Ibid.c. *De Atlantico sermone*] Vide Platonem quo dixi loco: & lege eiusdem librum qui Critias seu Atlanticus inscribitur. Meminit Plutarchus in libello q. o osten dit, secundum Epicuri doctrinam non licere suauiter vi. ere: quo loco de historiarum tradit oblectatione, testatúrque non esse perfectum eum librum.

1,157,a. *Templum Iouis Olympii*] Ὀλυμπιεῖον. Vide præter alios Plin.lib.36,c.6.

# IN PLVT. POPLICOLAM annotationes Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

DE huius ætate annotare, nihil est necesse: quum notissimum sit tempus quo, regibus exactis, Romæ Consules institutum fuit præesse.

1,157,c. *Cum tali viro nos Solone comparamus Poplicolam*] Cur Poplicolam potius quàm (vt vulgò legunt) Publicolam scripserim, nihil attinet dicere: éstque iam antè à Sigonio demōstratum. De quo autem hîc Valerio loquitur Plutarchus, ei Volesus prænomen fuit: & eorum trium Sabinorum qui totius gentis clarissimi cum Tatio rege Romam commigrarunt, primus nominatur à Dionysio lib.2. De genere Poplicolæ vide Liu.lib.1, & Dionys.lib.2.

1,158,a. *Brutus consilium consociauit cū Valerio*] Itidem Val.Max. lib.4,c.4, scribit, Valeriū Bruti in regibus eiiciēdis sociū fuisse. Cr.

Ibid.d. *Legati uenerūt à Tarquinio*] Prima Tarquinii legatio de regno recuperando. Liuius lib.2, Dec.1. Cr.

1,159,c. *Aquiliorum, in qua tres senatores, & Vitelliorum, in qua duo erāt*] Xy. vertit, *Aquilliorū & Vitelliorū, ex hac duob⁹, ex illa trib⁹ consilii socius sibi adscitis*: annotátq; Lapus *duas aut tres domos* corruptas habet. Fateor sanè me ambigere: est enim in Græco δύο ἔχοντας βουλευτάς: & ἔχοντας stare non potest, ἔχοντες vel ἔχοντα potest. Posterius hunc sensum dabit: duos

in Aquilia, tres in Vitellia senatores familia fuisse, idque non improbo. nam aliter βουλευτὴς pro conspirante explicãdum est, haud scio quàm commodè: sed sensum vtcunque expressi.

1,161,b. *Brutus utrunque fil.*] Val.Max.lib.5,cap.8. Cr.

1,162,c. *Aliis libertis serò diúque pòst ꝑ ambitionẽ popularẽ Appius suffragii ferendi ius dicit*] Imò etiam in senatum Libertinos recepit. Vide Liuium ad finem noni: & Diodorum lib.20, vbi de Appii Claudii Cæci cẽsura loquitur.

1,163,b. *Insula ea nunc in urbe sacra est*] Dionys.lib.5, expresſius AEsculapio sacram tradit. Historia est lib.Liuii 2, apud Valer.lib. 1,c.De miraculis. Meminit & Plinius lib.20,cap.1:& Festus lib.9,in Insula. Quòd autẽ Latinè Media inter duos pontes vocetur, non me mini me vsquam legere alibi. Insulam omnes vocant, vt videantur hæc verba periphrasis insulæ esse, non diuersa appellatio.

1,163,c. *Quorũ alterum Arsiam syluam*] X. vertit, *Quorũ alterius Vrsus lucus*. Sicque annotat: Οὔρσου ἄλσος. apud Liuium quidem lib.2, hoc ipsum describentem, & apud Valerium lib.1, cap.8, Arsia sylua legitur: quos Lapus est sequutus. ex Dionysio nihil colligere possum, qui eam pugnã in Vinio prato ad Horati cuiusdam herois lucum factam scribit.

1,164,a. *Ex eo ingentem uocem editam*] Valer.Max.l.1,c.8. Cr.

1,165,b. *Diruit domum*] Val. Max.l.4,c.1. Cr.

1,167,d. *Ad portam quã nunc Ratumenam uocant.*] Sic & Plinius habet l.8,c.42, hoc factũ commemorans: & Sext.Pompeius lib.16.

Ibid. *Quo facto Veientes obstupefacti*] Eutrop.lib.1, De G.R. Cr.

Ibidem. *Id Tarquinius eius qui uouerat filius uel nepos extruxit*] Non otiosè hoc dixit. Nam & Liuius fatetur dubitari, filiúsne (vt ipse putat) an verò nepos Prisci Superbus fuerit. Posterius osten dit multis rationibus Dionysius Halicarn.lib.4.

1,168,d. *Incendiũ bellis ciuilib⁹ absũpsit*] Appian.Belli ciu.l.1. Cr.

1,169,a. *Columnæ sunt ex marmore Pentelico excisæ quadrato*] Πεντέλη, Pentele, pagus est Atticæ, vt docet Stephanus. Pausanias lib. 1 Descript.Græciæ, demonstrat esse montem Atticæ Pentelicum, vbi sint lapicidinæ. Huius lapidis etiam Cic.ad Atticum meminit lib. 1, de Hermis Pentelicis. Id proptẽr Lapum, & eius correctorem annotaui.

Ibid.b. *Epicharmi dictũ*] De Epicharmo Diogenes Laert. lib.5, & Suidas. Cr.

Ib.c. *Claram Porsenam*] Liui⁹ habet Lartem, id est regem. Cr.

1,169,d. *Oppidũ Sigliuriam imminẽte iam eo condidit*] Sic quidem est in Græco, sed non video quid sit Sigliuria. Suspicor Signiam fuisse scribẽdum. Non quidem nescio, Tarquinium Superbum eius coloniæ autorem à Liuio poni: sed potuit vel alios autores sequutus fuisse Plutar. vel ea colonia tum instaurari, vel augeri & corroborari à Poplicola. Equidem ad annum (vt ego & plerique numeramus) V.C. CCLIX, hoc est decimotertio pòst anno, Liuius scribit Signiam coloniam quam rex Tarquinius deduxerat, suppleto numero colonorum iterũ deductam esse. Apud Dionysium Συγκήριον (Syncerium) deducta colonia legitur, præsidii causa, contra Latinos & Hernicos in secundo Poplicolæ consulatu.

1,170,a. *Herminius & Lucretius*] Xyl vertit *Hermini⁹ & Lartius*. ac annotat: Malui Lartium quàm Lucretiũ, Liuiũ & Dionysiũ sequens: & videbatur esse menda, inculcato Lucretii nomine

Ib.d. *Factũ C. Mutii*] Valer. Max. lib.3, c.3. Cr.

1,172,a. De Clœlia & virginum Romanarũ audacia, Valer. Max. lib.3, c.2. Cr.

1,173,a. *Et quũ fores illius seculi &c.*] Vidẽdus Plin. c.15, lib.36.

Ibid, c. *Appius Clausus*] Xyl. itidem sic habet, de eo sic scribens in Annot. Ἄππιος. Hoc reliqui per spicuitatis causa: quia is est autor gentis Appiæ. Alioquin Sigonio nihil repugno, qui in Annotationibus Liuianis Actium (Attium ego malim, Ἄττιον) legẽdum docet. Ex Clausis autẽ Clausios, qui dein de Claudii dicti sunt, ortos patet. Vide Dec.1, l.2.

1,174,c. *Ne persequantur illatas ab Romanis iniurias*] μὴ δϑυῶαι δίκη Ῥωμαίοις ὧν ὑβρίζουσιν. Lapus hoc mendo seductus, nullum sensum loci extulit. Est autem legendum, id quod facilè apparet, Ῥωμαίους, accusandi, nõ datiuo, casu.

1,175,d. *Posthumius Albus*] Balbus est in Græco, Βάλβος: sed cognomen ego non esse hoc Posthumiæ gentis puto. Posthumios autem Albos cognomento fuisse, notum est & tritum. Posthumius porrò scribere malo, etymologiámque sequi quàm Græcos libros.

1,176,b. *Poplicolæ, Messalæ, Valerii*] Xyl. vertit, *Præclarißimæ adhuc prosapiæ, Poplicolarum, Messalarum, aliorúmque Valeriorũ*. annotátq;: Καὶ Οὐαλέριοι. Sed ego mendum esse dico, nisi legas καὶ ἄλλοι Οὐαλέριοι. Valerii enim, gentis est nomen, neque inter familiarum cognomina reponi potest. Sin ita vt puto legatur, nihil erit incõmodi: intelligẽtur enim reliquæ Valeriorũ, quæ hic nõ recẽsentur, familiæ: vt Maximi, vt Coruini, vt Potiti, vt Flacci, vt Læuini, & cæteræ siquæ sunt.

## IN PLVT. THEMISTOCLEM annotationes Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

Themistoclẽ floruisse olympiade LXXV, quum apud Salaminam Persarũ regem nobili illa naumachia vicit, notissimum est cùm aliunde, tum ex libri XI Diodori Siculi initio. Et, si eũ sequi omnino volumus, incidit hoc in annũ V.C. CCLXVIII. Consules enim nominat Sp. Cassium, & Proculum Verginium. Secũdum alios, incidit in annum V.C. CCLXXIII, & consules K. Fabium, Sp. Furium: cum quibus facit Gellius cap. vlt. libri 17, qui quarto post pugnam Salaminiam anno, trecentos istos Fabios ad Cremeram à Veientibus cæsos affirmat. Sanè M. Tullius in Lælio & Bruto (quibus locis Themistoclem cum Coriolano componit) demonstrat bellum Volscum Coriolani à Persico hoc Themistoclis non multum abfuisse, & hunc viginti post C. Marcii exilium annis eandem fortunam expertum, quos locos lectori perspiciendos mando.

1,182,a. *Abrotonum sum Threissa*

*quidem*] Epigramma eſt, id quod Lapus nō animaduertit. Priorem verſum ex Athenæo, apud quem lib.13, ex Amphicratis De viris illuſtribus cōmentario citatur hoc epigrāma, ita legendum patet: Ἀβρότονον Θρῇισσα γυνὴ γένος, ἀλλὰ &c. Sanè AEmylius Probus, vel quicunque libri eius autor eſt qui de excellentium imperatorum vita ſcriptus ad Atticum circumfertur, patrem Themiſtoclis generoſum, matrem Acarnanam facit: ſeu Halicarnaſsiam, vt quidam legūt.

Ibid.b. *Quapropter quum nothi in Cynoſarges conuenirent*] συνετέλουν. quod vocabulum videri poteſt fortaſſis innuere, eos ſacrificādi cauſa eò conueniſſe. Nam & gymnaſium fuit Cynoſarges, & templum Herculis, & lucus ei circumiectus: vt etiam Liuius lib.31, teſtatur. Suidas quidem ibi exercitatos fuiſſe ſcribit, idq; etiam Plutarchus videtur ſenſiſſe.

1,184,a. *Quòd pariter aduerſus duces ſuos gerat ſe populus, quū fructū ultrà ex iis non capiat*] Xyl. vertit, *Innuentem eundem eſſe populi animū in oratores, vbi inutiles ii eſſe cœpiſſent.* Atq; hæc in hūc locū ānotat: Oratores & hîc & alibi ſæpe voco quos Græci δημαγωγούς: hoc eſt, eos qui in republica verſantur, & orationibus ſuis populum ſuadendo diſſuadendòve trahunt. Non fallit me, eſſe qui eo nomine etiam Eraſmum Roterodamum reprehenderint, quòd ita vertiſſet: qua de re alibi dicam. Neque ego nunc me Gellii autoritate tueor, quæ non vbique valet: & fortaſsis vbi de latinitate diſputatur, nihil niſi propter alios. Is libro 3, c. 13, δημαγωγὸν oratorem in republica transfert. Ipſum vocabulum quid ſignificet, notum eſt. Eſt enim δημαγωγεῖν, ſi verbū de verbo reddas, Populum trahere ſiue ducere. Id nulla re alia quàm dicendo, hoc eſt oratione, magis fieri notum eſt. Iam Cicero præclarè diſputat, totam oratoriam ciuilis rationis partem, & quidem magnam, eſſe: vt iam non in ſcholis aliquis deſidens ſophiſta, pueríſque præcepta artis dicēdi tradens rhetor, aliquando oratoris nomine intelligi debeat, ſed is qui grauibus de rebus, adeóque publicis, diſſerat. Etenim oratores quoque dicuntur qui aliàs legati: hoc eſt qui reipub. nomine de pace, bello, aliíſve grauibus rebus tractandis mittuntur: neque hoc apud Virgil. modò, alióſve poetas, ſed apud ſummum oratorem Ciceronē: vti de Fabricio ad Pyrrhum miſſo: & ſecundo De legibus, de fecialibus, atque alibi. Tribuni quoque plebis δημαγωγοὶ Plutarcho & aliis crebrò dicūtur, nō alia de cauſa quàm quòd orationibus ſuis populum ducerēt quò vellent: quarum exempla poſtulare nemo niſi ineruditus debet. Vt mirum videri aut abſurdum minimè debeat, ſi eos qui in repub. verſantur, à præcipuo inſtrumēto Oratores dicamus. (nam Gellianum illud in repub. vbique addere, parū ſcitum erat: & alioquin ex circunſtantiis facilè intelligitur) Quod qui reprehendunt, aut non legerunt, aut non intellexerūt, illud apud Ciceronē Næuianum, vbi reipublicæ tam citò amiſſæ cauſas percontanti, inter alia ſic reſponſum fuit: Proueniebant oratores noui, ſtulti, adoleſcentuli. Quid quòd ῥήτωρ nonnunquam eo modo ponitur vt δημαγωγὸς intelligatur, non in ſcholis declamitans aut docens, ſed in foro & concione populo ſuadens aut diſſuadens. Sic certè Plutarchus ipſe, cùm alibi, tum in Pericle: τῇ δὲ περὶ Θουκυ-

ἐδίδου ἐντόνως καταδουσάντων τοῦ Περικλέους,&c. Sed satis hæc:sciolis tamen quibusdam occurrendum fuit,& monēdi rudiores.

1,184,b. *Stesilaum Cea oriundū*] Xyl. vertit, *Stasilaū Teiū*. Sicque annotat: Cur Lapus *Stesileam Chium* verterit, ipse viderit. Vel ex Aristidæ vita intellexisset,maris hoc esse nomen.Tίου est in Græco: lego Τηΐου,vel Τηΐου. est enim à Teo nobili Asiæ vrbe deductum gentile. Τίος, Tius,Paphlagoniæ vrbs,Tianum facit, vt Cios Cianum. Stephanus autor,& cōfirmāt exempla quæ huc adferre non est opus. Idem infrà Simonidi accidit,nō Cio Phrygiæ vrbe,sed Ceo insula, æquali propè spatio à Sunio Atticæ & Eubœa distante, oriundo:hoc est Ceo vel Ceio, nō Ciano. Sanè in Aristida Στησίλεως hic ex eodē Aristonne Κεῖος appellatur,hoc est Ceus,non Teius. Vtrum rectius hic an ibi legatur,difficile est pronūtiare. Cæterùm Lapi errorem etiam ii qui magni nominis Onomastiicon ediderunt,sequuti sunt:& de muliere acceperunt atque exposuerūt quæ de mare Plutarchus(eum interim testem citant)scribit. Quid est,si hoc non est,fumos vendere?

Ibid.d. *Ac primùm vectigal Lauroticū*]Λαυρεωτικήν. Sic etiam est in Nicia. Et Pausanias initio Atticorum, Laurium locū maritimum Atticæ inter Sunium & Peiræeum vidit,vbi argentifodinæ Atheniensibus fuerint: Λαύρειον.Thucydides libro 2,Λαύρειον in ora maritima montem indicat(ἐν τῇ παραλίᾳ γῇ καλουμένῃ) vbi argentariæ essent Atheniensib' secturæ.Suid. Λαύρειον scripsit, quo modo & apud Herodot.legitur in huius etiam rei narratione, lib.septimo. Lap ustotum omisit.

1,183,b. *Pro statariis peditibus, vt ait Plato*] Locus est libro 4 De legibus,in tio.

1,187,c. *Vt verò classis barbarorū Aphetas applicuit*] Intelligēdas esse Magnesiæ Aphetas,qui locus est iuxta Pagasas in sinu Pelasgico,(de quibus Strabo lib.9,& Stephanus)liquet vel ex descriptione Artemisii quam mox addet Plutarchus: vel hîc ex mentione Sciathi, quæ est insula è regione Magnesiæ ac Pelasgici sin'. Quod annoto cum explicandi gratia, tum nequis Suidæ loco quem apud Stephanū adduxi,deciperetur. Diodorus quoque Siculus disertè classem Xerxis ad Ἀφετὰς τῆς Μαγνησίας appulisse ait,quum prius esset passa naufragiū apud Sepiada Magnesiæ promontorium. quod idem est in Polymnia Herodoti.

1,188,a. *Vt tradit Herodotus*]initio Vraniæ.

1,189,d. *Iam oraculo populū tractauit*]Id de ligneo muro & de diuina Salamina oraculum,integrum est apud Herodot.in Polymnia.

1,190,c. *In simulacro Mineruæ desideratā ait fuisse ægidē*]τὸν γοργόνειον,intelligo θυρεὸν, aut tale aliquid.Lapus, *Apicē Gorgonis*:haud scio quàm bene.Atque vbi est ἀποσκευαῖς,quæ sun Exercit' impedimēta,idem thesauros nescio quos habet.

1,191,d. *Qui sicut loligines*]Xyl. vertit, *Qui instar teuthidū*. annotās: Piscis est genus,quod vt Latinè dicatur,non satis intelligo. insipidum & vilem fuisse, innuit hic locus, & testatur Schol. Aristoph. in Equit. Habuisse prominentem proboscidē,etiā hoc ex loco colligitur:& est eius descriptio apud Athen. haud procul à fine septimi.

1,192,a. *Vt verò class.host.*]Herodot.l.8. Cr.

1,195,d. *Et suffragia duces ab aris tulerũt*] Infra in Pericle mentio fit eiusdem consuetudinis. Mos Græcis fuit,præcipuè Atheniensibus,vt iurandi causa ad aram acce derent.quod cum aliàs,tum ex historia Xenocratis patet, quẽ iurare prohibuerunt Athenienses,quũ testimonium dixisset, & (vt mos Græcorum est) iurandi causa ad aras accederet. Cicero pro L.Cornelio Balbo,& Valerius Max.in fine secundi.

1,196,c. *Quũ exprobraret ei Seriphius quidam*] Herodotus in Vrania,Timodemum Aphidnæum nominat. Vt est apud Plutarchũ, ita Plato etiã in capite libri 1 De republica,Cicero in Catone & alii.

1, 197,b. *Poliarcha ab AEgina missũ*] Xyl.vertit,*Missúsque consulto ab AEgina vrbis præfectus*.Et annotat,Πολίαρχος,Poliarch⁹: si quidem sit proprium. dubitari enim potest. Interpretes quidẽ propriũ retinuerunt.

Ibid.c. *Vt comicus ait Aristophanes*] Locus est Ἱππεῦσι. ibi,Καὶ πρὸς τούτοισιν ἀριστώην (τῇ πόλει) τὸν Πειραιᾶ προσέμαξεν. Sicque etiam hic legendum est,non προσέμαξεν.

Ibidem d. *Pagasas*] Alii Pagasam. Cr.

Ibidem. *Atheniensibus vt eam vni aperiret Aristidi iubẽt.*] De hac Atheniẽsium æquitate Cicero De off.lib.3. Cr.

1,198,d. *Leutychidã*] Leutychidas pro Leotychida dicitur etiã apud Herodot. intelligitúrq; rex Spartanorũ qui cũ Xanthippo ad Mycalẽ barbaros vicit. Herod.l. 9,alii. De Ialyso,vel Ielisso,(vtrũque scribitur) vrbe Rhodi,diximus alibi. Cæterum vsus hic sum mea libertate, & eo genere carminis vertit versus Timocreontis quo imitatione Alcæi Horatius multas scripsit odas,quarum primæ initium,*Vides vt alta,&c.*Alteri versus, sunt trochaici catalectici senarii.postremos elegis reddidi,omis sos planè à Lapo.Quòd si in his omnibus vertendis alicui non satisfeci, is sciat me diuinasse magis quam affirmasse:& æquus sit, ipséque(siquid habet) meliora afferat.

1,199,c. *In Melita*]Locus est Athenis quem curia tribus Cecropidis, seu OEneidis,(hoc Stephanus habet,illud Suidas)habitabat. Mentio est suprà in Solone de Salamina & Aiacis filiis. Meminit & Demosthenes in Actione iniuriarum aduersus Cononem,& in Ranis Aristophanes,dicẽs, — ὁ ἐκ Μελίτης μαστιγίας. De Hercule ibi schol. Et Phocionis ædes in Melita fuisse,Plutar.in Vita eius affirmat. Hoc dico ne quis de Melita insula cogitet. Porrò autem de exostracismo, seu ostracismo, nihil attinet cõmentari, quũ multis aliis locis, in Aristida præsertim & Cimone,copiosius rem exponat Plutarchus. Originẽ eius & morẽ eleganter Diodorus quoque in huius ipsius historiæ narratione explicat,neq; inepta sũt quæ ea de re in Miltiadis vita AEmil.Prob⁹ scribit. De Pausaniæ proditione perspicuè Diodorus libro 11,& prope finem libri 1 Thucydides, obiter Iustinus in fine secundi, & noster in Aristida.

Ibidem.d. *Infixerunt ei decennale exiliũ*] De hoc Themistoclis exilio Valerius Max. libro 5, De ingratis. Cr.

1,201,a. *Abiecit se ad focũ eius*] ἑστίαν. Focorum, Vestæ,& Larum, seu Penatum,nota est religio.Probus,eum se cum filia paruula regis in sacrarium,quod summa colebatur ceremonia, coniecisse scribit.

Ib.*Thuc. nane cōsc.*] Thuc. l. 1. Cr.

1,202, d. *Filio eius*] Artoxerxi. cui Longimanus fuit cognomen. Thucydides lib. 1, Probus, alii.

1,207, D. *Plato philosophus*] Locus est in Menone.

Ibid. *Haufto, vt fama est, taur. s.*] De mortis genere quo periit Themistocles, Valerius Max. lib. 5, cap. 6. Cr.

1,208, a. *Ab Alcimi promontorio*] Xyl. vertit, *A promotorio quod est pone Alcimū.* & annotat hæc: Videtur monumentum cuiusdam Alcimi, fortè herois, indicare. Sed nihil habeo.

# IN PLVT. CAMILLVM ANnotationes Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

NOtissimū est, Romā à Gallis anno V.C. CCCLXV, captā esse, & à M. Furio Camillo receptam: quo maximè facinore nobilis est. Qui scire cupit quæ alia in Græcia atq; alibi eadē tempestate acta sint, Polybii libri I initium legat. Camillus autem vnde sit cognomen, supra in Vita Numæ est expositum.

1,208, d. *In causa f.*] Vide Liuium lib. 5, dec. 1. Cr.

1,209, b. *In magno contra AEquos & Volscos certamine*] A. Posthumius Tubertus dictator AEquos & Volscos vicit anno V.C. CCCXXIIII. Describitur historia apud Liuium lib. 4. Αἰκανοὺς esse AEquos, & notum est & alibi dictum. Lapus imperitè hic & infrà Secanos, nescio quos, substituit.

1,209, c. *Hos quidā Venetanos appellant*] Quod in Græco additur τούτους ἔνιοι Οὐενετανοὺς καλοῦσι, Lapus ita reddidit, *Hos quidā OEnetanos vocant:* Amiot..s *Venetaniens* reddidit, nihilo planè rectius. De OEnetanis istis ipsi viderint. Βήϊοι, Veii, sunt vrbis nomen. Οὐηϊεντανοὺς scripserat Plutarchus, vti existimo, ostensurus ipsa Veientes (hi sunt Veiorum incolæ) ciues eius vrbis quæ Βήϊοι dicitur, à nonnullis scribi: Zonaras Οὐϊέντας habet. Nam & Οὐήϊοι alii scribunt, vt Οὐάῤῥων, Σερούϊος, Ὀκταούϊος: quum alii rectius (meo sanè iudicio) qui pro v consonante, consonātem valde affinē quàm diphthongum, hoc est nihil minus quàm consonantem, ponere malint, Βάῤῥων, Σέρβιος, Ὀκτάβιος: (etsi ipse in Fabio Ὀυϊκόλας scribat, Ouicula: itémque Οὐαλέριος & Λιούϊος, & alia id genus: si non hoc librariorum potius est quàm autorum) eóque respexisse videtur Plutarchus hoc loco. Græci v consonantem non habent, nisi quòd βῆτα propius quàm ου diphthōgum eò accedere apparet, & Latinæ pronunciationis ignorationi hanc acceptā referendam putem. Πρόχωμα autem non esse propugnaculum, ita liquet vt pro hac versione neminem propugnaturum credam.

1,210, c. *Nisi siqua diuina*] ἀπ' οὐδενὸς αἰτίου πλὴν εἴ τι θεῖον. Θεῖον aliquando sulphur est: hic adiectiuum, ac ad αἴτιον substātiuum pertinet. Lapus nescio quod sulphuris augmentum, contra & sententiam autoris & rationem, commentus est.

1,211,d. *Atque Inûs pellicis causa casus*] Inûs fabulam, vt propter sororis suæ Semeles filium Bacchum educatum à Iunone sic afflicta, ex Ouidio require libro tertio Metamorphoseωs, & in Fastis, & apud alios. Eam esse Leucotheam & Matutam, Cicero etiam in Tusculanis quæstionibus libro 1, & 3 De natura deorum, testatur. Pellex hic Semele dicitur, quòd ex Ioue Iunonis marito Bacchum concepisset.

1,213,b. *Qui hostiæ eius exta prosecuisset*] κατακολουθήσαντι, ad verbum *Subsequeretur*: vel verius, *Exequeretur*. Apud Liuiũ est, *Qui exta prosecuisset*. Est autem idem ac si diceret, Eum qui sacra ista peregisset. Fabulam autem hoc esse quod narratur, etiam Liuius putauit.

1,213,a. *Auertisse se & nictatas esse*] Xyl. vertit, *Vnitũ terræ defixisse*. hæcque ibi annotat, Καταμυῶσας. Lapus, *Quandoque seseexpurgasse*. Ego aut καταμύσας legendum, a verbo καταμύω, quod est Oculos ad solum flecto, In terram obtueor, (qualis apud Virgil. *Diua solo fixos oculos auersa tenebat*) aut verb. m μύω aliquando idem quod μύω significare, credendum puto. Exempla horum portentorum sunt obuia: quæ ex historiis & poetis huc conducere, non est nostræ breuitatis: & sub finem Coriolani est hac de re breuis Plutarchi disputatio. Iam quod mox sequitur, ἐντρυφᾶσθαι, non est profectò Lautè ac luxuriosè viuere, verum Ludibrio haberi, & præ fastu ab aliquo contemni: sed mitto persequi pleraque.

1,217,c. *Ille quũ diras ciuibus suis vt Achilles imprecatus, solũ vertisset*] Prouerbium vide, Ἀχίλλειος εὐχὴ, Achillis votum. Res est ex primo Iliadis libro nota. Secùs Aristides votum fecit, in exilium pulsus.

1,221, b. *Prope flumen Aliã*] Poetæ Alliam duobus ll scribunt, quæ scriptio vulgò obtinet: quum nostra & Græca sit verior, vt in Liuianis annotationibus iam antè docuit Sigonius. Addam obiter, quod ad eam sententiam confirmandam facit. Asconius in Tullianam diuinationem, hæc exponẽs verba, *Habet Allienũ*, ostendit dubitatum fuisse propriúmne id nomen an verò appellatiuum fuerit. Quo ex loco satis constat, & Aliam fluuium (nam inde nomen factum videri ait) vnico l, & in oratione ista Ciceronis eodem modo Alienum scribendum fuisse: alioquin in voce Allienum nihil erat scrupuli, quæ vt ab Allia deduceretur, ita appellatiui & adiectiui vim non habebat.

Ibid.c. *De diebus nefastis, haben di néc ne sint*] Locus totus est à Lapo male versus. Disputat autem hac de re Plutarchus in Quæstionibus Romanis. Habet & lectu digna Macrobius Saturnaliorum primo, cap. 16, & alii. Hesiodi De diebus sententia, ex eius de ea re libello cuiuis potest innotescere. Quod autem tertio suprà versu legitur περὶ τροπὰς θερινὰς, ego *Post solstitium* verti: vt ostenderem, vel illud περὶ latius quàm alioquin sumendum: vt significet, Haud diu pôst. vel μετὰ (quod puto) scriptum fuisse. non enim ignorauit, Quintili mense medio pugnatum fuisse: quod paulo infrà & in Problem. Rom. monet.

Ibid.d. *Leuctricã, & alteram antè annis amplius ducentis, ad Geraston*] Locum exempla obscurum reddunt. Nihil Leuctrica Epaminondæ Thebanorum ducis de Lacedæmoniis

cedæmoniis victoria notius. De altera illa contra Thessalos & Lattamyiā, meminit Plut. noster in libello De improbitate Herodoti, atq; Thessalos, quū Græciam ad Thespias vsque occupassent, à Bœotis victos esse prælio, Lattamia (sic enim ibi scribitur) Thessalorū duçe etiā interfecto: idque paulo ante pugnam ad Thermopylas factum, ibi ostendit. Sane hac de re alibi nihil me legisse recordor. Herodotus in Vrania Phocensibous videtur hanc victoriam adscribere, iniquior alias etiam Bœotis, vt Plutarchus ibi docet. Sed in nostro quē tractam' loco, duæ voces sunt mihi mendi suspectæ, Γεραιστῷ & διακοσίοις: quarum altera Geographiæ videtur repugnare, alteram certa temporum ratio improbat. nisi forte Geræstus etiam Bœotiæ locus est apud Thespias. nā Euboicus nihil huc facit. Cæterum inter pugnam Thermopylensem (cui hæc Thessalorum clades non multum antecessisse dicitur a Plutarcho, & Leuctricam Epaminōdæ victoriā, anni C V I I I, non plures, interuenerunt: quod ex Pausania, Diodoro Siculo, Polybio, aliisque autoribus demonstrari facile potest. vt verum non sit quod hic dicitur, neque διακοσίοις stare possit. ἑκατὸν malim, itaquē verti: cuius fortassis nota ρ, a librario in σ conuersa, falsæ lectioni occasionem præbuerit. quod non hic modo, sed sæpe alibi com missum iudico. Cæteræ historiæ notæ sunt, de victis ad Marathonem à Miltiade, ad Platæas à Pausania, ad Mycalen à Leotychida & Xanthippo Atheniense, ac post ad Arbela ab Alexandro Magno, Persis: neque opus est locos scriptorum indicare. Chabrias apud Naxum Spartanos vicit. Xenophon ad finem quinti Ἑλλην. Diodorus libro 15, Plutarchus in vita Phocionis. Ibidem de pugna ad Cranonem, hoc est, bello Lamiaco: & Diodorus libro 18: de Chæronensi, libro 16. Archidamus Agesilai filius fuit: meminit Plutarchus in Agidis initio, & in Laconicis Pausanias. & Diodorus Siculus libro 16, ostendit eodem anno factum quo hic Plutarchus affirmat.

1,222,c. *Quo die mysticā pompā Bacchi educunt*] Xyl. vertit, *Sacra pōpa in honorē Bacchi ducitur:* & annotat, Hoc enim est τὸν μυστικὸν ἴακχον ἐξάγειν vel ἐξελαύνειν: quæ pompa ab vrbe Eleusinem ducebatur, vt in vita Phocionis hanc ipsam rem scribens Plutarchus docet. Meminit & aliàs non semel. Canebatur autem simul hymnus, qui & ipse Iacchus dicitur. Vide Arrianum libro secundo De expeditione Alexandri, vbi de Hercule Tyrio disputat. Porrò non Σκηπίονος, sed Καιπίονος legendum & intelligendum est de Cæpione, vt aliàs ostendimus.

1,223,d. *Vnde locus adhuc doliorum seruet nomen*] Vocatur enim Doliola. Pompeius Festus lib. 4. Paulo alia nominis origo à Varrone traditur lib. 4 De lingua Latina: sed Pōpeius planè Plutarchū tuetur, & Liuius.

1,227,b. *Ad vrbem tranauit*] Mirum dictu quàm nullum aperti loci sensum Lapus extulerit.

1,228,d. *Qui sustulerat securim, quam copida vocant*] κοπίδα δημαγίου. κοπὶς aliquādo Securis est, alias Gladius leuiter curuatus, falci similis, *ain sabel oder tusaclz*. Curtius libro 8. Hic nihil erat periculi vtrum poneretur. Pro gladio vsurpauit infra in vita Aristidis, prælium Plataicum describens, καὶ περὶ τὰς ξιφουλκίας ἐ-

[Q.]].

χρέεσιν ἐκ ἀρχῆς, ἀλλὰ ταῖς κοπίσι καὶ τοῖς ἀκινάκαις χρώμενοι. Et in vita Alexandri, Spithridatis Alexandro intẽtata κοπίς. deinde à Clito in conuiuio ξίφος dicitur. κόπις autem, aliud est, quod oratorem versutum significat ac callidum: quod nomen in Hecuba Euripidea Vlyssi tribuitur, ποικιλόφρων κόπις. & in Lycophronis Alexandra. vbi Zezes, κόπις, ὁ ῥήτωρ καὶ ἔμπειρος, ὁ ὑπὸ πολλῶν πραγμάτων κεκομμένος. γίνεται δὲ ἐκ τῶ κόπτω. Eustathius in ξ Odyss. monet, antiquis φλύαρον sonasse.

1,230,c. *Progressúsque ad octauum lapidẽ uia Gabina castra metatus est*] Xyl. vertit, *Sexaginta stadia progressus ad Gabinam.* & annotat: Liuius habet, Ad octauum lapidem Gabina via. In Græco est Σαζινίαν, malè pro Γαζίναν. Nam Ad miliare, hoc est octo stadia, & Ad primum lapidem, idem est: & Liuiana summa quatuor stadiis, dimidio scilicet miliari, quàm Plutarchiana, est maior. Ita suprà nonaginta stadia ad Aliam processisse Romanos, dixit Plutarchus: Liuius, ad vndecimum lapidem Romanos Gallis occurrisse. quod spatium duobus à Plutarchiano stadiis superatur. Cicero Milliarium eodem significatu dixit. vt in Bruto: Quum plebs prope ripam Anienis ad tertium miliare consedisset. De qua re Liuius libro secundo, Tria ab vrbe millia passuum dixit. Idem Quintum milliare dixit, libro sexto ad Atticum. τὸ μίλιον ὀκτὼ σταδίων ὀλίγον ἀποδεῖ, inquit Plutarchus in C. Graccho.

1,230,d. *Paucis diebus post Idus Quintiles*] Quo die ad Aliam pulsi sint Romani, video non satis conuenire inter autores. Liuius initio sexti, & Cornelius Tacitus prope finem XVIII, A.D. XV Kal. Sextiles factum tradunt. Is mensis eius dies, erat decimusoctauus. siquidem instituto Numæ Quintilis XXXI dies habuit. Dissentire ab his Macrobius lib. 1, cap. 18 Saturnalium, & Plutarchus in Problematibus videntur, qui Aliensem diem postridianam faciunt: id est pugnatum postridie Idus Quintiles aiunt. Sed is dies mensis erat 16. Autor libri De viris illustribus, habet XVI Calend. Augusti. (ita enim in Aldino legitur) id est, Iulii die 17. Fortassis scripserat XVII, quod cum Macrobio consentiret. Equidem & Macrobius harum fuit rerum apprimè diligens, & nostro autori hoc in genere plurimum docti tribuunt: & tamen grauissimus scriptor Liuius, & nihilo minor Tacitus, dissentiunt. Nam receptam lectionem (est enim ea in omnibus, quos equidem viderim libris, etiam in Florentino Tacito) conuellere, temerarium sit: eò magis quòd ipsos quoque, si hoc sensissent, postridie Idus Quintiles scripturos fuisse probabile est. Iudicent doctiores. Ego satis habeo monuisse.

1,232,c. *Ad Martis curiam*] Xyl. vertit, *Ad Martis tugurium*: hæc annotans, Sic est ad verbũ, καλιάδα Ἄρεως. Latini Saliorũ curiam appellant, vt Cicero libro 1, De diuinatione: Lituus (inquit) Romuli, quum situs esset in curia Saliorum, eaque deflagrasset, inuentus est integer.

1,232,d. *Huius in cæli regionibus describendis vsus*] In Græco est πλινθίον, vt & suprà eadem de re in Romulo. Lapus mirificè ad artificia & fundamenta detorsit: quasi verò πλινθίον laterem coctum significet, ac non potius certam figuram: quomodo etiam in re militari suum habet vsum.

1,233,a. *Ad Martiũ montẽ*] Apud Diodorum quoque, ad finem libri 14, quum hæc ipsa res describitur, ἐν τῷ καλουμένῳ Μαρκίῳ κατεστρατοπέδευσαν legitur. Liuius, *Ad Me tium* (pro Ad Marcium) *is locus dicitur*, vitio librariorum habuit: quem locum hinc restituit Sigonius. Meminit & Suidas Marcii montis, in suo Lexico. Quæ de Philotide sequitur narratio, est etiam in Romulo suprà: vbi non Tu tula est, sed Tutola. in Macrobianis libris Tutela etiam legitur. habet enim hoc libro 1, cap. 6 Saturnaliorum.

1,237,d. *Expugnatum Sutrium à Thuscis*] Xyland. habet *Satricum colonam*. Annotatque, Sic est constanter apud Liuium. hîc Σουτρίαν est inculcatum ex superioribus. Ego Liuium sequi, quàm mendum ab interpretibus retentum, malui.

1,241,a. *Pugnatũ tredecim annis à Roma capta ferũt*] Xyl. vertit, *Anno post Romam captã* XXIII. Atque in hûc locum hæc annotat, Est quidem in Græco τρισκαιδέκατῳ, id est Tredecimo, quod & Amiotus retinuit. Lap⁹ Tertio habet, nisi librarius vocem Decimo omisit. Ex Liuio, & ratione magistratuũ à Plutarcho etiam annotatorum, satis cõstat, Vigesimotertio legendum: & notæ numerorum (nam ne Græci quidem iis carebant) multorum sunt mendorum causa.

1,242,a. *M. Æmiliũ*] Xylander habet *Æmiliũ Mamercinũ*, annotans, ita legi ex Liuio, (is L. prænomen addit) & iis quæ in Numa de Mamerco & Mamercino habentur.

# IN PLVT. PERICLEM ANNOtationes Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

Ipsum exordium graue, sententiisque ex intima philosophia depromptis exornatum, Lapus parum rectè ac perspicuè conuerterat: præsertim vbi ostendit Plutarchus, quid inter nostram & eam quæ nonnullis bestiis innata est dicendi cupiditatem, atque spectandi, intersit. Senius quoque perturbatione moueri, nescio quàm sit commodè dictum: quum πάθος affectionem verius, hoc quidem loco, significet. Et quod considerationē animum ali Plutarchus dicit, eò respicit, quia perfectio & ἐνέργεια τοῦ νοῦ, est ἐν τῷ θεωρεῖν, quo modo voluntatis in agendo. Ita Cicero etiam loquutus est in Lucullo. Est enim, inquit, animorũ ingeniorũmque naturale quoddam quasi pabulum consideratio contemplatióque naturæ. Erigimur, latiores fieri videmur, humana despicimus: & quæ sequuntur. Cæterum quo tempore viguerit Pericles, non est difficile scire, quum belli Peloponnesiaci autorem fuisse compertum sit. Id autem cepit anno altero Olympiadis LXXXVII, si Diodorum Siculum sequimur. Vide Gellium quoque lib. 17, c. vlt.

1,247,d. *Est decimũ hoc volumen*] Locus hic ostendit ſ solitum Plutarchum Græci & Romani (quos inter se compararet) vitam

vno libro complecti. Ea ratione hic non esset decimus,sed quintus demum liber. Quod maximo est argumẽto,mutilum & magna parte decurtatum opus hoc ad nos peruenisse. Qua de re diximus in præfatione.

1,248:a. *Neptem Clisthenis*] De hoc cùm alii,tum in Terpsichora & Eratone copiosè Herodotus: vbi gentilitas Periclis perspicuè explicatur. Fuit autem Clisthenes hic,si Herodotum sequimur,Agaristæ huius patruus. Apposui partem genealógiæ.

Clisthenes Sicyonius
|
Agarista,multis procis petita. ——— Megacles Atheniensis, Alcmæonis F.
|
Clisthenes,qui rempub. Atheniensibus cõstituit. — Hippocrates.
|
Megacles. — Agarista. ——— Xanthippus Ariphronis F.
|
Pericles.

Fuit ergo Agarista Clisthenis ex fratre (vt loquuntur)neptis. id Plutarchus ἔγγονον vocat. quod aliâs vocabulum nepotem significare tradunt.

1,248,b. *Cephalegeretes*] Iouem Homerus νεφεληγερέτην, Nephelegeretem vocat, quòd nubes ille contrahat,& tempestatibus præsit. Ad sonum eius epitheti comicus poeta alludit, κεφαληγερέτην vocas Periclem,quasi capitonem. Iouem autem alioquin eum vocabant comici. Versus Græcos disponere, quum poemata ipsa non extent, laboriosius est quàm tutius:ideo mea libertate sum vsus. Quid autem versiculus alter, qui ex Nemesi citatur, sibi velit,non equidem intelligo. Locum esse mutilum,& reliqua ad Periclem attinentia deesse suspicatus, asteriscum adieci. μακρῶς, *longue teste* vertit Amiotus.quid legerit, aut sequutus sit,nescio.

1,248,c. *E capite hendecaclino*] ἑνδεκακλίνου, Lapus Vndeclinio. ad verbum est, vndecim (hoc est multos) flexus habens. Tale erat nimirum Periclis poetis, oblongum & incompositum. Sanè etiam apud Aristotelem περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. legitur: ἔστι δὲ καὶ κρήνη τις ἐν Παλικοῖς τῆς Σικελίας, ὡς δεκάκλινος. quod videtur mensarum aut lectulorum decem capax esse.

Diodorus Siculus libro 31, de carcere Albano, μέγεθος ἔχων οἴκου μάλιστά πῃ ἐννεακλίνου.

1,248 c. *Eupolis in Demis*] Xyl. vertit, *Eupolis in Populis*. Annotátque, Δήμοις. quod etiam In curiis potest exponi: & videtur curiatim in ea comœdia vexasse Athenienses poeta. δήμους enim, vt partes tribuum, Curias vertere, quàm vel Populos vel Oppida, malo. Nam Cicero lib. 8, ad Atticum, osten it etiam Oppida verti posse δήμους istos: sed nimirũ quum de habitatione hominum dicitur: quum de hominibus sermo est, præstat, opinor, Ciues & Curias quàm Vrbes & Oppida dicere.

1,249, a. *Zenonẽ quoque Eleatem*] Elea Lucaniæ in magna Græcia vrbs. vide Strabonem initio sexti. In vita Bruti, Pedestri itinere per Lucanos Eleam ad mare perrexit. Porrò Timonis de Zenone versus (vt ferè alios omnes) peruerse extulit Lapus. Apud Diogenem Laertium libro 9, in Vita Zenonis, paulo aliter est: pro ἀπατηλὸν, Fallax, habet ἀλαπαδνὸν, Imbecille, & non πάντων ἐπιλήπτορας, Omnium reprehensoris: sed Πλάτωνεπιλήπτορας ἠδὲ Μελίσσου, Platonem Melissumque reprehendentis.

1,250, d. *Discorũ crepitũ*] Locus hic facit ad prognosticorum naturalium defensionem, in quibus res quæ certam aliquam habent causam, certam ipsa quoque rem vel præmõstrant vel efficiunt. cuius generis sunt medicorum προγνωστικά, & tempestatum apud Aratum & Maronem præsagia, & similia. Quid autem sonitus discorum designet, non satis intelligo. Videtur quidem robur impellentis, & tenorem iactus demonstrare: cuius rei exemplum est Vlyssex lib. 8. Τόν ῥα (sub. δίσκον) περιστρέψας ἧκε στιβαρῆς ἀπὸ χειρός, βόμβησεν δὲ λίθος, κατὰ δ' ἔπτηξαν ποτὶ γαίῃ Φαίηκες δολιχήρετμοι ναυσίκλυτοι ἄνδρες λᾶος ὑπὸ ῥιπῆς. ὁ δ' ὑπέρπτατο σήματα πάντων. Nam quod ex Pollucis libro 9, Erasm s hoc ad vraniam refert, quam fidem mereatur, in Commentariis Homericis docui. Est enim Vrania pilæ lusio: quum discus pila non sit, sed lapis molæ ferè instar formatus, rotundus scilicet, non globosus: in cuius medio per foramen traiectus erat funis quo circumageretur & proiiceretur. Nisi fortè disci sonitu signum dabatur exercitationum, vt ad eas qui vellent, se conuerterent: cuius rei apud Ciceronem haud procul initio libri De oratore secundi, est mentio.

1,251, c. *Detrahunt enim familiaritates illæ &c.*] Sententia est satis obscura: ostendit autem, quotidiano conuictu assiduáque conuersatione autoritatẽ amitti. Similis locus est etiam in vita Pompeii.

1,251, d. *Cætera per amicos transigebat & oratores familiares*] Aliis legit Lapus, nõ *Sociis*: ἑταίροις, non ῥήτορσι. Nostram lectionem retineo cum Amioto: etsi parùm interest. De Salaminia naui dicam in Alcibiade.

1,251, d. *Vt ait Plato*] Libro De republica VIII: vbi elegantissimè disputat quomodò Democratiæ abusu res ad tyrannidem deuoluantur.

1,252, a *Vt diuinus Plato ait*] Locus est in Phædri penultima pagina.

Ibid. b. *Tonare enim*] Cicero in Orat. ad Brut. Cr.

1,252, d. *Vt quum tanquam lemã AEginam iubet à Piræeo auelli*]

Xyl. vertit, *Quæ iussit AEginā tanquā oculis Piræei officientē auferri*] Sicque in hunc locum annotat: Λήμην τοῦ Πειραιέως, Lemam Piræei, seu lippitudinem: quanquam λήμη non lippitudo verè est, sed lippitudinis causa: scilicet humor aliquis in oculo concretus. itaque quum proprium deesset vocabulum, vtcunque sensum extuli: translationis tamen vi (vt puto) non admodum imminuta. Est enim in hoc dicto metaphora seu translatio, ἐξ ἀναλογίας, vt lib. 3 Rhetor. Aristoteles docet, c. 10.

Ibid. *Prætorem, Sophocle*] Cic. De offic. lib. 2. Cr.

1,253,a. *Thucydides*] Locus Thucydidis est l. 2.

1,253,b. Ad *Sportulas theatrales*] Xyl. *Ac pecunia publicæ (quæ à spectaculis quibus impendebantur, theorica dicuntur) distributionem &c.* Sic dicebantur pecuniæ quæ Panathenaicis & Dionysiacis feriis populo ex ærario tribuebantur, vt spectare ludos conducto in theatro loco, & sacrificia obire etiam, tenuis fortunæ ciues possent. Vide Suidam & Hesychium, & Libaniū in primam Olynthiacam. Est autem θεωρεῖν, Spectare. Mentio horum est etiam infrà in Aristida.

1,253,c. *Dæmonidis Iensis*] Τοῦ Ἰνῆθεν. OEteum Lapus fecit, nescio quid sequutus. Amiotus ex Insula Io ortum censuit. ego opinor (nam nihil nisi coniecturam affero) δῆμον, hoc est curiam, aut pagum aliquem Atticæ patriam eius fuisse, Iam fortè, aut Ias, aut simile.

1,253,c. *Nec archon, nec thesmothetes*] Nomina sunt magistratuū Atheniensibus propriorum: & quæ non vertere quàm peruertere præstat. non enim video quæ Latina vocabula iis verè & propriè respondeant. De Areopago in Solone dicta sunt ab autore satis multa: quibus addi possunt quæ sunt apud Isocratem in oratione de eo consilio scripta & alios. Archontes Athenis nouem fuerunt qui rempublicam administrarent, quasi prætores. Ex his vnus Eponymus dicebatur: de quo in Aristida. Sex alios legibus quotannis corrigendis, totóque anno curandis destinatos fuisse, Suidas ex aliis & AEschinis cōtra Ctesiphōtem oratione affirmat: qui Thesmothetæ dicerentur. Rex autem, βασιλεὺς, quid officii habuerit, ex fine Acharnensium Aristophanis & Scholiasta eius apparet. Ibi Dicæopolis, quasi victor certaminis, vtrem victoriæ præmium sibi tradi postulat, eoque nomine regem inuocat: *rex vbi est? Mihi tradite vtrem.* Ibi Scholiastes: Indicat, inquit, hoc loco, regem certaminum quæ Choarum, seu libationū, festiuitate edebantur, procuratorem fuisse, vtrémque victori præmium dedisse. Est autem rex, magistratus quidam, mysteriorum, pomparum & sacrificiorum curam gerens. Hæc ille. Ergo regem sacrorum, aut regem sacrificulum dicere licet, de quo alibi. Sanè in Solonis vita, vbi de Areopagitis disputatur, verba cuiusdam legis referuntur quæ indicare videantur, eos reges etiam in prytaneo de grauibus causis iudicium tulisse. quò fortassis hic respicitur. Lapus omisit hunc magistratum, quòd (vt existimo) non intelligeret eius officium, & reges Athenis Periclis tēpore non præfuisse cogitaret. Certè & Suidas in voce ἄρχων, quatuor hæc magistratuum nomina, vt hîc noster autor, coniunxit. Restat Polemarchus. quem Prætorem peregri-

num vertissem nisi nouum hoc & inuidiosum ob nouitatem futurum metuissem. Sanè haud absimilis ratio eius fuit. Siquidem (vt ex Suida & aliunde patet) & ipse vnus de nouem istis prætoribus seu archontibus fuit, atque inquilinis, vt reliquis ciuibus, ius dixit. alioquin etymon indicat, belli præfectum etiam fuisse: quod genus Polemarchi etiam Spartanis fuerunt. Hæc, vt omni munere fidelis interpretis perfungerer, annotanda semel duxi: quum plerique omnes interpretes aut non animaduertissent, aut oscitantes in similibus locis fuissent. Qui plura volunt, ex Suida, Harpocratione, Græcisque aliis interpretibus petant.

1,254,a. *Qui in manipulo se tribulium suorum centuriauisset*] ἔθετο μετὰ τῆς φυλετῶν εἰς λόχον τὰ ὅπλα. Obscuriusculum est hoc, neque à Lapo expressum. in Cimone planius dixit, μετὰ τῶν ὅπλων ἧκεν εἰς τὴν αὐτοῦ φυλὴν Οἰνηΐδα, &c.

1,255,b. *Itaque aduersarium ei obiecerunt affinem Cimonis, moderatum virum, Alopecensem Thucydidem*] Exponam hunc locum, qui me aliquando vexauit torsitque: & (vt opinor) non omnes hanc rem statim rectè suo marte intelligent. Id primum obiter monendum duxi, κηδεστὴν non modò (vt vulgo putatur) Socerum: sed & quocunque modo vel Affinem, vel Agnatum Græcis significare: sicuti & γαμβρὸς non tantùm Generum, sed etiam Sororis maritum significat, & πενθερὸς Affinem. neque id absque omni ratione, vti aliâs ostendimus. Iam in vita Cimonis Plutarchus tradit, fuisse materna ab origine coniunctum Cimoni Thucydidem: & quidem ibi disertè additur, scriptorem historiarum: quod ipsum & Suidas & quicunque alii vitam eius autoris scripsere, haud obscurè annotauerunt. Potuit hoc in eam suspicionem perducere hominem minus attentum, historicum Thucydidem eum esse de quo hic autor loquitur, nempe qui in republica aduersarius Periclis fuit. Accedit eò quòd & hunc ipsum historiæ parentem exilio mulctatum fuisse, multi graues autores tradiderunt. Cicero libro De oratore secundo, à repub. remotum & in exilium pulsum, scripsisse suos libros testatur. Idem est apud Plinium lib. 7, cap. 30, apud Pausaniam in Atticis, apud Dionem libro Histor. Rom. XXXVIII: apud alios. neque ipse hoc dissimulauit. Fuisse aduersarium Periclis, opinari potuit: qui & cognationem illius cum Cimone (qui à Pericle grauiter oppressus fuit) reputaret, & æquales in eadémque ciuitate versatos fuisse cogitaret: quod quidem posterius est extra omnem controuersiam, & plurimum ad hunc errorem facit. Porrò Plutarchus hîc, vbi de Thucydidis cum Pericle certaminibus & exilio loquitur, Milesii patris nomen non addidit: vt tam facilè hunc ab isto diuersum quàm cum scriptore historiæ eundem fuisse, suspicari quispiam potuerit. Nam curiarum in Cimonis & Periclis vita additam distinctionem non aduertisse, aut non intellexisse, vulgare fuerit. Verùm mihi hoc ipsum primùm altius cogitandi occasionem dedit. Nam historicus, Alimusius in Cimone Plutarchi, ínque vita sua in inscriptione columnæ cuiusdam dicitur. Est verò Alimûs Leontidis tribus curia. Is autem de quo in præsentia sermo nobis est, Alopecensis curia perhibetur: hoc est, tribu Antiochensis: siquidem

Stephano & aliis credimus. Sunt ergo diuersi, vtut nomen & exilium commune tulerint. Ratio autem temporum hoc ipsum demonstrat, quum post pugnam ad Amphipolin se in exilium abiisse, libro 5, Thucydides scribat, mortuo pridem Pericle. Thucydidem autem Periclis aduersarium, eundem cum Milesii F. suprà nominato esse, & historia innuit, & demonstrat Scholiastes Aristophanis in Vespas, ad versum, Ὅπερ ποτὲ φεύγων ἔπαθε καὶ Θουκυδίδης, *Quod exulanti olim accidit Thucydidi.* vbi quidem & quatuor Thucydides enumerat, & hunc Alopecensem Milesii (historici verò pater Olorus, seu Orolus, vt Marcellinus in vita Thucydidis, etiam teste Didymo, contendit, notus est) filium fuisse docet. Atque huius Thucydidis Milesii F. in fine Theagis, initio Lachetis, & in Menone, meminit Plato: etsi Μιλησίου falsò legitur, vt persuasum habeo, pro Μελησίου. Quod addendum vtique fuit, vt Μελησίου suprà intelligas non gentile esse, sed υἱοῦ vocabuli vsitata omissione prolatū. nam id ambiguum more suo Lapus reliquit. Amiotus omnino Milesium fecit, id est Mileto oriundum: non rectè. Initio Niciæ etiam huius, vt optimi & suorum amantissimi ciuis, fit mentio.

1,255,d. *Octo menses ara merens*] Xyl. vertit, *Octo minarum mercede conductorū.* Sicque annotat: Est quidem in Græco ὀκτὼ μῆνας ἔμμισθοι. Verùm Lapus legit non μῆνας, sed μνᾶς: non Menses, sed Minas. Me ratio mouit. Quid enim attinebat ad octo menses conduci, & stipendium non exprimi? quum quidem quotannis istæ triremes emitterentur.

1,256,a. *Sybaris, quos appellauere Thurios*] Ratio huius rei & historia extat elegans apud Diodorum Siculum l. 12.

1,256,b. *Neque vulgari videri Græciā affici iniuria*] Mirū quàm ineptè hæc Lapus transcripserit. neque enim animaduertit verba hæc esse calumniatorum, siue accusatorum Periclis. Et qui in margine annotauit, quo lucem scilicet versioni Lapi adferret: (*Loquitur de Atheniensibus, quibus se adnumerare videtur*) absurdum absurdo auxit. Nō enim hæc à Plutarcho, sed (vt dixi) à Periclis inimicis dicuntur. quod in promptu est videre siquis eruditus verba Græca inspiciat. Mutationem autē personarum, & obliquæ orationis in directam qui ignorant, non sanè video quî se excusare possint: quū nihil Latinis & Græcis facundis autoribus sit magis vsitatū. Mox est ναοὺς χιλιοταλάντους: Lapus perinde ac si ναῦς esset scriptum, pro templis naues dedit.

1,257,b. *Lapicidæ*] Xyl. vertit, *Textores*. Annotátque: λιθουργοί. Lapus, *lapidarii*. at lapicidæ suprà sunt nominati. Suspicor λινουργοὶ legendum, propter vela & alias res non nauibus modò & curribus, sed & hominib' ea tractantibus vtiles. itaq; & Sutores posuit.

1,258,a.: *Hecatompedon parthenona*] Xylander vertit, *Parthenonem hecatompedum:* (*virginis templum centum pedes: vndique patens Latinè dixeris*). sic ibi annotans, Hæc quidem interpretatio est etymo vocis cōsentanea. & Eustathius Iliad. ψ, versum hūc exponens, Ποίησαν δὲ πυρὴν ἑκατόμπεδον ἔνθα καὶ ἔνθα, ait ἑκατὸν ποδῶν ἔχει ἑκάστην πλευράν. cui adstipulatur Varinus. Suidas enim non à magnitudine, sed pul-

chritudine & concinnitate dictū ait: de quo ipse viderit. Fanum fuit Mineruæ. meminit Pausanias libro 1: Plinius lib. 34, cap. 8, nomine Parthenonis, vt & Plutarchus infrà in Demetrio. Per virginem autem, notari deam Mineruam apud Athenienses, omnibus constat.

Ibidem b. *Xypetius Metagenes*] ὁ Ξυπέτιος. *Oxypetius* malè Lapus. Xypeta curia est Cecropidis tribus, autore Steph.

Ibidem b. *Odeū*] Lapus Orchestram vertit, non quidem adeò malè, sed minus tamen propriè. Græcum ego relinquendū duxi, quum eo etiam Latini scriptores vtantur: Cicero ad Atticum lib. 4: Suetonius in Domitiano. Locum fuisse choris & cantilenis destinatum, ipsa vox ostendit, & verba paulo pòst sequentia. pro quo imperitè apud Suetonium librarii, & apud Xiphilinum in Adriano Merula, Methodium supposuisse videntur.

Ibidem e. *Arcis absoluta propylæa*] Xyl. vertit, *Vestibulū arcis*: sicque annotat: τὰ προπύλαια, Propylæa, Vestibulum puto verti rectè posse. Sanè Cic. lib. 2 Offic. Græcum vocabulum, hac ipsa de re loquens, retinuit.

Ibidem d. *Minerua in somnio*] ἡ θεὸς, vt sæpe aliàs, κατ' ἐξοχήν. herba autem, Parthenium, vel Perdicium, fuit Pericli ab ea demonstrata. Vide Plinium lib. 22, cap. 17.

Ibid. d. *Phidias signū Mineruæ aureū fecit*] χρυσοῦν ἕδος. Nam & Pollux videtur testari initio libri 1, & testantur Eustathius, Hesychius, Varinus, aliique, ἕδος interdum esse ἄγαλμα. atque ita in Aristide Plutarchus vtitur de Mineruа Plataica, ἕδος ἵστησαν. In Coriolano, de fortuna muliebri, pro Puluinari, quæ diis sacra passim à Liuio & aliis commemorantur, posuisse videtur. & quod hic ἕδος, id pòst de Phidiæ calamitate, ἄγαλμα dicitur.

Ibidem b. *Vt Plato ait*] In Phædro & Gorgia. Locus Thucydidis est libro 2.

1,261,c. *Ceterùm hæc abhorrebant omnia ab Anaxagoræ sapientia*] Sensus non est obscurus, sed mutilus in Græco locus, non varius.

1,262,a. *Ibi Anaxagorā aperto capite*] Xyl. vertit, *Tū Anaxagorā reductā veste &c.* Annotátque: ἐγκαλυψάμενον: vt ante συγκεκαλυμμένον, Velato corpore. Lapus Expirantem verterat.

Ibidem d. *Tolmidem Tolmæi*] Is enim in Laconicam incursiones fecerat, Cephaleniam occuparat: & rebus satis prosperè succedentibus, tandem ad Coroneam fuit à Bœotis maxima Atheniensium clade victus & cæsus cum exercitu. Diodorus libri 11 fine, & 12 initio ferè. Meminit Thucydides libro 1.

1,264,d. *Mox Megarenses ad arma nunciatū est iuisse*] ἀπηγγέλλοντο Μεγαρεῖς ἐκπεπολεμωμένοι. Legendum arbitror ἐκπεπολεμωμένοι, Bellum mouere decreuisse. Lapus diuerso sensu, *Megarenses ciuitate exactos*: quasi verò ἐκπολεμοῦσθαι, passiua quamuis inclinatione, id significet. Thucydides hac de re loquens lib. 1, Megarenses ait Corinthiis, Sicyoniis, & Epidauriis adscitis, ab Atheniensibus defecisse, præsidiúmque eorum obtruncasse. vt videas quàm rectè Lapus intellexerit, aut quàm de re solicitus fuerit. Et quidem paulo pòst

iterum dixit Plutarchus eodem modo, ὡς ὅσιν οὐδέπω Πελοποννησίων ἐκπεπολεμωμένων πρὸς αὐτούς.

1,266,b. *Fœmináſque ad audiendã eam duxerunt familiares*] Xyl. vertit, *Et mulieres ad eam audiendã mittere ſolebant propinqui aut parentes*: Et annotat: Locus in Græco eſt mancus. diuinaui igitur.

1,267,a. *De quo in Demis Eupolis*] Δημοσίοις. Lego Δήμοις: ſicut & ſuprà citatur hæc comœdia, & apud Athenæum aliquoties. Lapus errorem Græci codicis retinuit. Vbi eſt Pyronides, fuit haud dubiè Myronides. Paulo pòſt, de Phocæa Phocenſem fecit Lapus: de AEolica Parnaſiam ſcilicet.

Ibid. b. *Precibus adductũ Aſpaſiæ Periclẽ ſuaſiſſe*] Thuc. lib. 1. Cr.

1,270,a. *Quando anus es, vngi minus tibi conuenit*] Xyl. vertit, *Ne corpus vnguẽtis anus tuũ linas*. Annotátque: Ne hîc quidem quicquam niſi coniecturã attuli. Exiſtimaui autẽ ſenſum huius Archilochii carminis eſſe: nõ eſſe mulieri, iam prouectæ præſertim ætatis, de rebus geſtis & adminiſtratione rei publ. iudicandum aut diſputandum. Hoc modo alii etiam verſus Homericos vſurparunt. Fuiſſe autem iam tum vetulam Elpinicen, & ex temporum ratione, & ex Plutarchi loco, vbi de eius pro fratre apud Periclem deprecatione dixit, liquet: & Horatius quidem haud abſimili modo vetulam quandam reprehendit, 3, Od. 15.

1,273,a. *Hoſce verſus Ariſtophanis*] Extant in Acharnenſibus. Ibidem diſertè commemoratur decretum in Megarenſes factum, de quo pulchram hiſtoriam habet Gellius lib. 6, cap. 10. Citat & Athenæus libro 13, eoſdem verſus: quo ex loco apparet, non duas Aſpaſias (id quod Ariſtophanis cõmentator, & eum ſequutus Suidas tradunt) raptas fuiſſe: ſed duo ſcorta, quæ ab Aſpaſia, nempe lena, quæſtus cauſa alebantur. Nam in Græco Ἀσπασίας ambiguum eſt, quum & genitiuus ſingularis & accuſatiuus pluralis eſſe poſſit. Sed id poſterius loco non conuenit admodum, quum Plutarchus (vt & in Ariſtophane Florentino eſt) πόρνα ſcripſerit duali numero, cui malè cohæret plurale Ἀσπασίας. Neque tamen non annotaui huiuſmodi apud Homerum & alios multa exẽpla: ſed (ne quid aliud dicam) Ἀριστοφάνειον hoc non eſt. & verò Athenæus Ἀσπασίας πόρνας legit, vbi prius genitiuum ſingularem eſſe, ipſe etiam intellexit. Poſtremum verſum arbitror à Plutarchiano librario omiſſum: addidi ex Ariſtophane, ſicut & Lapus.

1,273,a. *Violatæ religionis*] ἀσεβείας. Lapus, *lenocinii*, neſcio quid ſequutus. Eſt quidem & apud Athenæum in hac hiſtoria, γραφὴ ἀσεβείας: & lenocinii crimẽ auctuarii loco priori acceſſiſſe, Plutarchi verba palàm demonſtrant.

1,273,b. *Apud Prytanas*] Senatus Athenienſis ex quingẽtis perſonis conſtabat. decem enim erant Athenis tribus: ex his quinquageni delecti, ſenatum quingẽtûm virorum conſtituebant. Ex hoc ſenatu quinquaginta vnius tribus (vt ordo ferebat) viri, decimam anni lunaris partem omnia ſenatus munera obibant: hoc eſt, per dies xxxv, tum alii, atque deinceps alii, decem: vt ſingulis annis per omnes tribus circumiret ea adminiſtratio, quum quidem quatuor reliqui dies (nam annus lunaris CCCLIIII diebus conſtabat) in quatuor tribus ſinguli diſ-

tribuerentur. Et ii quinquaginta, quibus tum sorte tempus illud administrationis obtigisset, prytanes vocabantur. Hæc ferè ex Suida. Morem verò ab ara iudicium ferendi, etiam suprà in Themistocle commemorauit, vbi de honore ei à Græcis ob victoriam Salaminiam habito scripsit. Iuratum & quasi sacrum iudicium intelligi debere, ibi dixi.

Ibidem d. *Iusserunt iis piaculũ eiicere*] Locus Thucydidis est libro primo. Intelligitur autem Cylonium piaculum, de quo extat & in Solone Plutarchi historia. Porrò autem Periclis mater à Megacle Alcmæonis F. genus trahebat, qui eius facinoris autor fuit. id suprà est demonstratum.

1,274,d. *Cur ferre Satyrũm rex &c.*] Versus mei sunt anapæstici, trimetri, acatalectici, excepto vltimo qui est catalecticus. Sicubi non satisfeci lectori, sciat me mihi quidem ipsi satisfecisse: sunt enim Græci versus obscurissimi. Teletem videtur innuere hominem timidum: sed de quo nihil compertum habeam. Bipennes sermonum ad vim dicendi referuntur: nisi fallor. quo modo Demosthenes Phocionem solebat suorum κοπίδα sermonum nominare, quòd quæ ipse proposuisset, ea Phocion breui, sed vehementi, oratione refutaret, ac quasi diffinderet.

1,277,d. *Qui venditi sunt*] ἐπράθησαν. Sed profectò mihi locus hic suspectus est: neque, tum prætertim, venditos, sed numero ciuium eos exclusos spurios existimauerim.

1,279,a. *Dum locũ quẽ incolere deos aiunt*] Locus est libro 6 Vlyssea Homericæ, ad quem hic alluditur.

## IN PLVT. FABIVM ANNOtationes Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

Q. Fabius Maximus quo vixerit tempore, non est obscurum. nihil enim bello Punico secundo, quod & Annibalicum dicitur, notius est atque insignius. Liuius libro 30, ostendit mortuum duobus Seruiliis Coss. anno V.C. DLI.

Ibidem d. *Ex nympha memorant &c.*] Initio statim Guarinus impingit, quum Fabium Maximum nymphæ filium facit: neque animaduertit loqui autorem de Fabio qui ex Hercule & vel nympha vel Latina muliere natus Fabiæ stirpis autor fuerit.

1,280,a. *Quia fossis feras capiebant*] Quis huius etymi sit autor, non scio. Sanè probabilius est quod habet Sext. Pompeius, Fabios antiquitus Fouios dictos, quòd princeps eius gentis ex ea natus sit cum qua Hercules in fouea concubuit: vel quòd primus ostenderit quemadmodum vrsi & lupi foueis caperentur.

1,280,a. *A Rutiliano*] Xyl. vertit, *A Fabio Rullo*: atque hæc in eum locum annotat: Ῥυλλίου est in Græco. Itaque Guarinus Rylaum finxit. Ego sequutus sum Plutarchum, apud quem in Pompeio, vbi de Maximi & Magni cognomentis disputatur, Ῥούλλου rectè

legitur pro eo quòd hîc est mendosè Ῥυλάου. Historia est apud Liuium in fine libri noni. Neque sum nescius, què Plutarchus Rullum dixit, eum apud alios Rullianum: apud quosdam, sed vitiosè, puto, (tametsi hîc correctorem Guarinianæ translationis videatur Amiotùs sequutus) Rutilianum legi. Sed (vt dixi) Plutarchi hos locos ego sequor.

Ibidem b. *Quam securitatem alii rebantur*] Xyl. vertit, *Non socordem se*. Annotátque: In Græco est εὐπραγίαν. quod non sanè video quid hîc loci habeat. Vtique ἀπραξίαν, aut δυσπραγίαν, aut ἀπραγίαν, mallem. Quæ de oratione Fabii sequuntur, omnia sunt peruersa à Guarino.

Ibidem d. *De Liguribus*] Λιβύων. Sed est legendum Λιγύων, quod & interpretes senserunt, & historià docet. Simile mendum erat in Pertinace Xiphilini, & in aliis locis.

1, 282, a. *Ad huius primũ nunciũ cladis prætor Pomponius*] Vterque enim consul ad bellum exiuerat: itaque prætor munus consulare sustinebat more maiorum, cuius & alii meminerunt, & Cic. lib. 10, epist. ad Plancum.

Ibidem b. *M. Minutio*] Hic est in Græco Ἀβουκίου, β pro μ: infrà Μαρκίου, pro Μάρκου. Marcum & Liu. constanter vocat.

1, 283, à. *Vouit diis immortalibus quod eo anno ver attulisset ex caprino, &c.*] Hic vnus est de iis locis qui interpreti suscepti muneris sedulo scrupulos iniiciant, capútque scabere & vngues rodere iubeant. Faciamus saltem quod possumus. Votum hoc fœtoræ, aliàs Ver sacrum appellatur Liuio. vt in hac ipsa historia, lib. [illegible], & alibi. & libro 34: Ver sacrum videri, quòd natum esset inter Kalend. Martias & pridie Kal. Maias. Ita Nonius quoque & Festus. Iam quod ad summam pecuniæ eius quæ in ludos votos impendenda statuitur, attinet, Guarini versionem omitto: quam Budæus, hunc ipsum locum libro præstantissimi De asse operis tertio tractans, eo nomine reprehendit quòd τριτημόριον tertiam partem verterit. Ego (quod saluo Budæi honore dixerim) ambiguè magis quàm falsè vertisse Guarinum censeo: quod non addiderit quò ea tertia pars respiciat: hoc est, totiúsne summæ (vti Budæus accepit: ideóque improbat) an verò denarii tertiam partem significet τὸ τριτημόριον. Ac tametsi rectè Budæus ex Plutarcho ostendere videatur, posterius hoc esse intelligendum: eadem tamen ambiguitas restabit, si pro tertia parte reposueris trientem. Nam & triens de totius summæ tertia parte tam intelligi potest quàm de triente denarii. Ego, addito vno vocabulo, eam declinaui. Alioqui Plutarchi interpretibus allucinari, & omnes rationes conturbare in vertendis pecuniæ summis, nouum non est: ídque nos annotare non semel coacti sumus. Restant tamen alii adhuc scrupuli. Plutarchi summæ inter se quadrabunt si illud σηστερτίων non per sestertios nummos, sed per sestertia (sestertia quum dicuntur, milleni sestertii nummi intelligi debent: hoc est libræ seu minæ sestertiæ, vel millia æris; duo cum dimidio: qua de re alibi) exponas: id quod ipse feci, casuum mutatione ambiguitatem euitans, quæ in Græco apparet. Nisi quis inde solui dubium dicat quòd σηστερτίων tanquã maior summa, ante δηναρίων,

vt minorem, posita est. Vnum (ita dicere liceat docendi causa) sestertium, ducentos & quinquaginta denarios, seu, quod idem est, drachmas valet. ergo 333 sestertia, erũt 83250 denarii. Adde iam his 333 denarios, & trientem, (hoc est, duos obolos, seu vnum scrupulum, drachma enim tres scrupulos, scrupulus duos obolos continet) erit summa denariûm 83583⅓, ad vnguem ita à Plutarcho annotata. quam & ipse eodem modo expressi, solitus aliàs Latinum morem in summis pecuniæ concipiendis seruare. Sed hìc omnino ad ternarii numeri mysterium erat respiciendum, (id quod & ex Liuio apparet, vti mox dicam) cum quo nihil admodum commune erit summæ huic, si omnia vel ad denarios vel ad sestertios nummos redigantur. Enimuerò Plutarchi summa cum Liuiana minimè conuenit. Eiusdem, inquit, rei causa ludi magni voti æris c c c x x x i i i millibus, triente. Hic operam & sententiam doctissimi Sigonii desidero, qui infinitos Liuii locos restituit. Nam mihi non minus quàm ante me Budæo, locus est suspectus. Budæi quidem emendatio scita esset, eo quòd præclarè mysterium ternarii continet, (sic autem suspicatur legendum: c c c x x x i i i millibus c c c x x x i i i assibus triente) si vel cum Plutarcho conueniret, vel aliqua autoritate scriptoris aut codicum confirmaretur. Itaque eam in medio relinquam. In ea quæ extat Liuiana summa, si locus sit integer, quæso quid sibi vult triente? non est enim minus Guariniano illo ambiguum, quum aut ad totam summam, aut ad mille æris, aut (quod vix fieri possit loco non manco) ad assem referendum videatur. Sed agedum (quando in hanc tractationem ingressi sumus, neque nobis indignam, neque lectori, opinor, φιλομαθεῖ iniucũdam) Plutarchi summam ad millia æris reuocemus, vt quid intersit videamus: quo nihil est expeditius. Nam sestertia cum millibus æris collata, proportionem constituunt sesquitertiam seu sestertiam, qualis est quinarii ad binarium: eo quòd in vno sestertio nummo insunt duo asses & semis. Itaque totum mysterium ternarii iacebit. Et vt maximè credo id (c c c x x x i i i assibus) Liuianæ summæ inserendum: ita neque hac tamen neque vlla (quam ipse videam) alia ratione Plutarchi cum Liuio summa còmponetur. Restat vt aut alios sequutum autores Plutarchum dicamus, aut lapsum in Liuiana summa vertenda: hoc est, ignorasse quid inter millia æris & sestertia differret. quorum alterum in eam difficultatem incidit, quòd haud facilè tũ tẽporis summas per sestertia conceptas fuisse dicidi potest: alterum dicere, hominis est impudentis, ac de Plutarchi eruditione sinistrè iudicantis, qui sanè in Camillo satis demonstrauit (vt alia loca prætercam) scire se quid assis, mille æris, denariúsque essent. Itaque ἐπέχω: & hortor doctiores, vt, siquid habent, promant: mea candidè protuli. Porrò autem Liuius magnos ludos votos fuisse scribit, noster θέας μουσικὰς καὶ θυμελικάς: quæ ego Spectacula & musica certamina verti, quòd non putem magnis ludis hæc quadrare. Scenicos fortasse licuit vertere, (de quibus Liuius præclarè initio septimi) quũ in Sylla etiam θυμέλην pro scenico pulpito vsurparit, atque e-

tiam alii ita sumi testentur. Neque tamen peccasse me in vertendo ne sic quidem arbitror: quando etiam Terentius suam artem, Musicam vocat. Hoc ipsum argumentum esse possit, Plutarchum non ex Liuio sua descripsisse. De ternario hîc disputare nihil attinet. Hæc Xylander. Cruserius quum vertisset, *Simul ludi magni voti* CCCXXXIII *millibus nûmûm, &* CCCXXXIII *denarius triente:* Ita (inquit) locus est emendandus: alioqui non constabit sibimetipse Plutarchus.

1,286,b. *Cuius rei autor & fax Metellus præcipua fuit*] Xyl. vertit, *Instinctu maximè Metilii.* Annotatq; : Μετιλίου in Græco constanter est: interpretes Metellum ex Liuianis libris supposuerunt. Ego Sigonium laudo, qui Metilium legi debere monuit.

1,288,c. *Comprobauitque philosophorū placitū*] Sententiam val de elegantem non rectè extulit Guarinus. Est autem germana Menandri ei versiculo noto, & quo apud Lucianum Iouem consolatur Mercurius: Οὐδὲν πέπονθας δεινὸν ἂν μὴ προσποιῇ: Nil passus es mali, si dissimulaueris.

1,290,a. *Tum percusso femore*] Gestus est grauiter indolentium & indignantium: vt apud Homerum de Marte (si rectè memini) filii necem compeniente, -- καὶ ὢ πεπλήγετο μηρώ. Sic & in vita Pompeii de piratis, qui metuere se ob captum Romanum sibi simularent, τούς τε μηροὺς ἐπαίοντο: & de Pompeio legis Maniliæ nuncium accipiente, ὀφρῦς λέγεται συναγαγεῖν, καὶ τὸν μηρὸν πατάξαι. Pro eo Cicero Frontem ferire videtur dixisse, ad Atticum lib.1, & notus est locus Ciceronis pro Q. Gellio, vbi M. Calidium ei atrocia crimina obiicientem ita redarguit: Nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons non percussa, non femur: pedis, quod minimum est, nulla supplosio. Ex Ciceronis Bruto, & Quintiliano lib.11, cap. De pronuntiatione.

1,291,a. *Quum signa tolli imperasset*] αὐτοὺς ἀρθῆναι lego cum interprete, pro αὐτούς: quod nihil valet.

Ibidem c. *Quorū primi Fabii artibus*] Non sunt hæc de alterius anni consulibus intelligenda: sed de Cn. Seruilio, & M. Attilio qui in C. Flaminii locū suffectus post Fabii dictaturam, reliquum anni consulatum gessit. Hoc ex Liuio, Appiani Alexandrini Annibalico & ratione temporum liquet: obiterque monendum duxi ne quis secus accipiens scrupulum sibiipse iniiceret.

1,292,a. *Eo quòd indicio publico damnato lis æstimata fuerat*] L. AEmilius Paulus cum M. Liuio Salinatore consul annis antè tribus fuerat, & damnatione collegæ & sua propè ambustus euaserat. Liuius lib.22. Apparet autem ex Frontini lib.4, ob prædam non æqualiter militibus diuisam id iudicium factum

1,293,d. *Qui historias fusius prodiderunt*] διεξοδικὰς ἱστορίας: id est, eas in quibus non capita tantùm rerum, sed singula ordine & accuratè exponuntur. Guarinus peregrino sane sensu, Peregrinas dixit.

1,294,c. *Barcam Pœnū*] Liuius habet Maharbalem. Cr.

1,296,a. ἀγέρωχους] Frequens apud Homerum epitheton. vt Iliad. β, --- Ῥοδίων ἀγερώχων. & in decimo: -- Μυσοί τ' ἀγέρωχοι. Ibi Scholiastes, ἀγέρωχοι, αὐθάδεις, θρασεῖς. ἔστι δὲ ὅτε δηλοῖ

ἡ λέξις τοὺς ἄγαν αἰδρείους καὶ ἐντίμους, παρὰ τὸ ἄγαν αὐτοὺς ἐπὶ τῷ γέρας ὀχεῖσθαι. quod ipsum inter alias explicationes etiam Eustathius recepit. Id sequutus sum, vt huc maximè quadrans. Est & apud Ioannem Zezem in Alpha, Chil. 1 x, 257.

1,297, a. *Blandè agendo censebat*] De Fabii lenitate in corrigendis delictis, Valer. Max. lib. 7, cap. 3. Cr.

Ibid. c. *Piros syluestres*] ἀχράδας. Est autem ἀχρὰς, Pirafter, cui opponitur ἄπιος, Pirus, hoc loco, vt & aliàs & apud Stephanum in Ἄπία. Amiotus Guarini errorem sequutus est, qui malum malè vertit.

1,298, a. *Tarento hac ratione potitus est*] Docet & Liuius quomodo Taretum receperit: Dec. 3, lib. 7. Cr.

1,299, d. *Atque in his quidem longè videtur*] Contrà de his Liuius. Cr.

1,300, a. *M. Liuius, quo præfecto Tarentū Annibali proditū fuerat*] Λεύκιος est in Græco, Luci^9: quod quum sit prænomen, quis non videat mendum esse? Sed M. Liuius Salinator hîc indicatur: éstque hæc res non ex historicis modò, sed & Ciceronis Catone maiore notissima, vt mirer Guarinum non animaduertisse.

Ibid. b. *Ridens hic Fabius*] Cicero De oratore lib. 2, de ridiculis. Cr.

Ibid. *Fabio pop. Rom.*] Liu. Dec. 3, lib. 7. Cr.

1,300, d. *Fabii proauū*] Q. Fabium Rullum (vt suprà dixi) Maximum quinquies consulem fuisse, ex Liuio etiam patet: sicut & de tribus eius triumphis constat. Filio autem Gurgiti legatus fuit bello Samnitico; Liuius lib. 11, alii. Quod de triumpho hoc scribitur, est etiam apud Valeriū lib. 5, cap. 7.

1,303, b. *Præter veru minutū ferreū*] Obeliscus Latinè significat Paruum veru, seu (vt Plinius loquitur) Veruculum. Fuisse pauperrimum, & delectatum sua paupertate Epaminondam, multis autoribus traditum est: sed nullam, vno excepto veruculo, in domo eius fuisse supellectilem, credere durum est &, vt puto, stultum. Itaque obeliscum non conuerti, sed Græcam vocem reliqui, qua alio significatu vtuntur etiam Latini. Hic ego ferreum nomisma minimi pretii intelligo, & facilè meam sententiam videor tueri posse Plutarchi ipsius testimonio, cuius ex vita Lysandri verba apponam: καὶ συνδοῦσι δὲ τὸ πάμπαν ἀρχαῖον οὕτως ἔχειν, ὀβελίσκοις χρωμένων νομίσματι σιδηροῖς, ἐνίων δὲ χαλκοῖς, ἀφ' ὧν παραμένει πλῆθος ἔτι νῦν τῶν κερμάτων ὀβολοὺς καλεῖσθαι.

Ibid. *Non attigit vinum ex. b.*] Valer. Max. l. 1, c. 2. Cr.

1,304, b. *Nam ipsum quidē Capuā Fuluius & Appius cōsules subiugauerunt*] οἱ περὶ φεύγειν: scribendum Φούλβιον. Sed Guarinus mendum sequutus est, historiæ contrarium: eúmque Amiotus. Capuam à Q. Fuluio Flacco & Appio Claudio procōsulibus, id est, qui superiori anno consules eam obsederant, receptam esse, cum omnes historici, tum præcipuè Liuius lib. 26 demonstrat.

1,305, c. *Ad sex talenta*] Captiuorum quos sua pecunia redemerit Fabius, numerum Plutarchus suprà retulit C C X L, Liuius V I I addit. Redemptos singulos C C L denariis, inter eos conueni: ita fiet vt præcisè decem talenta impensa sint pro eis, si Plutarchi-

anum numerum tenemus: non sex tantùm, quod hic mendosè fortaßis legitur. quippe sexaginta libræ, seu pondo, seu minæ, hoc est sex denariorum millia, talentum vnum constituunt, vt alibi ostensum est.

# IN PLVT. ALCIBIADEM ANNOtationes Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

Bellum Peloponnesiacum qui scit quo tempore fuerit, is qua ætate viguerit Alcibiades, facilè intelliget. Cæterum vel hic liber ostendit quàm incommodum sit & difficile eorum consilium qui non de nouo verti, (quod ipsi actum agere vocant) sed castigari modò vitas Plutarchi Latinas volunt. Equidem operam ludet qui id conabitur. tametsi conatum esse scio hoc vnum atque alterum: qui quid effecerint, iudex sincerus & diligens æstimet. Certè plerunque transmisso camelo, culex in cribro deprehensus hæsit: hoc est, maximis & perniciosis erroribus præteritis, leuicula quædam annotantes, officio se probè functos crediderunt. Quod vt verum est, ita in neminis dico contumeliam. scio enim non omnium esse idem studium, neque omnes qui interpretandi munus, aut repurgandi autores sibi sumunt, tanta solicitudine eo in opere versandum sibi opinari. Alcibiades Plutarchi nondum est (quod sciam) Latinè redditus. Quod enim extat, paraphrasis videretur, si cum sensu autoris congrueret: videturque is interpres nihil pensi habuisse dum suam (si diis placet) eloquentiam ostentaret. id quod magna cum iniuria Plutarchi fecit, eius verba plerunque peruertendo, & sæpissime aliena ineptáque de suo intermiscendo. Nos id præcipuis in locis ostendemus, maleque tractato libro lucem pro virili aliunque feremus. Et initio statim Eurysacis mentionem Donatus omisit, non rectè. Hunc filium Aiacis Telamonii fuisse, notum est vel ex Sophocle. Alcmæonidem verò Dinomacha genitum ne somniauit quidem Plutarchus: hoc dixit, Dinomacham Megaclis filiam, Alcmæonidarum stirpe procreatam, Alcibiadis matrem fuisse. Verba in Græco sunt planissima: vt quæ monstrorum causa fuerit, ne suspicari quidem possim. Cæterum Alcmæonidarum nobilis erat gens Athenis, originem à Nelei posteris trahens, nimirum Alcmæone Silli F. Thrasymedis N. qui, quum eum Herculis posteri in Peloponnesum reuersi Messena & auito regno eiecissent, Athenas profectus, isti prosapiæ nomen & originem dedit. Autor in Argolicis Pausanias. Mentio horum haud ignobilis est etiam in Herodoteа Terpsichora & Eratone. Meminit huius familiæ etiam interpres Aristophanis, πρεσβείᾳ in Nubes. Quin & apud Plutarchum in Solone Megacles Alcmæonis F. & Alcmæonidæ, optimatum contra Pisistratum partes fouentes referuntur. Megaclem Andocides ἐν τῷ κατ' Ἀλκιβιάδου

βιάδου, ſicut & patrem Cliniæ, Alcibiadem oſtraciſmo iuſſos ſolum vertere refert. Demoſthenes in oratione aduerſus Midiam, paternum Alcibiadis genus ad Alcmæonidas, maternum ad Hipponicum refert: & de vtroque ſunt ibi annotata quædam ab Vlpiano. Plutarchus alios ſequi autores maluit, atque in primis Iſocratem. Is enim in oratione περὶ ζεύγους, palàm ita ſcribit ſub perſona filii Alcibiadis, ὁ γὰρ πατὴρ ἦν πρὸς μὲν ἀνδρῶν Εὐρυσακιδῶν, ὧν τὴν εὐγένειαν ἐξ αὐτῆς τῆς ἐπωνυμίας ῥᾴδιον γνῶναι, πρὸς γυναικῶν δ' Ἀλκμαιωνιδῶν. & quæ ſequũtur de eius gentis in rempub. icã officiis, quæ ſunt etiam apud Thucyd. lib. 6: in hiſtoria Piſiſtratidarum. Pro Εὐρυσακιδῶν malè ibi legitur Εὐπατριδῶν, quod à ſciolo ſuppoſitum coniicio. Sic & in eadem oratione paulo pòſt, Clinias dicitur ad Chæroneam occubuiſſe, quum non Χαιρωνείᾳ, ſed Κορωνείᾳ legi debeat, vt ex hiſtoria & Plutarchi hoc loco conſtat, & Platone, qui idem in Alcibiade priore commemorat. Suidas quidem (neſcio quibus autoribus fretus) refert, matrem Alcibiadis, Periclis ſororem fuiſſe. quod ſi verum eſt, vtique vterina fuerit, quum hic Xãthippum patrem habuerit. Autor libelli De excellentibus imperatoribus, qui ab AEmilio Probo ad Atticum ſcriptus fertur, Periclis priuignum Alcibiadem fuiſſe tradi à quibuſdam affirmat. Sed id abſurdum videtur. Suprà Periclis genus ex Herodoto retulimus ita:

Hippocrates

Megacles. Agariſta. Xanthippus.

Pericles.

Hunc ego Megaclem patrem eſſe Dinomachæ, omnino perſuaſum habeo. Si igitur verum eſt quod Suidas (neſcio quem ſequutus autorem) tradit, Agariſta vel ante vel poſt Xanthippum Megacli nupta vt fuerit, neceſſe eſt. Patre Alcibiadis Cliniam ſuo ſumptu militaſſe aduerſus Perſas, Herodotus ante Plutarchum in Vrania ſcripſerat. Platonis locus eſt in priore Alcibiade, de eius pædagogo.

1, 308, b. *De venuſt. Alcib.*] Iuſtinus l. 1. Cr.

Ibid. c. *Vt Euripides dixit*] Locus non ſuccurrit: ſi tamen eſt in iis quæ extant tragœdiis. En tibi interpretem: adultam hominis ætatem eſſe pulcherrimam. ſcilicet hoc volebat Euripides.

1, 309, a. *Ariſtophanes*] Verſus eius interpres mutilauit. Locus eſt ad initium Veſparum. Celnin' pro cerníſne poſui, vt balbutiem exprimerem. ſic Theolus eſt pro Theorus: & Colacis dixerat Alcibiades, quum vellet Coracis: hoc eſt corui. Nam alluditur hîc ad adulatorem qui κόλαξ, colax, Græcis eſt, & κόραξ, corax, coruus: quæ affinitas multis dicteriis Græcorum in adulatores occaſionem præbuit.

1, 310, a. *In maledictis Antiphontis relatũ eſt*] λοιδορίαις eſt vocabulum malæ partis. itaque Criminationes malui quàm Accuſationes vertere. Citatur hic liber etiam apud Athenæum lib. 12, hoc

modo: Ἀντιφῶν ἐν τῷ κατ' Ἀλκιβιάδου λοιδορίας. Quo ex loco videri possit oratio fuisse qua ob conuitia sibi facta accusaret Alcibiadem: quomodo sunt orationes κατὰ Ὀνήτορος ἐξούλης, κατὰ Κόνωνος αἰκίας, κατ' Ἀλκιβιάδου λειποταξίου, apud Demosth. & Lysiam. Sed ego Plutarchũ sequutus sum. Locus alioquin satis obscurus est, neque intelligo vt Acciaioli versio quadrare possit. Meam, si quis melius aliquid ostendat, libenter mutabo. In Græco διὰ τὸν falsum est: haud dubiè δι' αὐτὸ legendum.

1,312,b. *Ac Cleanthes*] Ὑφ' ἑαυτοῦ, quum sit reciprocum, ad Cleanthem retuli. Donatus ita vertit, ac si legisset ὑπ' αὐτοῦ: tametsi ἑαυτῷ iterum legitur.

Ibid. *Nam illa quæ à Thucydide refertur &c.*] Locus est librò 6, ante orationem eius qua bellum Siciliense suasit.

1,313,b. *Iam pugna in Delio*] De hac in Lysandro dixi.

1,314,d. *Inter oratores disertissimus*] Demosthenem intelligit. Extat locus in ea oratione, vbi Alcibiadem punitum refert, & eius laudes amplificat, vt eò magis invisam Midiæ petulantiam redderet.

1,315,b. *Te Cliniæ verò patris*] Græci neque compositi, neque mendorum vacui apparent. ἀνίκα legi, pro αὐτίκα.

Ibid.c. *Hanc eius gloriam fecit munificentia hostium illustriorem*] Xyl. vertit, *Hunc splendorem auxerunt honores, illi certatim à Græcis Asianis habiti*. Atque sic in hunc locum scribit: In Græco est ἡ τῶν πολεμίων φιλοτιμία: idque sequutus est cum Donato Amiotus. Sed πολεμίων non video vt locum habere possit. neque enim hi hostes aut inimici Atheniensium vel Alcibiadis eo tempore erant, Ephesii, Chii, Lesbii. Itaq; quòd non assequebar quid restituendum esset, sensum malui consentaneum vtcunque reddere.

1,316,a. *Versatur etiã in manibus quædam in Alcibiadem & Phæacem scripta oratio*] Haud satis video quid sibi hæc verba velint, nisi si fortè legendum sit ὑπὸ Φαίακος, à Phæace: & hoc argumento obtrectandi studium ineptum Phæacis indicare velit Plutarchus. Sed vehementer dubito.

Ibid.b. *Thucydides*] Libro 8, vbi eum in Samo occisum scribit.

Ibid.d. *Quamuis suis sit digna passus moribus*] Hos versus miserè confudit Donatus. In Nicia autem de hac re fusius, atque alibi etiam Plutarchus.

1,317,c. *Sphacteria*] Insula exigua, Pylo opposita, nonnulli Sphagiam vocant. Historia est apud Thucydidem διεξοδικῶς perscripta lib. 4, apud Plutarchum in Nicia, Diodorum lib. 12.

1,318,a. *Imperandi & extundendi vobis nullum faciet modum*] πρεστάτην καὶ βιαζόμενος, ἀγναμοσύνη. mendum subest. Quid legerit Donatus, existimare non possum. ego ἀγνωμονήσῃ arbitror rectum esse, nisi si illud ἀγνωμοσύνη absolutè positum contendas: quasi diceret, Hoc vestrum propositum impudentia est. Quomodo Dauus apud Terentium loquitur in Andria, 1, 3, — fuit olim quidam senex Mercator: nauim is fregit apud Andrum insulam. Is obiit mortem: ibi tum hanc eiectam, Chrysidis Patrem recepisse orbam, paruam: fabulæ. Nam ad totum commentum illud narrationis *Fabulæ* refertur. Sed hoc loco durius cadet: itaq; ἀγνωμονήσῃ legerẽ. In versione vtrũq; extuli.

Ibid.d. *Secundũ pugnam mille viri Argis &c.*] Xyl.vertit, *Post eam pugnã principes vrbis.* Et annotat, χιλίαρχοι. Si rectè legitur, belli & exercituum duces, seu tribunos militum significat. haud scio an πολίαρχοι fuerit scriptum. Indicat vtique eos qui oligarchiam affectabant: vt etiam ὀλιγαρχικοὶ legi possit. Pugnam autem cuius mentio hîc fit, apud Mantineam factam, in qua Argiui succubuerunt, describit lib.5 Thucydides, & lib.12 Diodorus.

1,319,b. *Agrauli*] De Agraulo Stephanus. Mirum quæ monstra hîc Acciaiolus introduxerit, totum hoc ad Patrenses suâ paraphrasi detorquens.

Ibid.c. *Aristophanes*] In Ranis est locus, quod dixi Per ambages, τῇ ὑπονοίᾳ est in textu: hoc est, Allegoria. Donatus alieno admodum ab hoc loco sensu, suspicionem vertit. Plutarchus in libro, De audiendis poetis, docet antiquis ἀλληγορίαν vocabulo τῆς ὑπονοίας solitam dici, neque abludit etymon: quippe quum in eo tropo intelligatur aliud quàm dicatur apertè. Quomodo & hîc vtitur Plutarchus, allegoriam Aristophanicam adducens, à quo nomine Leonis Alcibiades notatur. Tzetzes quoque Lycophronis interpres fatetur ὑπόνοιαν cum allegoria idem esse.

Ibid.d. *Agatharchũ pictorem*] Donatus ineptè, vt iam falsitatem taceam, conuertit. Causam huius flagitii reddit Vlpianus in orationem Demosth. suprà citatã: nempe quòd is cum pellice Alcibiadis rẽ habere deprehensus fuisset.

1,320,b. *Quũ pinxisset Aristophon Nemeã*] Nemeæ picturam Plinius tribuit Niciæ. Cr.

Ibid.c. *Qui prorsus eũ inflã mauit ard.*] Thuc.l.6. Cr.

1,321,e. *Quũ deliberaretur de cop.*] Thuc.l.6. Cr.

1,322,b. *De prophanatis Cereris & Proserpinæ sacris*] Xyl.vertit, *De profanata religione deũm.* Annotátque: Cereris & Proserpinæ. Est enim legendum, non τοῖν θεοῖν, sed τὼ θεώ, vt paulo pòst legitur in formula accusationis.

1,323,d. *O signũ amabile, Herme, &c.*] Xyl.vertit, *Charißime Mercuri.* Et annotat: Erant enim hermæ isti, statuæ Mercurii. Versus in Græco non sunt distincti: sed sunt senarii Iambici, & facile est eos ratione scansionis diuidere. hæc autem, φυλάξομαι, responden tur à Mercurio.

1,324,a. *Andocides*] ÆEmyl. Probus Androcydem vocat. Cr.

Ibid.d. *Triremem Salaminiam*] τὴν Σαλαμινίαν. Donatus, vt videtur, quid rei Salaminia esset non intellexit: aliàs non ita vertisset, *Quosdam elegit qui Salaminiam ad Alcibiadẽ mitterent.* Fuit autem Salaminia triremis, nauis Atheniensiũ publica, (sicut & Paralus, de quâ in vita Lysandri annotauimus) publicóque negotio, præsertim reos peregrè agentes ad iudicium euocandi, destinata. Itaque & Thucydides lib. 6, & Diodorus lib.13, idem hac ipsa de re quod Plutarchus, scribunt: nempe missam τὴν Σαλαμινίαν nauem qua ad iudicium adueheretur. éstque elegans Critolai prouerbium hac de naui apud Plutarchum in Pericle, quod vsibus eam certis destinatam fuisse ostendat. Meminit & Suidas.

1,326,c. *Non iste Achillis filius*] Duobus vtitur prouerbiis, diuersitatem inter id quod simulabat, & id quod erat Alcibiades expressurus. Horum posterius rectè Do-

natus ad Helenam retulit: quam Electra apud Euripidem (Oreste) in lugenda matre comis & formæ parcentem, redire ad antiquum ingenium iisdem verbis dicit. Prius est sumptum de versiculo qui tacito autoris nomine refertur à Plutarcho in libello De amici & adulatoris discrimine, Οὐ παῖς Ἀχιλλέως, ἀλλ' ἐκεῖνος αὐτὸς εἶ, Es ipse Achilles, non Achillis filius. Quo versu quomodo scitè vti possimus veluti prouerbio, hic locus cōmonstrat.

1,328,c. *Hæc quū cerneret Alcibiades*] De reconciliatione Alcibiadis cum Atheniensibus, Thucyd. lib. 8. Cr.

Ibid. d. *Clàm id classis hostiū præfecto Astyocho significauit*] Lacedæmoniorum, vt euidens est ex octauo Thucydidis. Nam Donatus eum à Tisapherne classi eius præfectum falsò dixit. Paulo antè, *Vnus è ducibus nomine Phrynichus*: adde gentile nomen *Diradiotes*, ὁ Διεραδιώτης. Id nescio quomodo me fugerat vocabulū: neque dissimulo, mendi mihi id esse suspectum. Atheniensem quidem fuisse Phrynichum liquet. Diradiam tribum vel curiam (nam inde solebant nominari, vt Demosthenes Pæanieus, Agnon Alimusius, &c.) nullam noui. Diradiotes Apollo Argis cultus in Dirade, (Δειράς, Iugum montis significat) de quo in Argolicis Pausanias, nihil huc facit. ἐπισκεπτέον ergo mihi.

1,329,c. *Vnus excubitorū*] ἑνὸς τῶν περιπόλων. Seruum vertit Donatus, sed inepté. περίπολος hoc loco, vt & apud Thucydidem in hac ipsa historia, & aliâs, φύλακας, & aliquando ζητητὴν, Excubitorem, Vigilem, Exploratorem significat. testis Suidas, qui & versum Aristophanis ex Auibus citat, & verba Scholiastæ ponit, iisque Thucyd. testimonium addit. Hinc apud eum loco dicto περιπόλαρχος est, Vigiliarum præfectus.

Ibid. d. *Et rerū sunt potiti illi qui quinque millia dicebantur*] πεντακισχίλιοι. Omisit hoc copiosissimus paraphrastes noster: & Diodorus quoque horum nullo apice meminit. Diligenter totam hanc reipublicæ mutationem descripsit Thucydides. Nostri autem vocabuli *Quinquemillinmuiri* duritiem & nouitatem, necessitas (puto) excusauerit.

1,335,b. *Alcibiades iam visere cupiens penates*] De Alcibiadis honorifico in patriam reditu, Iustinus lib. 5. Cr.

Ibid. c. *Status, xystide*] Xyl. vertit, *Tragico vestitu & cothurnis*. Annotátque: Multa Donati errata omisi. neque enim vel debent vel possūnt cōmemorari omnia. Hoc loco mirificè ensem, hastam, & arma histrioni aptauit: boui clitellas. nimirum enim στατοὺς & ξυστίδας intellexit. ξυστὸν quidem contum seu hastam nouimus: sed ξυστὶς, vestis genus est, tragicæ etiam, vti Suidas & alii annotauerunt. Interpres Aristophanis in Nebulas propè initium, in versum, ὥσπερ Μεγακλέης ξυστίδ' ἔχων, annotauit, ξυστίδα esse purpuratam vestem, vel (vt alii velint) χρυσοϋφὲς ἱμάτιον, qua in pompa vterentur athletæ vel morum rectores: atque etiam ea qua tragici reges. Alioqui vestem etiam muliebrem significat. Theocritus Pharmaceutria, Κἀμφιστειλαμένα τὰν ξυστίδα τᾶς Κλεαρίστας. Vide ibi Scholia, si lubet. στατὸν cothurnum verti, nescio an rectè: sed tamen quid aliud sit, nescio. ἐναγώνιος κόσμος est, qualis in certami-

ne cuiuſcunque generis habetur.

1,336,d. *Plynteria*]Mineruæ ſacra eſſe dixit: quòd ita Plutarchũ innuere liquet, τὴν θεὸν dicentem κατ᾽ ἐξοχήν. Varinus quidem annotauit, In Aglauri Cecrope natæ honorem ea peracta, citato ad id Lycurgo in oratione de ſacerdotio: & eſt idem apud Heſychium. Sed Xenophon, longè fide digniſſimus autor, palàm ad Mineruam refert.

1,341,c. *Ei imago ſecundũ quietem*] De Alcibiadis ſomnio ante necem, Val. Max. l.1, c.5. Cr.

1,342,a. *Suſtulit Timandra cadauer*] Vide AEmil. Probum. Cr.

Ibid. *Hyccaris Siciliæ*]. Ὕκκαρον ſcribendum eſt, non Ἴκκαρον. quod non Geographi modò demonſtrant, ſed & infrà ſic in Nicia legitur, & apud Athenæum libro 13. Paraphraſtes hoc omiſit: retinuit mendum Amiotus.

## IN PLVT. C. MARCIVM CO riolanum annotationes Guil. Xylandri & Herm. Cruſerii, interpretum.

QVA ætate vixerit Coriolanus, neque ignotum eſt, & à nobis ad Themiſtoclis vitam annotatum. Cæterùm Coriolano Marcii nomen, (de qua familia etiam in Numa dictum eſt) Caii prænomen fuiſſe, ſatis & ex Plutarcho & ex Dionyſio, qui libro 6, ſub finem, & deinde crebrò, Γάϊον Μάρκιον dicit, & ex Liuii emendatis codicibus conſtat. Nam error quaſi inueteratus, & plurimorum librorum eſt communis, etiam Valerii, Eutropii, libri De viris illuſtribus, Gellii, aliorum. Quod autem verti, *Ancus Marcius filia Numæ natus*; id in Græco eſt vitioſe, ὃν καὶ Μάρκιος ἦν Γάϊος ὄνομα θυγατριδοῦς, καὶ μετὰ Τύλλον, &c. En tibi Guarinum: *Ex quibus etiam Marcius Caius nomine nepos extitit, qui poſt Tullũ regnauit Hoſtilium.* Iam quis non ſtomachetur quum annotatorum illorum & emendatorum (hoc enim nominis ſibi ſumunt) cùm inſcitiam tum oſcitantiam deprehendat? Eſt enim hoc loco à neſcio quo annotatum in margine, Marcium iſtum Caium Guarini apud Liuium eſſe Cn. Marcium. Hoc erat palmarium reperire. nimirum aliquis apud Liuium rex Romanorum, Tulli ſucceſſor, Cn. Martius legitur. Annotare hoc viſum eſt vt impudentiam nimis impunem multorum impoſtorum notarem, qui emendatos à ſe & illuſtratos libros crebrò edunt atque dedicant. eſt enim iis fumorum venditoribus emendare, pro Caio Cneum reponere: pro Clœliis foſſis, neſcio quas Cluilias, & alicubi notam interrogationis aut maiuſculam literam ſignare: illuſtrare, quum aliquid omnibus in promptu ſitum, margini allinunt. Verbi cauſa, idem eſſe apud Gellium, aut Valerium, vel aliter ibi legi, & ſimilia: quæ & raro & ineptè plerunque, aliquando falſò indicant. Quod ſi iſti, quicunque tandem fuit, correctori in mentem veniſſet, apud Liuium quærere (tametſi id pueri ſciunt, qui nondum ære lauantur) quiſnam poſt Tullum Hoſtilium rex Romanorum fuiſſet, nõ Ancum modò Mar

cium inuenisset, sed & rationem locum hunc deprauatum restituendi. Verba sunt Liuii: Ancum Marcium regem populus creauit, patres fuere autores. Numæ Pompilii regis nepos filia ortus Ancus Marcius erat,&c. Idem est apud Dionysium lib.3, vbi Anci huius μητροπάτωρ, Auus maternus, Numa Pompilius fuisse disertè traditur: nisi quòd ibi noto & frequenti librarii lapsu Μάρκος passim pro Μάρκιος legitur. quod ita placuit isti correctori, vt hunc librum M. Coriolani titulo insigniret: corrupto & prænomine & nomine. Ergo apud Plutarchum hîc pro Γάϊος ὄνομα, restituendum est, Ἄγκος ὁ Νομᾶ: & leuissima ac propè nulla mutatione constabit locus. pro Τυλλίον, Τύλλον scribe.

1,343,d. *In conspectu dictatoris*] Is fuit A. Posthumius Albus. Res gesta ad Regillum Lacum, V.C. CCLVIII. Liuius libro 2, Dionysius initio sexti.

1,344,a. *Qui glandiuori sunt ab oraculo appellati*] Oraculum est passim apud autores citatum, & extat apud Herodotum libro 1, Pythiæ adscriptum: Ἀρκαδίην μ' αἰτεῖς; μέγα μ' αἰτεῖς, οὔ τοι δώσω. Πολλοὶ ἐν Ἀρκαδίῃ βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασιν. &c. Poscis me Arcadiam? nimium petis, haud tibi dono: Glandiuori Arcadiæ multi ditione fruuntur. &c. Porrò autem, Aborigines, à quibus orti & aucti sunt Romani, ex Arcadia in Italiam venisse, Dionysius libro 1 Antiquitatum Romanarum demonstrat: vt eum honorem quasi autoribus sui generis habuisse Romani videri possint. De corona autem querna legatur caput quartum libri 16 Historiæ naturalis Plinii. Quòd autē mulsum à quercu suppeditatur, tatione mellis intelligitur. Est enim notum, apes frequenter mellificium in quercubus exercere. De quercus præstantia & Liu. lib. 8, Dec. 1.

Ibid. d. *Volumnia non satiabatur*] Contrà Liuius, Volumniam, vxorem Coriolani, matrem, Veturiam appellat, atque itidem Dionysius lib. 8. Noster vxorem Vergiliam nuncupat. Xyl. De Coriolani insigni in matrem pietate, Val. Max. lib. 3, c. 2. Cr.

1,345,b. M. *Valerius*] Μάρκιον malè, pro Μάρκον, aut Μάιον. Nam Dionysius lib. 6, Manium dicit: apud alios Marcus, nimirum mendosè legitur. De hoc infrà in Pompeio fit mentio.

1,346,a. *Princeps legationis fuit*] Liuius Dec. 1, l. 2. Cr.

Ibid. c. *Iuniū Brutū & Sicinium Vell.*] Liuius habet C. Licinium & L. Albinum: ni mendosus sit locus. Cr.

1,348,d. *Eum insign. tulit laud.*] De honoribus Marcio habitis Valer. Max. lib. 4, c. 3.

Ibid. d. T. *Larcium*] Μάρκιον in Græco legitur, pro Λάρκιον: quod & Guarinus sensit. Est autem circa hæc tempora Larciorum nobilis mentio, & Marcium oscitans scriptor hîc inculcauit iterum.

1,349,d. *Alteri Battorum*] Cætera cognomina ferè Ptolemæorum, reliquorumque Alexandri successorum fuerunt, & notiora sunt quàm vti annotare multa oporteat. Ptolemæi fuerunt, Soter, Physcon, Euergetes, Philadelphus, Seleucus, Callinicus. γρυπὸς Græcis est ὁ καμπυλόῤῥιν. Antiochi cognomen fuit, (sicut & alia ex his Antiochi & Demetrii tulerunt) teste Appiano, fine Syriaci. & Iustinus lib. 39, à magnitudine nasi ductum ait. Porrò autem Ptolemæum Lamyrum, quem no-

ster dicit, eum (nisi fallor) alii autores, atque etiam Plinius lib. 6, cap. 30, Lathyrum vocant: Strabo libro vltimo Λάθουρον, Lathurum: si quidem rectè legitur. Est aliâs leguminis genus λάθυρος, cuius & Plutarch. meminit Quæstionum Romanarum 95, & Eustathius in ν Iliadis. Cæterùm haud scio an Plutarchus Δάμωνον scripserit. Λάθυρος enim non à conuitio, sed næuo fortè corporis nomen, aut crebra vsurpatione certi cibi, vel eius leguminis colendi studio, vt Ciceronis quidam volunt. Itaq; nolui mutare. De Antigono Dosone, vide in AEmilio Paulo. Cæterùm de Batto Cyrenes conditore, eiúsque successoribus, qui legere volunt, interpretem Pindari sumant, in quartæ odæ Pythiorum exordio. Videndus & in Melpomena Herodotus, & in 13 Iustinus. Quòd ad Syllam attinet, quòd à vitio corporis cognomētum esse tractum affirmat, id in vita Syllæ ab initio statim explicat: nempe ob horrendum quasi ruborem albedini faciei eius admixtum, hoc cognominis ei factum. Vnde quidam Atheniensium subsannatorum dixerit in eum, Syllam esse morum farina conspersum. Itaque minimè assentior doctissimo & rerum Romanarum peritissimo homini Sigonio, qui mendum hoc loco esse putat, & σύλους pro σύλλας substituendos. Nam & constat sibi Plutarchus, idem etiam initio Marii referens de Sylla: & Macrobium ne ipse quidem Sigonius ei contulerit. Macrobius lib. 1 Saturnaliorum cap. 17, in hanc sententiam scribit: Cornelium Rufinum decemuirum bello Annibalico inspectis libris Sibyllinis, primò Sibyllam, pòst Syllam cognominatum: idque cognomen in eius posteritate retentum fuisse. Primùm quis credat Macrobio, autorem non nominanti, potius quàm Plutarcho? Deinde Liuius eandem historiam describens libro 25, iam tum Syllam prætorem nominat: haud (opinor) præteriturus nouitatem cognomenti, si tum aut ea de causa extitisset, quum quidem libri Sibyllini sint à decemuiris inspecti, vel (ipso Macrobio teste) Sulla Marcii vatis carmina habuerit. Denique Quintilianus etiam Plutarcho adstipulatur, vtique fide quàm Macrobius dignior, lib. 1, cap. 7. Itaque Macrobium sua cum opinione missum facio, neque iam disputo vter rectius senserit. In loco quidem Plutarchi, cuius ipse autor lectionem alio (vti demonstratum est) loco confirmat & tuetur, nihil mutandum duxi. Neque ego hæc annotaui vt Sigonium reprehenderē, quem admiror hercle, & in hoc studiorum genere nemini postpono, méque ipsius scriptis plurimum adiutum libenter & ingenuè confitebor: ipse alioquin & obseruans insignium virorum, & ingenio, consilio, adeóque conditione vitæ à reprehendēdo abhorrens. Quia tamen in tantum quoque hominem σφάλμα propè μνημονικὸν potuit cadere: neque ipse, cur eius repudiassem coniecturam, debui dissimulare, ne aut non animaduertisse, aut obiter vertisse putarer: & ipsum æquo animo passurum existimo, in re leui, meo tamen instituto coniuncta, improbari suam à nobis opinionem. De Claudis autem planè ei subscribo: neque enim ignorauit Plutarchus originem Claudiæ gentis. Cruserius quoque hoc loco sic annotat, Cognomina vnde imposita:

Plin.l.18,c.3:Macrob.Sat.l.1,c.6.

1,352,a. *Anytum Anthemionis*] Historia hæc est apud Diodorum Siculum paucis perscripta,lib.13.

Ibid.c. *Vt dixit Plato*] In epistola ad Dionem. Vide quæ de hoc in eius vita annotauimus.

1,353,c. *Sed sine imperio agentes duces suos magistratus appellent*] Xyl. vertit, *Magistratibus sublatis ductores suos eo nomine insigniat*: & appositis verbis Græcis, *ἀναρχίαν ἔχοντας, ἡγεμόνας ἰδίους ἄρχοντας προσαγορεύειν*, annotat, Quòd superiorem de contumacia disputationem, & alia quædam minus dextrè interpretatus est Guarinus, obscuritate excusari potest eius loci. Hîc nihil nisi luculentum est, & tamen ita vertit, *Indomitos esse, & patronos suos vocare principes*. Posterius vtcunque ferri potest, siquis per patronos, turbarum autores & duces, *ἡγεμόνας* videlicet, tribunos plebis statim intelligi putet. *ἀναρχία* autem est, quū imperia iustorum magistratuum detrectant subditi, dignitásque & autoritas magistratuum iacet, multitudine licentiam nacta omnia pro libidine sua agendi: cuiusmodi *ἀναρχίαν ναυτικὴν* quasi prouerbialiter vocat apud Euripidem Hecuba, *ἐν ἀκολάστῳ ὄχλῳ*. Talem Coriolanus Romæ tum esse dictitabat, consulum maiestate deiecta, & plebe solis suis ductoribus & turbatoribus tribunis intenta: quum quidem tribunatus plebis ne sit quidem, si propriè dicendum sit, magistratus: vt aliàs ostenditur.

1,357,a. *Tribus damnatoriæ superauerunt*] In Græco est, *αἱ καταδικαζοῦσαι τρεῖς ἐγένοντο*. hoc est damnauerunt. atque hoc sequutus est etiam Guarinus. Fuisse eo tempore Romæ tribus vigintivnā ex Dionysio & Liuio patet, nisi quòd vitiosè apud Liuium triginta pro viginti legitur, vt & Sigonius notauit. Locus apud Liuium est non lōgè ante historiam Coriolani, libro 2. At maior pars si absoluebat: id quod fiebat si tres tantùm tribus eū damnassent: certè damnatus non fuisset Coriolanus. Itaque intelligendum est, Coriolanum à nouem tribubus absolutum fuisse, à duodecim (hoc est, ternario pluribus) damnatum. Dionysius paulo aliter idem indicauit, vt mox dicam. Sed tamen apud eundem lib.8, Coriolanus ad Volscos verba faciens, *τοσούτῳ*, inquit, *ἄρα μοι περιῆν τοῦ μηδὲν ἀδικεῖν, ὥστε ἐν ὄχλῳ κρινόμενος, οὐ τὸ πλέον μισόχρηστον ἦν, καὶ διὰ τοῦτο ἐχθρόν μοι, δυσὶ μόνον ἑάλων ψήφοις*, Duobus tantùm suffragiis damnatus sum: id est, damnantia quàm absoluentia puncta duobus plura fuerunt. absoluerant enim nouem, damnauerant duodecim tribus. Qui locus planè Plutarchiano huic germanus est. notandúmque studiosis literarum humanitatis est, quid sit apud bonos autores Tribus suffragiis damnari, aut simili: quod iam ex his satis intelligi potest. Nihil est de hac damnatione apud Liuium, nisi quòd absens damnatus in Volscos exulatum abiisse dicitur. Dionysius totam rem formámque iudiciorum cùm centuriatorum tum tributorum, diligentissimè perscripsit lib.7. cuius hæc sunt ad extremum verba, *ὡς δὲ ἐπεψήφισαν ἅπαντες, διαριθμουμένων τὰς ψήφους, οὐ μέγα τὸ διάλλαγμα ἐφάνη. μιᾶς γὰρ καὶ εἴκοσι τότε φυλῶν οὐσῶν, αἷς ἡ ψῆφος ἀνεδόθη, τὰς ἀπολυούσας ἔσχεν ὁ Μάρκιος ἐννέα· ὥστε εἰ δύο προσῆλθον αὐτῷ φυλαί, διὰ τὴν ἰσοψηφίαν ἀπελύετο ἄν, ὥσπερ ὁ νόμος ἠξίου*. Sensus

est, de XXI tribubus fuisse nouem quæ absoluerent, reliquas damnasse, parúmque abfuisse quin æquatis suffragiis absolueretur. Vt satis constet, quid aut quem nostèr sit sequutus: & quidem permultum lucis hæc loco huic afferunt. Tametsi priori loco pro δυσὶ μόνον, malim περὶ legere, Tribus pro Duobus. In posteriore ἰσόψηφα latius sumitur. Suffragiis autem paribus reum absolui, (vt hoc obiter addam) testatur etiam in Marii propè initio Plutarchus, & in quæstura Catonis minoris: sitque similis legis apud Athenienses mentio etiam apud Aristophanem in Ranis de Cleophôte:

*— vtinam pereat, AEquales liceat sint.* Neque est ab re, adscribere interpretis verba, latina tamen facta. AEquales, (inquit) nimirum calculi, hoc est paria suffragia: quum totidem alba sunt quot nigra. Alludit autem ad eam consuetudinem quòd absoluebatur reus si æqualia ferrentur suffragia. Idque repetitum est à iudicio Orestis, de quo in Iphigenia Taurica Euripides, sub persona Mineruæ ad Orestem dicentis: *Quod & antehac tibi salutē ego attuli, In Martio campo, paria suffragia Diiudicans.* --- Hoc obiter docere volui, quum hîc se eius occasio obtulisset, & mihi aliàs foret annotandum.

1,358,a. *Tullio Aufidio erat nomen*] Xyl. vertit, *Nomine Tullus & Attius*. Et annotat, Ἀμφίδιος, Amphidius, est in Græco: sed Dionys. l. 8, initio, & Liuiū sequi præstabat.

Ibid.b. *Vt Vlysses*] Is enim eo modo Ilium intrauit. Locus est apud Homerum Vlysseæ 4.

1,359,c. *T. Latinus*] Sic & apud Dionysium legitur, lib. 7, & apud Valerium Maximum lib. 1, cap. 7. apud Liuium Latinius, apud Macrobium lib. 1 Saturnaliorum, cap. 6, Annius. Cicero idem narrans lib. 1, De diuin. nomen omisit.

1,360,a. *Factū tamen nemo vindicauit*] Guarin. Discedebat. Discessit autem ipse à Græco. οὐδεὶς δ' ἐπεξῆλθεν. quod hîc, vt & alibi, pro Vindicare, Punire, aut Reprehendere ponitur.

Ibid.c. *Quòd pleraque mortaliū coactu &c.*] Xyl. hunc locum ita transtulit, *Hoc age. qua voce animū aduerti sacris iuberet, neque quicquā operis interiici illis, aut aliud quodcunque negotiū: ostenderétque plerasque res humanas necessitate quadam & vi peragi: &c.* Atque hæc in eum annotat: Locus in Græco est perobscurus, neque (vt videtur) integer. Ego verba expressi: sensum nō satis assequor, nisi si id vult intelligi, Debere nos in sacris faciendis toto animo, ei quod agimus, intētos esse, id quod in aliis humanis actionibus & negotiis à nobis vix præstari potest, ob necessitatē, & extrinsecus accedentes subinde nobis perturbationes. Sed hæc est coniectura.

Ibid.d. *Thensas*] θήσσας est in Græco, pro θήνσας, vti opinor. Sunt autem Thensæ, vehicula argentea, quibus exuuiæ deorum ludis Circensibus per circum ad puluinaria vehebantur. Festus.

1,362,c. *Tolerienses Vicellenses*] Inter Latinos qui in monte Albano soliti essent carnes accipere, etiam Tolerienses numerat Plin. lib. 3, cap. 5. Lauicos verti, Liuiū sequutus: quum in Græco sit Οὐικανοὺς, Vicanos apud Guarinum: ego Λαουϊκανοὺς legendum censui. apud Dionysium est Λαβικανοί. Siquis contendat Οὐικανοὺς scripsisse Plutarchum, Vicellenses intelligendi erunt, de quibus

Plinius ibidem. Sed meum argumentum præfero.

Ibid.d. *Postquam Bolas oppidū*] Bolanos suprà dixit Βωλανοὺς, o longo. Nunc Bolas vrbem, o breui, quasi diuersam ponit, sequutus Dionysium. nisi quod hic malè Βόλλας est, apud Dionysium Βολάς: aliàs nihil de hac vrbe habeo. Quod dixi intra decimumtertium lapidem, centum stadia sunt in Græco, milliaria nempe 12½.

1,363,e. *Fossas Clœlias*] Liuius habet Fossas Ciuilias, vel Cluilias: nisi, quod suspicor, mendū sit. Cr.

1,365,c. *Quū enim ille*] Guarinus locum hunc mirificè confudit & peruertit. Est autem grauis ac propè dixerim pia disputatio, qua Homeri sententiam de voluntate nostra animíque impetibus diuinitus oblatis explicat & defendit: qua de re hic cōmentari nō licet.

1,366,c. *Matrem Marcii Volumniā*] Liu. appellat Veturiā. Cr.

1,367,c. *Pueros & Vergiliam secum trahens*] Valer. Max. l. 5, c. 4. Liu. l. 2, Dec. 1. Cr.

1,370,a. *Ex aere*] Xyl. *Ab eo quod est circumpositum.* Et annotat, Ἐκ τοῦ περιέχοντος. Guarinus aerem vertit. Sed ego istā huius vocabuli significationem non satis commodam ratus, malui generalem ad verbum exprimere: vt vestes etiam, serta & alia id genus intelligantur, à quibus quàm ab aere, facilius colorem accipiant statuæ.

1,371,c. *Cum AEquis sociis & amicis*] πρὸς Σικανούς. Legendum est Αἰκανούς, qui sunt AEqui: quod & Dionysii ac Liuii autoritas, & ipsa ratio ostendit. Nihil enim huc attinent Sicani, vtcunque antiquitus Itali: & tamen eos Guarinus leuissimo mendo inductus retinuerat, vt & alibi.

1,372,c. *Vt autor est Thucydides*] Historia est lib. 5. Locus Dionysii est initio lib. 8.

Ibid. d. *Erga Themistoclem præcipuè Aristidis*] Val. Max. lib. 6, cap. 5. Cr.

# IN PLVT. TIMOLEONTEM ANnotationes Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

SVbsequitur hæc historia vitā Dionis à Plutarcho nostro descriptam. Eadem apud Diodorum Siculum extat lib. 16. quem nonnulli Philippum inscribunt. Quo ex libro satis apparet, res gestas eius in Olympiadem 108 incidisse, quo tempore bellum sacrū siue Phocicū à Philippo Alexandri Magni patre confectum est. Apud Romanos æqualem habuit M. Valerium, qui primus Coruinus dictus est. Timoleontis res gestas Timæum peculiari opere exornasse, autor est ad Lucceium Cicero: sed id nihil ad nostrum insti tutum. Videri sanè potest AEmilii vita ante hanc ponenda, quod & ex præfatione istius apparet, & sequutus est interpres Gallicus, quia etiam in Latino libro Paulus ante Timoleontem ponitur. Sed nos exemplar nostrum, & morem aliàs Plutarcho vsitatum sequi maluimus, præsertim quum nihil obstent ea quæ dixi Plutarchi verba: & ipse in Demosthene videatur ostendere, se ætate supe-

rionis vitam solitum priori loco exponere.

1,380,b. *Et dissensio orta est inter eos qui Dionis in liberandis Syracusanis socii fuerant*] Xyl. vertit, *Dissipatis iis qui in adserenda libertate Syracusarum Dionem adiuuerant.* Et annotat, Διέσησαν est in Græco, quod Antonius Tudertinus interpres contra vocabuli naturam & historiæ rationem, Insurgere reddit. Idem nullo sensu extulit quod de militibus cæteras vrbes obtinentibus dicitur:& (vt vno verbo dicam) pleraque & hîc & alibi negligentissimè transtulit, sicuti locis ostendam aliquot. Paulo pòst pro ἀμίσθων, legi ἐμμίσθων. nam milites non solebant nullo stipendio tyrannis inseruire.

1,381,a. *Occulta iam colloquia habuerat cum Carthaginensibus* ] κρυφα διείλεκτο, quod fuit ἀπὸ τοῦ διαλέγεσθαι, Colloqui. Nam nihil est sensus in Tudertina versione.

1,381,c. *Timoleontem Timodemi* ] Timæneti est apud Diodorum Sicul.

Ibidem d. *Atque his in rebus erat ei Timoleon adiutor* ] Absurdè ad Timophanem isthæc retulit Antonius: & quod est in Græco, ἃ δ' ἡ φύσις ἐξέφερεν ἀστεῖα, admodum infacetè ad vrbanitates nescio quas & facetias detorsit. Vocat autem ἀστεῖα, elegantia & quæ commendare hominem possent. τὸ σπουδαῖον καὶ θαύματος ἄξιον, ἀξιότιμον, χαρίεν, hoc vocabulo notari testatur etiam lexicographi, id est rem alicuius precii, admiratione, veneratione, gratia dignam: quomodo Stephanus apud Lucam cap. 7 Act. Apost. de Mose, καὶ ἦν ἀστεῖος τῷ θεῷ, eratq; gratus seu acceptus Deo. Sic de veratro vsurpauit Strabo, non indisertus autor, lib.9. Post Crissam, inquit, Anticyra est. Hoc nomine & alia est vrbs ad Maliacum sinũ sub OEta, vbi præstantem elleborũ (ἑλλέβορον τὸν ἀστεῖον) nasci aiũt: sed in hac Anticyra rectius præparari,&c. Interpres ibi Vrbanũ elleborum vertit, admodum inurbanus ipse. Isti autem (quos suprà notaui) emendatores neglexerunt hoc, vt innumera alia. nihil enim curat Hippoclides. Et verò qui Latinum legeret Strabonem, aut Græci sermonis esset imperitior, dubitare poterat quídnam rei esset vrbanum veratrum, ruraline opponeretur, an sponte sua nascẽti, quum hoc videatur vocabulo vrbani indicari. Latinè enim vix dices Vrbanum vinum, Vrbanã carnem, pro bona & præstanti. Vide, si lubet, Plinium l.25, cap.5. Hoc obiter monere, neque ab isto loco neque à proposito nostro visum fuit alienum.

1,383,d. *Lætarer quidem, inquit, si hæc gessissem* ] Paulo planius in vita Phocionis hoc dictum proponitur, & in Apophthegmatis. Val.lib.3, cap.vltimo, explicat fusius ac disertius. nam hic nonnihil est obscuritatis, quam auxit interpres.

1,386,a. *Et illas quæ cum Icete erant, quarum ad ducatum venerãt, copias*] Xyl. totum hunc locum sic vertit, *Videbatur autem fieri non posse vt vel barbarorum naues duplas ad ipsorum classis numerum, vel si arte, iis euitatis, insulam tenuissent, Icetę copias superarent.* Et annotat: ἢ στρατηγήσαντες ἤκοιεν. Omisit hãc particulam Tudertinus: id quod fieri sine magna sententiæ iactura non potuit: quũ altera pars deliberationis in eo fuerit posita, si Siciliã attigissent, quomodo bellum aduersus tantas hostium copiàs deberent gerere. Est autem

non ἢ, sed εἰ legendum. Et significat hoc loco στρατηγεῖν, Arte vel cõsilio imperatorio (quod Stratagema dicitur) vti: quali astu deceptis Pœnis in Siciliam peruenit Timoleon. Inde est compositum καταστρατηγεῖν, vox Plutarcho nõ inusitata: éstque paulo pòst καταστρατηγῆσθαι, Callido imperatoris consilio superatum esse.

1,387,a. *Indignè ferentes impositum sibi esse, iocum præbuerunt Rheginis quòd Pœnis displicerent fallaciæ*] διατριβὴν τοῖς Ῥηγίνοις παρέσχον. Nimis quàm ineptè & imperitè Tudertinus, *Carthaginenses Rheginos admonebant, quòd si Phœnices sint, iis qui per fraudem abierunt, inimicentur.* quasi verò Pœnos petiisse à Rheginis vt si ipsis faueant, Corinthiorum inimici fiant, Plutarchus scripserit: aut hæc interpretis verba absque interprete intelligi possint. Sensus est: Pœnis stomachantibus quòd fraude essent à Timoleonte circũuenti, subiit Rheginis ridere & iocari de eorum peruersitate, qui omnium hominũ infidissimi & fraudulentissimi, in aliis reprehenderent id quod propè sibi laudi ducerent, vnicéque vsurparent. Nam Pœnorùm astus & fides lubrica, etiam prouerbiis nobilitata est: & tunc contra Cretenses cretizauit Timoleõ. Φοίνικας aliquoties hîc vocat Pœnos Plutarchus. cuius rei causa vulgò nota est: scilicet à Didone ex Phœnicia in Africam deductam coloniam, & conditam Carthaginem. Διατριβὴν autem materiam risus & iocorũ ac facetiarum significare, non est nouum: & sic in Pericle de Damone dixerat Plutarchus, ἐξωστρακίσθη, καὶ παρέσχε τοῖς κωμικοῖς διατριβήν. & in vita Arati, διατριβὴν οἱ τοῦ Διονυσίου καὶ γέλωτα πολλὴν παρέσχον τις ἀπηλλάγησαν. Sic & Dio noster lib. 47, de M. Varrone, καὶ ὁ μὲν διατριβὴν καὶ γέλωτα ἐπὶ τούτῳ ὤφλισκαν.

1,391,d. *Quidam alterum eorum gladio secundum caput vulnerat*] Totam historiam quæ profectò ostendit quid casus in rebus humanis possit, Tudertinus deprauauit, & Timoleontis socium dixit ab altero percussorum ictum: quum alter percussorum à quodam sacrificiis adstãte, cæsus apertè dicatur. Neque enim est ἑταῖρον in Græco, sed ἕτερον: & si illud fuisset, quid voci αὐτῶν fieret? aut quid significaret? aut cur Timoleontis sociũ potius quàm percussoris indicaret?

1,392,b. *Corinthii huic homini præmium decem minas donauerunt*] ἐστεφάνωσαν δέκα μναῖς. quod ad verbum est, Coronauerunt decem minis: vt videri possit de corona accipiendum. Ego tamẽ puto vocem στεφανοῦν in genere hîc esse Præmio afficere. Sicut coronæ erant facinorum, aliquando & victoriarum, præmia. Ita etiam in Dione noster autor loquitur, οἱ μὲν Συρακούσιοι τοὺς ξένους ἑκατὸν μναῖς ἐστεφάνωσαν.

1,392,d. *Vt omnes decantatam olim & denunciatam, quæ occupatura Siciliam esset, existimarent iam adesse barbariem*] Xyl. vertit, *Quare omnibus iam videbatur fore id quod diu ferebatur metuebatúrque, vt Sicilia planè in potestatem barbarorum veniret.* sicque in hunc locum annotat: τὴν πάλαι λεγομένην καὶ προσδοκωμένην ἐκβαρβάρωσιν. En quàm insulsè locum apertissimum noster. Tantam inquit visam fuisse Punicam classem, vt omnem priscam futurámque barbariem (hoc enim vocabulo populum barbarum, aut nationẽ barbaricã intelligit) in Siciliam traii-

cere putares. Est autem ἐκβαρβάρωσις, nihil tale, sed quum à barbaris occupatur regio aliqua, & in barbariem quasi redigitur: sicut maiorum & nostra ætate à Turcis Vngariæ & Illyrici partes quædã. Hanc calamitatem qui accipiunt, ἐκβεβαρβαρῶσθαι multis Græcis scriptoribus dicuntur: & vocabulo ἐκβαρβαρῶσαι, In barbariem redigere, mox ipse vtitur Plutarchus: & de Epheso initio Lysandri, κινδυνεύουσαν ἐκβαρβαρωθῆναι. & est aliàs etiam βαρβαροῦμαι pass. Barbarus fio. Hinc illud Tyndarei ad Menelaum propè adagium apud Euripidem Oreste, βεβαρβάρωσαι χρόνιος ὢν ἐν βαρβάροις. Nõ multo pòst, id quod de Syracusis dicitur, eam ex multis constare partibus, & quasi vrbibus, miserè deprauata loci totius sententia, ad Achradinam detorsit. Quod enim Βρεττίους (Brutios) Bracteos vertit, ridiculum est: sicut & infrà Λευκανοὺς Leucanos dixit, pro Lucanis.

1,395,d. *Vt qui hoc audiant, celebrent felicitatem eius quàm virtutem impensius*] τῶν ἐπαινουμένων τὰ μακαριζόμενα. Tudertinus obscurius: *Quò felicitatem viri magis qui audiant, quàm laudes eius mirentur.* Alludit autem Plutarchus ad id quod in philosophia explicatur, felicitatẽ esse aliquid virtute sublimius & perfectius: & vt virtus laudem meretur, ita illã laude aliquid præstantius, nempe honorem & admirationem secum trahere. Qua de re disputat Aristoteles cùm alibi, tum lib. ad Eudemum secundi initio, & cap. 12 lib. 1 Ethicorũ ad Nicomachum. Porrò autem hic prospera fortuna largo vulgi iudicio pro ipsa felicitate sumitur, εὐτυχία ἀντὶ τῆς εὐδαιμονίας: quæ quid differant, alibi docetur.

1,397,b. *Vt est Athanes autor*] ὡς Ἀθάνις εἴρηκεν. Sed & interpres Ἀθάνης legit, & ita legendum coniicio ex Diodoro Siculo, qui proximè finem lib. 15 eius meminit, Ἀθάνας, inquiens, ὁ Συρακούσιος. vbi ostendit quot libris quorum temporum historiam is exposuerit. De victoria Gelonis de Carthaginensibus, vide Diodorum lib. 11.

1,398,d. *Ad Crimesum amnem*] Κρίμισον reliqui, eo quòd constanter ita hîc legitur. Sanè Crimisum per ἰῶτα malim, ex Strabonis lib. 6: Dionys. Halic. lib. 1, vbi de AEgesta Siciliæ loquitur: ex Suida & aliis. Apud Virgil. ferè in omnibus codicibus lib 5, & in Seruianis etiam cõmentariis, Crinisus, N pro M posito (sed vitiose) inuenias. apud Lycophronem & eius interpretem Zezem, dupli. ci σ Crimissus legitur.

1,399,d. *Has sequebantur decem millia peditum armatorum clypeis candidis*] μυρίοις ὁπλίταις. Puto autem certum (vt & aliàs fieri assolet) numerum hic significari: idque etiam ex Diodoro apparet. nã interpres incertũ accepit.

1,401,a. *Quibus Pœni impediti afflictabantur*] χαλεπῶς ἀπήλλαττον. Tudertinus, seu oscitantia seu ignorantia Græci sermonis, difficulter liberatos reddit. Est enim ἀπαλλάττειν Liberare, sed quum transitiuum (vt vocant) est & accusatiuo construitur. Absolutè positũ aliter significat. Sic paulo antè dixerat noster hoc ipso libro, ἐπισφαλῶς καὶ χαλεπῶς ἀπήλλαττον, Erant in extremo discrimine constituti. Sic & Polyb. lib. 1, de nauib', κακῶς ἤδη ἀπαλλάσσουσι. Sic alii.

1,402,b. *Vt inuictos & omnium*

tra inuidiam se quispiam laudet, & in Ciuilibus præceptionibus, meminit aræ τῆς αὐτοματίας à Timoleonte dedicatæ. Itaque hic lego, ἱερὸν ἱδρυσάμενος αὐτοματίας, ἔθυσε. quod verbum facilè intelligitur, etiam omissum. Nam ob id ponebatur ara vt in ea sacrificaretur. Laphystium, Probus Lamestium vocat: sed non multum ei libro fidei adhibeo contra alios.

1,408,c. *Lecto denique in rogum illato*] Xyl. vertit, *Feretro in rogum imposito*. & annotat, Hoc enim vult sibi τῆς κλίνης ἐπὶ τὴν πυρὰν τεθείσης. non, Iam cremato corpore: id quod noster Maronis versu supposuit, μύρον, vt aiunt, ἐπὶ τῇ φακῇ.

# IN AEMILIVM PAVL. ANNOtationes Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

L. AEmilii Pauli ætas nota satis est, præsertim ob Perseum regem Macedoniæ ab eo debellatum: de quo triumphauit anno V. C. DXXCVII.

1,379,b. *Democritus enim optandum ait*] Locus est hic nequaquam omnium intelligentiæ patens: ideoque Aretinum etiam, hominem, vt accepimus, doctissimum fefellit, ignorantem aut non recordantem quæ'nam Democriti idola essent. Finxit autem Democritus imagines quasdam (εἴδωλα sic exprimo, Ciceronem sequutus) à natura fusas, quæ vbique in toto orbe terrarum suos haberent circuitus, & vbique omnibus obuersarentur, iisque animi hominum pulsarentur: quam sententiam & explicat copiosè, & disputādo vēllat lib. De natura deorum primo M. Tullius. Neque grauabor verba eiusdem adscribere, de epistola quadam ad C. Cassium, (qué fuisse Epicureum, ex Cicerone & Plutarchi Bruto constat: sicut & hoc notum est, Epicurum Democriticam habuisse philosophiam, mutatis & adiectis quæ vellet) quæ extat in libro Familiarium epistolarū decimoquinto. Fit enim (ait) nescio quî, vt quasi coram adesse videare, quum scribo aliquid ad te: neque id κατ' εἰδώλων φαντασίας, vt dicunt amici tui noui, qui putāt etiam διανοητικὰς φαντασίας spectris Catianis excitari. Nā, ne te fugiat, Catius Insuber Epicureus, qui nuper est mortuus, quæ ille Gargettius (*sic vocat Epicurū, à Gargetto Atticæ loco, eius natali*) & ante Democritus εἴδωλα, his Spectra nominat. His autem spectris si oculi possent feriri, quòd vel iis ipsa occurrunt: animus quî possit, ego nō video. Quibus verbis opinor plurimum lucis nostro loco adferri, & vicissim. Iam εἴδωλα εὔλογχα, si omnino sit legēdum, (nam & in lib. Plutarchi De oraculis defectis ita legitur, & haud scio an eo sit vsus hic vocabulo Democritus: vsus quidem etiam aliàs verbis minimè in communē consuetudinem loquendi receptis, vt exempli causa ῥυσμῷ, διαθιγῇ, τροπῇ, quæ Aristoteles libro α' primæ Philosophiæ, interpretatur σχῆμα, θέσιν, τάξιν: alioquin εὔλογα fortassis prætulerim, si qua autoritate id confirmare liceat) si inquam εὔλογχα rectè legitur, licebit sumpta ex sequentibus Plutarchi ver-

bis cōiectura δύλογχεν interpretari τὸ οἰκεῖον ἢ ἐπιτήδειον, hoc est cōmodum & quasi familiare. Neque enim abludet ἔτυμον si παρὰ τὸ λελογχέναι deducas, quod est Sorte obtinuisse aut accepisse, à verbo λαγχάνομαι medio: vnde illud apud Theocritum, Idyll.4, Αἲ αἲ τῶ σκληρῶ μάλα δαίμονος, ὅς μ' ἐλελόγχει *Heu quàm me duro subiecit sors mea fato*. Itaque δύλογχεν erat, Quod nobis bona fortuna & prospera sorte obtigit, nempe opportunum & cōmodum. Quò facit quòd in eo quem dixi Plutarchi loco, hisce δυσπράκτα & μοχθηρὰ opponuntur, Tristia & aduersa, seu praua.

1,409,a. **Mamercum**] Μάμερκος in Græco, non Μάρκος legendum, ex Numa patet.

Ibidem a. *Primùm ex maioribus magistratibus ædilitius candidatus*] Omisit hoc Aretinus. In Græco est ἐπιφανῶν, Insignium magistratuum. Curules intelligi possunt haud incommodé. sunt enim & alii quasi minoris dignitatis magistratus: vt vigintiviratus, (quem primò omniū peti solitum, apparet ex Cornelii Taciti lib.3, de Nerone Germanici filio) vt quæstura, vt tribunatus plebis, vt ædilitas plebis, testante hoc nostro Plutarcho in vita Marii, vt alij: de quibus hîc dicere non est occasio.

1,411,a. *Massonis viri consularis filiam*] Xyl. *Mnasonis viri consularis filiam*: annotátque Μνάσωνος. Intelligo C. Papirij qui cōsul fuit anno DXXIII. Cuius etiam meminit Liuius initio lib. 25, C. Papirius, L. F. decemvir sacrorum. Sed ibi Masso cognomentum est, sicut & in codicibus Ciceronis legitur, lib.9 Fam. epist. ad Pætum, L. Masso ædilitius. atque sic legit hoc loco Amiotus. Sigonius apud Liuium Maso legit, vnico S. cuius cognomenti quæ sit aut esse possit ratio, non intelligo. Mnaso quidem, Μνάσων, Græcum est nomē; cuius cùm alii testes sunt, tum Eustath. in Odyss.14, cuiusdam Phocensis Mnasonis meminit, qui plures mille seruos possederit: quem familiarem fuisse Aristotelis, ait Athenæus lib. 6. Commemorantur & alii Mnasones. Quo autem modo in cognomentum Romani venerit, non assequor. Cogitandū harū rerum doctioribus relinquo vtro modo rectius legatur: & Plutarchíne hic locus emendandus, an ad alios corrigendos adhibendus sit.

1,411,a. *Romanus quispiam nuncium vxori remiserat*] Xyl. vertit, *Romanum virum vxori suæ nuncium remisisse*: annotátque, Sic est ad verbum in Græco, ὥς ἀνὴρ Ῥωμαῖος ἀπεπέμπετο τὴν γυναῖκα. Pro quib⁹ interpres subiecit hæc: *Sed videtur aliqua efficax ratio affuisse*. Quæ sanè verba vti optimè loco huic quadrant, ita non satis tamen id quod est in Græco explicant: totúmque illud quod modò Græcè & Latinè adscripsi, omíttitur. Amiotus ita vertit quasi quod de calceo sequitur, non Paulus sed alius quidā Romanus causam diuortii interrogatus responderit. quod mihi non probatur. Vt meam coniecturam (nihil enim habeo certi) exponam, videtur mihi Plutarchus hoc velle, quia eius diuortii causam nemo comperisset, & certum tamen esset, haud ab re Paulum tale aliquid facturū fuisse, vulgi sermonē extitisse, dimissam à Romano viro coniugem, atque hoc quasi prouerbium fuisse. nam λόγος sæpe etiam prouerbium significat. Romanum autem prouerbialiter intelligi virum grauem seuerúmque,

seuerúmque, & propositi tenacem atque ἀπαραίτητον, quales prisci illi fuêre Romani, rigidi homines etiam in plectendis capitali supplicio liberis. Hæc est mea opinio: sed quam doctiore aliqua côiectura obliterari, non iniquè sim laturus. Nam profectò responsum de calceo, AEmilianum esse apparet.

I,411,c. *Maiorem Fabii Maximi*] Xyl. *Alterum Fabii Maximi filio*: annotátque, Hic Fabius sanè deinceps Q. Fabius Maximus AEmilianus dictus fuit: sicut frater eius, quem Scipio Africani F. adoptauit, P. Cornelius Scipio AEmilianus: quem morem paterni nominis retinendi cùm alii tum Dio noster lib. 46, & 55, explicat. Ac de Scipione quidem AEmiliano res minus obscura est, neque verbis opus habet. De Fabio quærendum. Nam quod in Græco legitur, τὸν μὲν πρεσβύτερον ἀπὸ Μαξίμου Φαβίου, mendosum est. Aretinus ab ipso Maximo Fabio, eo qui quinquies consul fuit, nempe eo qui cunctãdo restituit rem, adoptatum, plusquàm absurdè dixit: vtcunque id sequente Amioto. Quòd à filio Fabii Cũctatoris adoptatum verti, eò factum est quòd υἱὸς scriptum à Plutarcho suspicabar, inque eius locum ἀπὸ subrepsisse, & quàm proximè hærere Plutarchianis vestigiis statuissem. In hac sententia esse alios quoque nõ mediocriter doctos, scio. Quòd siquis non ab eo qui consul fuit, & ante patrem mortuus est, adoptatum dicat, (id quod cõsentaneum certe est, quum ante annum V. C. D L. iste obierit, AEmilianus anno demum D C I X consul sit factus) fortassis à Q. Fabio Maximo, qui patri Cunctatori superuixit, inque eius locum (vt Liuius lib. 30 affirmat) augur est creatus, adoptatus fuerit. Tametsi admodum puerum oportuit in stirpem eam adscitum esse, etiamsi hoc ipsum statuamus: idque illo ipso augure, prouecta iam satis ætate. siquidem maximo natu Cunctator decessit: Fabius AEmilianus bello Persico adolescens adhuc fuit, vti infrà Plutarchus tradit. Relinquitur, vt à nepote huius arrogatum statuamus: quod & ipsum sentire nõnullos intelligo. Qua in re id inest difficultatis, quòd neminẽ id antiquorum tradidisse sciamus. Q. Fabium Labeonem, qui anno V. C. D L X X I consulatum gessit, opinio est aliquorum, fuisse nepotem Cunctatoris, ab eóque in filii locum assumptum AEmilianum: sed quibus id testibus probare possim, siquis cõtrà dicat, haud sanè video. Equidem nusquã memini me legere, Labeonem magni illius Fabii nepotem fuisse. & Quinti prænomen ita Fabiis vsitatum fuit, támque etiam ampla illa gens, vt tametsi Q. F. Q. N. is dicatur, tamen habuisse auũ Cunctatorem necesse non sit. Et quidem vterque Cũctatoris Fabij filius, & is qui consularis viuo patre mortem obiit, & is qui auguratum patris accepit, Quinti prænomen habuerũt, si Liuio & aliis credimus. nam in Lælio Ciceronis prior Marcus perhibetur in quibusdam libris. Neque verò nõ potuit adoptatus fuisse Pauli filius à nepote illustris illius Verrucosi, si non fuit à Labeone. non enim (vt quidem ipse censeo) euidens aut verum est, sine liberis vtrũque, vel omnes eius filios, decessisse. Sanè Labeo & L. Paulus (cuius vitam hîc tractamus) æquales fuerunt, proximóque post illum anno hic consulatum primum gessit: siquid

hoc ipsum in se habet argumenti. Verùm in re incerta, atque in qua non sint fortunæ (vt ille dicebat) Græciæ positæ, nimis fortè anxius versor: quum vnumquemlibet sequi liceat quod probauerit, sine summo historiæ detrimento. Tamen quæ in vtramque partem cogitassem, volui annotare: si fortassis hæc ipsa alios ad extricandum hoc quodcunque est, sint stimulatura. Quod statim sequitur de AElio Tuberone, καὶ μεγαλοπρεπέστατα τῇ πενίᾳ χρώμενος, dictum est perquam venustè, & ab Aretino peruersum.

1,413, b. *Antigoni, qui in Alexandri successoribus* &c.] Operæprecium fecerim, si hanc successionem regum Macedoniæ ob oculos ponam, atque nonnihil explicem. facit enim ad multa aliorum, nostri etiam quædam in Pyrrho, Demetrio, & alibi intelligenda loca. Prius tamen typo delineatam rem oculis subiiciam.

## REGVM MACEDONIÆ GEnealogia post Alexandrum Magnum.

Philippus.
Antig. I, rex. --- Stratonice. Corrhæi filia. Demetr.
Demetrius, cognomine Poliorcetes. — Philippus.
Antigonus II, Gonatas.
Demetrius. — Alcyoneus.
Antig. III, Doson. — Philippus.
Perseus.

## EXPLICATIO quorundam.

Quod ad patrem attinet Antigoni primi siue magni, eum fuisse Philippum satis constat. ita enim nominant Plutarchus in Demetrio, Arrianus lib. I De expeditione Alexandri, Iustinus lib. 13, Orosius lib. 3, cap. 23. Quis autem fuerit iste Philippus, nõ facilè dixerim. In Onomasticis reperies, Antigonum primum, fratrem fuisse Alexandri Magni: idque esse apud Plutarchum in Pyrrho. Quorum & prius existimo falsissimum esse: & posterius quid est nisi mendacio & falsa citatione imponere simplicibus? Ego, quum de patre Antigoni Philippo dicitur, nequaquam intelligendum iudico re-

gem Macedoniæ, patrem Alexandri: sed alium quendam. nisi siquis adeo stultus est vt quum Arrianus quo dixi libro, in pugnæ ad Granicum descriptione Philippũ Amyntæ F. nominat, de eodem velit accipere. Idẽ alium præterea Philippum commemorat, Menelai filium. Pausanias in Atticis, Philippum Casandri fratrem refert, qui cum AEacida Epiri rege prælio dimicauerit. qui an idem sit cũ eo quem ante Ptolemæum Berenices maritũ fuisse, in Pyrrho Plutarchus scribit; haud scio. Certi autẽ nihil habeo: & Amplius hîc. De matre quoque Antigoni Gonatæ non sum certus. nam pater eius Demetrius, cuius vitam scripsit noster, plures habuit vxores: quarum primam sororem Pyrrhi Deidamiam; matrẽ Gonatæ fuisse suspicor. Habuit autem præter eam etiam Antipatri filiam Philam, ex qua ei nata est Stratonice, quæ Seleuco Magno est collocata ab ipso: & Ptolemaidem, Ptolemæo & Eurydica Antipatri filia natam. Quin & Eurydicen quandam Atheniensem, & Lanassam Agathoclis filiam, Pyrrho matrimonio iunctam, duxisse legitur. Alcyoneum Antigoni Gonatæ filium fuisse, in fine Pyrrhi noster ostendit: quid ei factũ sit, non memini legere. Demetrius quidem eius frater decem annis rex Macedonibus fuit, vt lib. 2 scribit Plutarchus. Antigonus Doson (quasi cunctatorẽ in repræsentando promisso dicas) cognomento, tutor fuit & ἀνεψιὸς (fortè patruo eius natus) Philippi eius quem Romani debellauerunt: pòst etiam vitricus, & in regno antecessor. Hunc Antigonum, Seruatorem Græci & Benefactorem vocabant: multáque de eo sunt in Arato & Cleomene Plutarchi, & apud Polybiũ:

1,414,b. *A matre sartrice quadam Argolica, Gnathania nomine*] Xyl. itidem *Argiua sartrix Gnathænia*: annotátque, Aretinus pro sartrice medicam reddit τὴν ἀκέστριαν. Cæterum ἀκεῖν, oratoribus est Suere, Sarçire. Hinc ille apud Lucianum in Menippo Philippus rex, ἀκούμενος τὰ σαθρὰ τῶν ὑποδημάτων. Inde ἀκέστρα, Acus, & ἀκέστρια, Sartrix: hoc est ῥάπτειρα, seu ὑφάντεια etiã: vt est apud Eustath. in Odyss. ξ, explicantẽ illud, Νῆας ἀκειόμενον: & fusius in lib. 10. Gnathæna autem nomen, diminutiuum facit Gnathæniam. est idẽ in fine Arati. Crus. hîc annotat, In Arato ad finem est Gnathænio.

1,414,d. *Quem per Elimiã*] Xyl. vertit, *Eúmque vi apud Elimiã*: annotátque, Κατὰ τὰς Ἐλιμίας. Vrbs est Macedoniæ Elimia, Ἐλίμεια vel Ἐλιμία. (vtrumque enim scriptum reperi. quidam Elymam, Ἔλυμαν, habent) à qua Ἐλιμιῶτις, Elimiotis, regio dicitur, infra Apolloniam ad Ionium mare pertinens: cui Saso obiecta est insula. Strabo, Stephanus, alii. Ptolemæo vrbs Ἔλυμα, regio Ἐλυμιῶται dicitur lib. 3. Aretinus sensum huius loci non reddidit.

1,416,a. *Rumores ne serant*] Xyl. itidẽ, *Neque rumores sererẽt*: annotátque, Μήτε λογοποιεῖν, Verba facere Aretinus, non rectè. Est enim λογοποιεῖν, Nugari, & rumores vanósq; sermones comminisci. vnde Iulian. apud Suidã Herodotũ λογοποιὸν, fabularum parentem, dixit. Similem locum ex Epistolis (vt opinor) Græcis ab Aldo impressis Erasmus citans, in vltimo prouerbio primæ cẽturiæ, leui admodum codicis mendo in errorem abductus est. Sic enim adducit: In epistola Iuliani ad Leontium, ὁ λόγος

ποῖος ὁ Θούριος, ὥστε εἰπεῖν, &c. Allucinatur etiam in explicando cur Thurius vocetur Herodotus. Quòd si vel ex Suidæ verbis, vel proprietate sermonis Græci animaduertisset λογοποιὸς esse legendum: ac quæ de Herodoto Suidas & Plin. lib.12, cap.4, tradiderunt, atque alii, meminisset: nunquam in re ita aperta & facili incurrisset in aliorum iustas reprehẽsiones. Sed de his aliâs. Liuius ita habet: Rumores vestra credulitate ne alatis, quorum nemo autor extabit.

1,416, c. *Par numerus peditum qui iungebant cursum equis, & inuicem prolapsorum equitum vacuos capiebant equos*] Xyl. vertit, *Ac totidem peditum, qui equitibus adiuncti, vsu ita ferente, vicem eorũ gererent*: inque eum locum hæc annotat, Παραβάται. Aretinus oppidò negligens sui muneris, transfugas vertit: sed eum missum facio. Quid sibi velit παραβάτης, non est adeò in promptu. itaque explicabimus, idq; ex autoritate Grammaticorũ. Παραβάτης (quem carminis gratia constituendi παραιβάτην etiã poetæ dicunt, sicut ὑπαὶ & παραὶ pro ὑπὸ & παρὰ, & alia id genus nonnulla) inter alia significat eum qui de curru pugnat. Varinus in præstantissimo suo dictionario, παραιβάται, inquit, ab Homero dicũtur qui de curribus pugnant. & eosdem aliâs ab eodem ἡνιόχους, id est aurigas, appellari addit. Dignus autor cui credas: sed addam testimonia. Hom. est versus Il. penultimo libro, Ἂν δ' ἔβαν ἐν δίφροισι παραιβάται ἡνίοχοί τε. Scholiastes vocabulum id hoc modo exponit: παραιβάται, οἱ ἐπὶ τῶν ἁρμάτων συμπολεμοῦντες, τοῦτ' ἔστι κύριοι τῶν ἁρμάτων. Porphyrius philosophus, summi nominis doctor, in Quæstionibus Homericis: παρὰ τῷ ποιητῇ, inquit, τῶν ἐπὶ τοῖς ἅρμασιν, οἱ μὲν μαχόμενοι, παραιβάται· οἱ δὲ τὰς ἡνίας ἔχοντες, ἡνίοχοι. A quo non dissentiunt Eustathii expositiones in γ & λ Iliadis. Atque eodem plane modo vsus est Euripides ἱκετίσιν, qui vnus locus & quæ diximus confirmare, & vocabuli vsum in militia docere potest. itaque adscribam. --ποιμένες δ' ὄχων Τετραόρων κατῆρχον ἐντεῦθεν μάχης. Πέραν δὲ διελάσαντες ἀλλήλων ὄχους, Παραιβάτας ἔστησαν ἐς τάξιν δορός. Χ' οἱ μὲν σιδήρῳ διεμάχοντο, οἱ δ' ἔστρεφον Πώλους ἐς ἀλκὴν αὖθις ἐς παραιβάτας. Apollonius Argon. lib.1, in chlæna Iasonis, de duobus curribus, Καὶ τὸν μὲν προπάροιθε Πέλοψ ἴθυνε τινάσσων Ἡνία, σὺν δέ οἱ ἔσκε παραιβάτις Ἱπποδάμεια: improprie vtitur hoc vocabulo, idque non dissimulauit interpres. Cæterùm hoc loco Plutarchus aliter vsurpauit eam vocem. nam Basternarum παραβάτης erat nõ in curru, sed pedes equiti permixtus, & qui re ita ferente, equitis officio fungeretur. Id manifestum est ex Liuij verbis, quæ hac ipsa de re sunt lib.44. Veniebant, inquit, x millia equitum, par numerus peditum, & ipsorum iungentiũ cursum equis, & in vicem prolapsorum equitum vacuos capientium equos, &c. Quia Liuius ipse vno vocabulo id genus militũ non expressit, ne mihi quidem id tentandum duxi. Alioqui non adeò absurdum erat, eos velites equestres nominare: vt intelligeretur, nonnullam iis fuisse similitudinem cũ velitibus qui equitatui immisceri solebant à Romanis, instituto Q. Nauij centurionis, quũ bello Annibalico Capua obsideretur. Liuius initio lib.26: Valer. lib.2, cap. 1. Vide etiam quæ in Phocionem

de vocabulo ἀποβάτης annotaui.

. 1,417,a. *Quibus præter aliũ apparatum centum millia militum erant parata*] Xyl. vertit, *Qui* aliũ apparatum, centum millia erãt collecta & ad vſum belli parata.* Et annotat: Locus in Græco noſtro libro mutilus erat: itaque, quod vnũ potui, aſteriſco notaui. De hoc apparatu Romanorum ſatis copioſè Liuius 44. Nã quæ annotata ſunt in margine antiquæ verſionis, vbi per decem millia legiones intelligi dicitur, nihil agunt. Amiotus paulo antè, vbi eſt Sordidus homo, locum eſſe mancũ annotauit: quod mihi non videtur.

Ibidem c. *Illyriorum regẽ Gentium*] Hic eſt ille Gentius à quo Gentiana & inuenta & nominata fuit: vt Dioſc.lib.3, & Plin.lib.27, cap.7, teſtantur. Cr.

1,419,b. *Secundum Pythium atque eam rupem*] Xyl. vertit, *Iuxta Pythium & Petram.* annotátque, Apud Liuium legitur Pythoum. Ptolemæus lib.4, vrbẽ Pelaſgiotidis Πύθεον, Pytheum, nominat, haud procul Gonno & Atrace ſitam: quam hîc intelligi puto. éſtque etiam à Sophiano in tabula Græciæ expreſſa. Stephanus cum noſtro Πύθιον ſcribit. de Petra nihil habeo.

Ibidem d. *Iuxta Heracleã*] Xyl. vertit, *Apud Heracleam.* annotátque, Ex Liuio. Nam neutro genere hîc τὸ Ἡράκλειον, neſcio an ſine menda, legitur. nam & apud Stephanum videtur indicari, neutro genere eam vrbem dici poſſe. Amiotus quidem pro Herculis fano accepit, vocabuli etymon ſequutus: quũ Aretinus ſimpliciter Heraclium poſuiſſet. Intelligo autem eam Heracleam quam primo loco in ora Macedoniæ poſuit Plinius lib.4, cap.10.

1,420,a. A *fano Pythii &c.*] Verſus hi de altitudine Olympi, & mendoſi ſunt & ſatis obſcuri. vt mirum non ſit, eos ab interprete mutilatos atque corruptos. pro δέκα, πλέθρον, & μετὰ, legi δεκάδα, πλέθρον, & μέτρα. Oſtendunt autem hi verſus, Olympi altitudinem ſupra decem ſtadia, impleuiſſe iugeri ſpatium, demptis tamen ei quatuor pedibus. πλέθρον iugerum ſignificat, quod in agricultura longitudine eſt c c x l pedum, latitudine c x x: Varro, Columella, Plin.l.18, cap.3: Quintil.lib.1, cap.17, alii. Sed quũ longitudinis tantùm, vt hoc loco, mẽſuram ſignificat, quæri poteſt quid ſit. Ego ſextantem ſtadii verti, ſequutus communem ſententiã, quæ eſt apud Euſtathium in λ Vlyſſeæ, & Suidam, & alios. Idem Euſtathius in Iliadis λ, ait pedũ c x x eſſe menſuram: quem ego locum corruptum puto, quum idem Iliad.φ, centum modò pedes ei aſſignet, atque ita etiam legatur apud Suidam. Quo facit quòd ibidem 100 pedes 66⅔ cubitis æquantur: vt cubitus ſit (quod etiam Suidas fatetur) pedis vnius & ſemis. Stadium eſſe cubitorum c c c c, idẽ Suidas tradit: nimirúmque pedum D C tantùm interuallum fuiſſe curriculi Olympici, ex Plutarcho refert Gellius initio Noctium Atticarũ. Interpres Pindari in x i i i Olymp. c c c cubitorũ fuiſſe tradit: alios ſcilicet ſequutus. Certè apud Latinos ſtadium c x x v paſſuum erat, pedum (nam quinque ſingulis paſſibus tribuuntur) c D x x v. Plin.l.2, cap.23. Inde miliarium octo erat ſtadiorũ: qua de re alibi diximus.

Ibidem c. *Et occuparet ſaltum*] Xyl. itidem, *Saltúſque occuparent,* annotans, τὰς ὕλας. Ego non dubi-

tanter πύλας repono, hoc eſt portas. Notiſſimum eſt, montium fauces & clauſtra, per quæ aditus in regionem alienam aperitur, vocari Pylas. Hinc Pylæ illæ quæ & Thermopylæ. vnde Pylagoræ Græcorũ, & alia à nobis aliàs explicata. Syluas Aretinus vertit, retento mendo. Amiotus rectiús.

1,422,a. *Hoſtiis viginti non litauit*] Xyl. vertit, *Primis hoſtiis non perlitauit*. & annotat, ἐκ ἐκαλλιέρει. En tibi (non enim poſſum non ſtomachari) correctorẽ. Rectè verterat Aretinus τὸ καλλιερεῖν, litare. Corrector, quicunque tandem fuit, id quaſi errorẽ notauit, inque margine adſcripſit Græca, & interpretatus eſt, haud auſpicata ſacra expertum eſſe. Nimirum verò hîc virum ſe præſtitit, & officio emendatoris coronã meruit: quin & Suidam (vt ille in morſu pulicis Herculem) inuocat. Ex hoc quidẽ ſuam Latinæ linguæ ignorationẽ non potuit cognoſcere, homine Græco. Eſt autem omnino Litare, καλλιερεῖν, adeóq; id quod ille Auſpicata ſacra experiri dicit: quod demonſtrare piget, quum nihil ſit notius. Tullius 2 De diuinat. Quid quum plurib⁹ diis immolatur, quî tandem euenit vt litetur aliis, aliis non litetur? Idem Perlitari dicitur. Liuij verba appoſui de lib. 41, ne multos locos adducendos haberem: Territis eo prodigio & alter conſul curam adiecit, qui ſe quòd caput iocinori defuiſſet, tribus bubus perlitaſſe negauit. Senatus maioribus hoſtiis, vſque ad litationẽ ſacrificari iuſſit. Cæteris diis perlitatũ ferunt. Saluti Petilium perlitaſſe negant. Vocabulum dictũ παρὰ τὸ καλὸν καὶ ἱερὸν, patet: & quorum hoſtias probaſſent dii, illi καλλιερεῖν dicebantur. Teſtatur id etiam Euſtath. in β & κ Iliadis, & λ Odyſſ.

Ibidem e. *Directas frameas ferro granes* &c.] Xyl. vertit, *Romphęã ferro graui præfixam*: remittens ad ſuas in Cleomenem annotationes.

1,424,a. *Pelignorum & Marrucinorũ*] Παλινῶν καὶ Ῥακινῶν. Prius pro Pelignis accipiendũ eſt, haud ſcio an malè ſcriptum, ſicut & paulo antè pro Ῥακινῶν legerim Μαῤῥυκινῶν. Liuius: Duæ cohortes à parte Romanorum erant, Peligna & Marrucina, &c. Corrector neſcio quid Tarracinorũ annotauit, eóq; interpreti Gallico impoſuit.

1,426,c. *Adaquare equum*] Xyl. vertit, *Equo potum ſubminiſtrare*: & annotat, ἵππον ἄρδειν. Aretinus Equum ſtabulari, non modò nõ ſatis Latinè, ſed & cõtra Græci ſermonis veritatem. Eſt enim ἄρδειν idem quod ποτίζειν. quod & notũ eſt, & ex Herodoto docet Euſtathius in 8 Iliad. ἡ γυνὴ ἐπεὶ ἀφίκετο ἐπὶ τὸν ποταμὸν, ἦρδε τὸν ἵππον. ὅ ἐστιν, ἐπότιζεν. Inde ἀρδεύειν, & alia quæ ibi & alibi exponit.

1,427,a. *Inde Alepſum*] Xyl. vertit, *Atque hinc Galepſum*: annotátque, Ἀλήψῳ eſt in Græco, ſed vitioſé. nam neque vlla iis in regionibus vrbs Alepſus à quoquã (vti arbitror) autore nominatur: & apud Liu. lib. 44, extremo, eſt apertè, Galepſũ eo die, poſtero Samothracam perueniũt. De Galepſo eſt apud Stephanum, & alios.

Ibidem d. *Ad Sagram amnem*] Xyl. vertit, *Apud Sagram fluuium*. annotátque, De cæteris ſatis conſtat. Pugnam apud Mycalem deſcripſit Herod. lib. 9: Diod. lib. 11: alii. De Tarquinienſi victoria etiã in Coriolano retulit. Sed de hac apud Sagram pugna explicandum videtur. Sagram fluuium Italiæ eius quæ magna Græcia dicitur inter Locros & Caulonem fuiſſe,

Plin.l.3,cap.10,asserit. Ibi pugnatum fuit à Locris aduersus Crotoniatas;hi c x x x millia,illi,x millia in aciem eduxerant. Vicerunt tamen Locrenses. Nuncius victoriæ eadem die Olympiam, Spartã, Corinthũ,& Athenas perlatus est. Hæc ferè Strabo libro 6,in descriptione Calabriæ:Cic.lib.2 & 3 De natura deorũ, Suidas, Iustinus lib. 20:qui tamen locum non nominat, historiam perspicuè describit. Atque inde ortum prouerbium,Strabo & Cicero, & Eustathius in secundum Iliadis,& Suid. ostendũt, vt de re certa incredulis diceremus,Certiorem esse rèm iis quæ apud Sagram gesta sint: ἀληθέστερα τῶν ἐπὶ Σάγρας.Sic Cicero:De Sagra Græcorum est vulgare prouerbium,qui quæ affirmant, certiora esse dicunt quàm illa quæ apud Sagram.Hæc vim & vsum prouerbii satis indicant. Sed quo tempore pugnatum sit,non facilè cognoscitur: tametsi id maximè in historia desideratur.Ego ex Laconicis Pausaniæ, quo loco is Crotoniatarum de Achille & Helena sermonem cõmemorat, deprehẽdi Stesichori iam tũ excæcati tempestate rem eam gestam fuisse:quem natum Olymp. x x x v i i,mortuum L v i, Suidas,adstipulatore Eusebio,tradit: vt haud longè ante aut post quinquagesimam olymp. & Tarquinii fortè Prisci tẽporibus prælium id pugnatum fuisse,coniectura esse videatur.Huius rei ignoratio Aretinum in eum errorem induxit,vt Ἰταλιωτῶν Romanos verteret, iisque pugnã hanc falsò adscriberet:quæ nobis annotandi causa fuit. De Antonii rebellione Xiphil.in Domitiano,Suetonius, Tacitus, Martialis.

1, 428, c. *Cn. Octauius, qui vnà cum Paulo bellum administrabat*] Xyl.vertit, *Cn.Octauius præfectus classis*.annotátq;, Ὁ συνάρχων Αἰμιλίῳ,id est collega. Legatum vertit Aretinus,non pessimè. Neque enim consul,neque pari cum Paulo potestate fuit: tametsi ne legatus quidem eius, nisi fortè quòd prætor eum classe ducẽda adiuuit. Itaque malui exprimere.

1,432,b. *Vt quodãmodo triumphalem pompã prælibaret populus Romanus*]Xyl.vertit,*Vt & ludi * extra quod vt * Romani ante triũphũ ea fuerentur*. & annotat, Hæc mutila,& nisi ex libro insanabilia, omisit Aretinus:pro προπολύειν, προαπολαύειν substitui.

1,434,c.*Cornua*]Xyl.vertit,*Pocula in cornu formã*. annotátque, Κέρατα. Antiquitus cornibus animalium pro poculis vtebantur.inde Κεράσαι,Vinũ miscere: & Bacchus cornutus dictus. Vide omnino Athenæum lib. 11: & Eustathiũ in principium Iliad.13.

1,436,a. *Vt est apud Homerum*] Locus est Iliad. vltimo lib. Verba sunt Achillis ad Priamum,humanam sortem & conditionem ex rebus prosperis & aduersis commixtam describentia.quæ obiter Latina facta apposui: *Hanc misero sortẽ superi iniunxere,dolorũ Expertes, hominũ generi. nam dolia in ipso Limine cælestis primo duo sunt posita aulæ, Vnde duũm generũ Iupiter mortalibus offert Munera: in hoc bona sunt, aduersa recondita in illo. Cui cõmixta Tonans depromit dona,fruetur Nõnunquã aduersis, rebus quandoque secundis. Sed cui sola dedit de læuo tristia vase: Is miser est,neque diis,hominũ neq; amabilis vlli, In terráque suos lugubriter exigit annos.*

1,438,c.*Et Licinius Philonicúsq;*] Xyl. itidem,*Licinnio & Philonico*. & annotat, Philonicũ hunc fuisse

publicanũ, ex Politicis Plutarchi præceptis constat: vt hîc copula desideretur. Aretin. declamatorẽ vertit: quasi id φιλόνεικος significet.

1,439,a. *Eleam oppidum Italiæ*] Xyl. itidem, *Eleam Italiæ vrbem*: annotátque, Aretinus Veliam posuit, quum sit in Græco Ἐλέαν. non video quid ille, aut cur ipsum Amiotus sit sequutus. Est autem Lucaniæ vrbs, vt ex initio lib. 6 Strabonis liquet, & suprà ostendi. Paulo pòst δεχόμενοι, non διαχούμενοι scribendum.

## IN PELOPIDAM ANNOTAtiones Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

Pelopidas Epaminõdæ æqualis sociúsque fuit, maximè Leuctrica pugna nobilis, qua Spartanis Thebani principatum Græciæ eripuerunt, sedecim circiter annis post captam à Gallis Romam, vt ex Polyb. lib. 1 initio, Diodoro Siculo lib. 15, Pausan. Bœoticis, & Gell. l. 17, c. vlt. patet.

1,445,a. *Cato maior*] Est & hæc vita ex earũ numero quæ ita fuerunt deprauatæ malè vertendo, vt emendare velle, non magis sit cõsilij quàm laterem lauare. Quàm enim nullo sensu Catonis venustissimum in temerarios nimísque audaces homines dictum extulit? an verò ἀλογίστως παράβολος is est qui Strenuus Latinis dicitur? quũ hoc virtutis, illud vitij sit. Et quidem nihil apertius potuit hoc apophthegmate cogitari: quod tamen etiam sequentia exponunt, quæ eodem ferè modo tractauit. Cæterum & hîc & in Fabio, vbi de Marcello autor loquitur, ἰταμὸς audacem significat: aliàs proteruum.

1,448,c. *Vt Euripideus Capaneus*] Xyl. *Exemplo Capanei Euripidei.* Et annotat: Locus est in Supplicibus, aureus profectò, quẽ adscribam Latinis versibus expressum. (si tamen hoc est exprimere) nam & exemplum continet hoc seculo rarum, & officium potentis amici fideliter definit. Verba sunt Adrasti: *Tenerum vidésne hunc qui traiectus fulmine est? Capaneus is erat. opes habuit amplissimas: Minimè superbiebat his, neque spiritus Trahebat tamen vnquam altiores paupere: Vitare luxum suetus, & vulgaria Fastidientes: non ratus in gula sitam Virtutem, & esse modica naturæ satis. Præsentibus fidelis, atque absentibus Amicus (hoc perpauci præstant nunc) fuit.*

1,449,a. *Posthac quum Lacedamonis cum Thebanis in specie vt amicis & sociis agerent*] Xyl. *Socios & amicos Thebanorum ostenderẽt*: annotãs, προσφερομένων. Becarias: *Quum Spartani se ad Thebanos contulissent.* Qui error totam historiã inuoluit, omniaque obscura reddit de apertissimis. Porrò προσφέρεσθαί τινι, ὡς φίλῳ, ὡς ἐχθρῷ, dictio est neque insolens, & intellectu facilis.

Ibidem c. *Indicitur exiliũ*] Xyl. *Exilio damnati sunt*, annotans, ἐξεκηρύχθησαν: omisit interpres. Sic & in Gracchis vsus est Plutarch. ἀκρίτους ἐξεκήρυξαν. & iterũ, Ποπίλλιος τοὺς Τιβερίου φίλους στρατηγῶν ἐξεκήρυξεν.

1,450,d. *Et pauci quidam ex iunioribus*] Xyl. itidem, *Pauci quidã ex natu minoribus*: annotans, Et hunc locũ peruertit, ita vt ad Phereniкum retulisse videatur quæ ad

Pelopidam pertinent. Omisit autem τὸ παραβαλέσθαι: in quo summa sententiæ est. παραβάλλομαι est media voce Periculosum aliquid aggredior, In discrimen me committo: vnde παράβολος, Audax: quod vocabulū vsurpauit initio huius libri Plutarchus malè ab Antonio versum.

1,451,a. *Et varos ferebant*] Xyl. itidem, *Et varros secum ferentes*: annotans, στάλικας, Venabula, Becarias: sed indoctè. Sunt autem στάλικες, ligna quibus retia attolluntur & fulciuntur. Latini varros appellant. Tryphiodorus Γλίου ἀμφὶ, ὡς δ᾽ ὁπότε σταλίκεσσι λίνον περικυκλώσαντες Ἀνέρες ἀγρευτῆρες.-- Lucanus alicubi: *Sic dum dispositus attollat retia varris Venator*, &c.-- Pollux lib. 5, cap. 3, σταλίδας & σταλιδώματα vocat, vt quidē in Aldino lib. legitur.

1,452,a. *Hic multo antè in eum diem ostenderat Archiæ*] Xyl. *Is ad eam diem*: annotans, Corrupit historiam Becarias, nescio quæ festa & solennes ludos Thebanorū cōmentus: quū verba luculenter ostendant, Philidam domum suam ad eum diem tyrannos multo antè inuitasse ad compotandum, scortis etiam promissis. ὑπάνδρα γύναια, (omissum ab isto) adulteræ videntur. & in sacris literis γυνὴ ὕπανδρος dicitur, quæ marito est iuncta, Rom.3. Cæterùm tota hæc Thebarum & libertatis ab exulibus duce Pelopida recuperatæ historia, mira & copia & elegantia est à Plutarcho descripta eo in libro cui titulus est De genio Socratis.

1,454,d. *Ergastulis quæ erant circa domum Charonis, vbi hastæ & gladii parabantur*] τὰ περὶ οἰκίαν ἐργαστήρια, arbitror intelligi esse tabernas operarias. Neque enim vel ἐργαστήριον instrumentū Græcè significat, (quod ἐργαλεῖον dicitur) vel δορυξόος hastam, aut μαχαιροποιὸς mucronem, sed hastarū vel gladiorum fabrum. Quæ quum nemo non videat, quis non miretur versionem Becariæ, qui Thebanos non lanceis, sed furcis, (vt apparet) non gladiis sed verubus aut securibus domestico vsui paratis, nulla necessitate compulsus, armauerit?

1,459,a. *Quū verò quà data via erat, duceret Pelopidas*, &c.] Xyl. *Sed Pelopidas perrumpendi consilio misso*. & annotat, ἐπὶ δὲ τὴν διεδρομὴν ἡγεῖτο. Illud διεδρομὴν videtur aut mendosum esse, aut arguere mutilatū locū: quasi si fuisset hic omissum διάστασιν χαίρειν ἐάσας, aut tale aliquid. Ego sensum vtcunque me expressisse puto.

1,459,d. *Et tribus tribus*] Est libro Iliadis secundo. φρήτρας autē quàm rectè Societates vertantur, quid attinet dicere?

1, 462,b. *Menœceo Creontis*] De hoc lege Phœnissas Euripidis, & de Macaria Heraclidas. Leonidæ historia ex Herodoto & aliis notissima, & de Themistoclis sacrificio suprà dixit. De Pherecyde non memini alibi legere.

1,463,c. *Præfectorum & manipulariorum munus obeuntes*] Xyl. vertit, *Iuxta ac post se positi certo ordine milites*. annotátque, Est in Græco ζυγῖται καὶ ἐπιστάται. Magistros & Decanos vertit Antonius: quod quid sit, non video. Equidem Latina vocabula quibus explicem verba Græca, non succurrunt: fingere neque ausim, neque fortassis cōmodè possim. Opinor autem ζυγίτας dici, qui iuxta alios positi: ἐπιστάτας, qui post alios collocati in acie, adsistētibus, vel ante se stantibus auxilium fer-

re, si vsus ita ferret, iubebantur. ζυγὰ quidem paulo antè pro ordinibus aciei transuersis, seu ab vna parte in alteram pertinentibus posuit Plutarchus, De Gorgida & sacra cohorte loquens.

1,466,a. *Item Meneclidæ æstimauit pecuniam*] Xyl. vertit, *Thebanósque interrogabat ecquid non aliæ quoque res præclarè gestæ fuissent.* ** *vt mulcta pecuniaria Meneclidę irrogaretur.* annotátque, Locum in Græco mancum esse, facilè apparet, tametsi interpres id dissimulauerit, eóque sententiam confuderit. Sed mederi, nisi optimi libri alicuius præsidio, non possumus.

Ibidem c. *Ptolemęus enim intulerat Alexandro*] Is est Ptolemæus Alorites cognomine, (frater hui[9] Alexandri & Philippi, filius Amyntæ) qui deinde fratre necato regnũ Macedoniæ obtinuit. Diodorum vide lib. 15.

1,467,c. *Non ignarus quidẽ nefarium hominem & latronem esse*] Xyl. vertit, *Perditum sceleribus hominem, & parricidam.* & annotat, ἐξώλη καὶ μιαιφόνον. noster, Immanẽ & sanguinolentum. Propriè autẽ μιαιφόνον dixit hîc Homicidio flagitioso contaminatum. Polydorum enim Pheræũ, Thessaliæ principem, fratrem suum, inter pocula veneno dato necauerat, ínque eius locum successerat, vt scribit Diodorus ibidem. atque eò respicit Plutarchus.

1,468,b. *Magnitudinem eius non ilico*] Xyl. vertit, *Animi magnitudinem, quippe mulier.* & annotat, τὸ μὲν μέγεθος τοῦ εἴδους. Sic est malè scriptum, pro ἤθους, idq; animaduertisse Becarius videtur. Quod autem κουρὰν iuuentutem effert, nescio quî fiat. tonsuram enim significat, & crines, vt hîc. ne que tam iuuenis erat Pelopidas. Iason, vt hoc obiter dicã, frater Alexandri huius fuit, Thessaliæ princeps, ante Polydorum fratrem, à quo cæsus est. Diodorus ibidem.

1,470,b. *Intra Taygetũ & Eurotam*] ὑπὸ τὸν Γέταν καὶ τὸν Εὐρώταν, *Inter Getam & Eurotam*, interpres. Qui Getam loci nomẽ in Laconica, aut etiam tota Peloponneso agnoscat, autorem nullũ esse noui: neque verò fines Lacedæmoniorum obscuros & ignobiles nominari consentaneum esse potest. Superest, vt in voce Γέταν mendum esse affirmem: cui facilè mederi potuimus ex Geographiæ autoritate. Est enim mons Taygetus in Laconicæ finibus, à Messenia eam dirimens, nobilis apud Græcos Latinósque cuiuscunque generis scriptores. Arctos itaque limites ciuitatis Spartanæ indicat, quam ab occiduo latere mõs Taygetus, ab ortu Eurotas amnis terminarent: quum latus Austrinum Arcadia, Boreale, mari claudatur. Ergo in locũ verbi Γέταν, Ταΰγετον restituto. Nam de varia huius vocis terminatione & inclinatione, hoc loco dicendum non erat.

Ibidem d. *Et seruos lectisterniatores*] Xyl. vertit, *Et famulos stratores.* & annotat, στρώτας θεράποντας. Strotas seruos habet Becarias. & quidem annotator ille seu corrector in margine asseuerat ex Suida, Στρῶτες, ἔθνος: id est, Strotes, nomen gentis. Ego autem, tametsi haud sum ignarus, posse Στρώτης (si præsertim ω scribas) dici pro Στρωΐτης, quod gentile est vrbis Africæ quæ Στρόη, Stroa, appellatur apud Stephanum Byzantium ex Hecatæo: non video tamen quî huc aliquid tale quadret. Neque animaduertit corrector iste, στρώτας, accusandi casum, nõ à nominatiuo στρῶ-

τας esse (is enim στρῶτας α breui facit, vti prosodiæ gnaris nō est obscurum) sed à στρῶται, cuius singulare est στρώτης. Et quidē suspicor sua illum verba pro Becariæ verbis subiecisse, sequutum (si diis placet) Suidæ autoritatem. Nam profectò Cælius libro Antiq. lect. 16, cap. 11, aliam interpretationē citat atque reprehendit, quasi seruilia strata interpres hîc edidisset. quod nuper obiter vidi, quum eos libros inspicerem, nisi fortassis etiam alius quidam Pelopidæ vitā conuertit. Verbum est στρώω, Sterno: inde στρώτης, Strator, formari potest: vt à πλώω, πλώτης. Esse autem genuinū hūc loci quē tractamus sensum, & στρώτας huiusmodi famulorum genus, qui vestes stragulas componerent atque concinnarent, euidentissimum est ex verbis Athenæi, quorum sententiam Latinè adscripsi de libro Dipnosophistôn secundo, Primi (inquit) Persæ, vti est ab Heraclide traditum, eos qui strotæ (στρῶται) dicuntur, inuenere, vti vestes stragulæ ab his ordine & concinnè componerentur. Itaque Timagoræ Cretensi, vel (vt Phanias Peripateticus autor est) Eutimo Gortynio, qui se Themistoclis exemplo ad regem contulerat, Artoxerxes honoris causa tentoriū insignis cùm elegantiæ, tum magnitudinis dono dedit, & lectum argenteis pedibus fultum, vestémque stragulam magni precij, simúlque famulum qui ea sterneret, Græcos sternendi ignaros dicens, &c. Et quidem infrà in Artoxerxe de eodem Timagora quum dicitur, qui hic στρῶται, ibi στρωννύντες participio dicuntur. Meminit etiam Eustath. in 3 Vlyss. Persas primos στρώτας excogitasse: ex Athenæo, vt multa. Stratorem aliis, ipsiq; Budæo, intelligi eum qui equum adornet, & principē in eum imponat, (Græcis est is ἀναβολεύς) noui: quomodo & Vlpianum in Pandectis de officio Procos. & in Caracalla Spartianum vsurpasse, annotatum est. Ego licere mihi putaui verbū de verbo, etymologia adstipulante, exprimere. Idémque in vita Alexandri feci: vbi Proxenus στρωματοφύλαξ dicitur, ego stratorē extuli, hoc est qui lecto & stragulis regiis præesset. Guarinus, sarcinarū custodiæ præfectū verterat.

Ibidē Crus. annotat, *Lectisterniatores*. Sic appellat Plautus quos Græci στρώτας vocant.

1,471,a. *Nouem archontum loco*] De his in Pericle dictum, & initio Aristidæ.

1,475,b. *Insidias ei ad hunc modū struit*] Cic. de offic. lib. 1. Cr.

# IN MARCELLVM ANNOTATIONES Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

Marcellus bello Annibalico floruit, quo nihil est notius, & cuius tempus accuratè à Polybio lib. 3 ostenditur. Obiit cōsul insidiis Annibalis anno ab V. C. DXLVI.

1,476,c. *Vt ait Homerus*] Libro Iliad. 14. Verba sunt Vlyssis de se & Græcis, aduersus Agamemnonem, qui fugam suadebat.

1,477,c. *Mensam argentariam*] Xyl. vertit, *Mensam nummulariā*. & annotat, ἀργυραμοιβίαν est in Græco. quod quid hoc loco sit,

bis cōiectura ἄλοχον interpretari τὸ οἰκεῖον ἢ ἐπιτήδειον, hoc est cōmodum & quasi familiare. Neque enim abludet ἔτυμον si παρὰ τὸ λελογχέναι deducas, quod est Sorte obtinuisse aut accepisse, à verbo λαγχάνομαι medio: vnde illud apud Theocritum, Idyll.4, Αἴ αἴ τῶ σκληρῶ μάλα δαίμονος, ὅς με λέλογχε. *Heu quàm me duro subiecit sors mea fato*. Iraque ἄλογχον erat, Quod nobis bona fortuna & prospera sorte obtigit, nempe opportunum & cōmodum. Quò facit quòd in eo quem dixi. Plutarchi loco, hisce δυσχεράσματα & μοχθηρὰ opponuntur, Tristia & aduersa, seu praua.

1,409,a. **Mamercum**] Μάμερκος in Græco, non Μάρκος legendum, ex Numa patet.

Ibidem a. *Primùm ex maioribus magistratibus ædilitius candidatus*] Omisit hoc Aretinus. In Græco est ἐπιφανῶν, Insignium magistratuum. Curules intelligi possunt haud incommodè. sunt enim & alii quasi minoris dignitatis magistratus: vt vigintiviratus, (quem primò omniū peti solitum, apparet ex Cornelii Taciti lib.3, de Nerone Germanici filio) vt quæstura, vt tribunatus plebis, vt ædilitas plebis, testante hoc nostro Plutarcho in vita Marii, vt alij: de quibus hîc dicere non est occasio.

1,411,a. *Massonis viri consularis filiam*] Xyl. *Mnasonis viri consularis filiam*: annotátque Μνάσωνος. Intelligo C. Papirij qui cōsul fuit anno DXXIII. Cuius etiam meminit Liuius initio lib. 25, C. Papirius, L. F. decemvir sacrorum. Sed ibi Masso cognomentum est. sicut & in codicibus Ciceronis legitur, lib.9 Fam. epist. ad Pætum, L. Masso ædilitius. atque sic legit hoc loco Amiotus. Sigonius apud Liuium Maso legit, vnico S. cuius cognomenti quæ sit aut esse possit ratio, non intelligo. Mnaso quidem, Μνάσων, Græcum est nomē, cuius cùm alii testes sunt, tum Eustath. in Odyss.14, cuiusdam Phocensis Mnasonis meminit, qui plures mille seruos possederit: quem familiarem fuisse Aristotelis, ait Athenæus lib. 6. Commemorantur & alii Mnasones. Quo autem modo in cognomentum Romani venerit, non assequor. Cogitandū harū rerum doctioribus relinquo vtro modo rectius legatur: & Plutarchine hic locus emendandus, an ad alios corrigendos adhibendus sit.

1,411,a. *Romanus quispiam nuncium vxori remiserat*] Xyl. vertit, *Romanum virum vxori suæ nuncium remisisse*: annotátque, Sic est ad verbum in Græco, ὡς ἀνὴρ Ῥωμαῖος ἀπεπέμπετο τὴν γυναῖκα. Pro quib' interpres subiecit hæc: *Sed videtur aliqua efficax ratio affuisse*. Quæ sanè verba vti optimè loco huic quadrant, ita non satis tamen id quod est in Græco explicant: totúmque illud quod modò Græcè & Latinè adscripsi, omíttitur. Amiotus ita vertit quasi quod de calceo sequitur, non Paulus sed alius quidā Romanus caussam diuortii interrogatus responderit. quod mihi non probatur. Vt meam coniecturam (nihil enim habeo certi) exponam, videtur mihi Plutarchus hoc velle, quia eius diuortii caussam nemo comperisset, & certum tamen esset, haud ab re Paulum tale aliquid factură fuisse, vulgi sermonē extitisse, dimissam à Romano viro coniugem, atque hoc quasi prouerbium fuisse. nam λόγος sæpe etiam prouerbium significat. Romanum autem prouerbialiter intelligi virum grauem seuerúmque,

seuerúmque, & propositi tenacem atque ἀπαραίτητον, quales prisci il li fuere Romani, rigidi homines etiam in plectendis capitali supplicio liberis. Hæc est mea opinio: sed quam doctiore aliqua cõiectura obliterari, non iniquè sim laturus. Nam profectò responsum de calceo, AEmilianum esse apparet.

1,411, c. *Maiorem Fabii Maximi*] Xyl. *Alterum Fabii Maximi filio*: annotátque, Hic Fabius sanè deinceps Q. Fabius Maximus AEmilianus dictus fuit: sicut frater eius, quem Scipio Africani F. adoptauit, P. Cornelius Scipio AEmilianus: quem morem paterni nominis retinendi cùm alii tum Dio noster lib. 46, & 55, explicat. Ac de Scipione quidem AEmiliano res minus obscura est, neque verbis opus habet. De Fabio quærendum. Nam quod in Græco legitur, τὸν μὲν πρεσβύτερον ἀπὸ Μαξίμου Φαβίου, mendosum est. Aretinus ab ipso Maximo Fabio, eo qui quinquies consul fuit, nempe eo qui cunctãdo restituit rem, adoptatum, plusquàm absurdè dixit: vtcunque id sequente Amioto. Quòd à filio Fabii Cũctatoris adoptatum verti, eò factum est quòd υἱὸς scriptum à Plutarcho suspicabar, inque eius locum ἀπὸ subrepsisse, & quàm proximè hærere Plutarchianis vestigiis statuissem. In hac sententia esse alios quoque nõ mediocriter doctos, scio. Quòd siquis non ab eo qui consul fuit, & ante patrem mortuus est, adoptatum dicat, (id quod cõsentaneum certè est, quum ante annum V. C. D L. iste obierit, AEmilianus anno demum D C I X consul sit factus) fortassis à Q. Fabio Maximo, qui patri Cunctatori superuixit, inque eius locum (vt Liuius lib. 30 affirmat) augur est creatus, adoptatus fuerit. Tametsi admodum puerum oportuit in stirpem eam adscitum esse, etiamsi hoc ipsum statuamus: idque illo ipso augure, prouecta iam satis ætate. siquidem maximo natu Cunctator decessit: Fabius AEmilianus bello Persico adolescens adhuc fuit, vti infrà Plutarchus tradit. Relinquitur, vt à nepote huius arrogatum statuamus: quod & ipsum sentire nõnullos intelligo. Qua in re id inest difficultatis, quòd neminẽ id antiquorum tradidisse sciamus. Q. Fabium Labeonem, qui anno V. C. D L X X I consulatum gessit, opinio est aliquorum, fuisse nepotem Cunctatoris, ab eóque in filii locum assumptum AEmilianum: sed quibus id testibus probare possim, siquis cõtrà dicat, haud sanè video. Equidem nusquã memini me legere, Labeonem magni illius Fabii nepotem fuisse. & Quinti prænomen ita Fabiis vsitatum fuit, támque etiam ampla illa gens, vt tametsi Q. F. Q. N. is dicatur, tamen habuisse auũ Cunctatorem necesse non sit. Et quidem vterque Cũctatoris Fabij filius, & is qui consularis viuo patre mortem obiit, & is qui augura tum patris accepit, Quinti prænomen habuerũt, si Liuio & aliis credimus. nam in Lælio Ciceronis prior Marcus perhibetur in quibusdam libris. Neque verò nõ potuit adoptatus fuisse Pauli filius à nepote illustris illius Verrucosi, si non fuit à Labeone. non enim (vt quidem ipse censeo) euidens aut verum est, sine liberis vtrũque, vel omnes eius filios, decessisse. Sanè Labeo & L. Paulus (cuius vitam hîc tractamus) æquales fuerunt, proximóque post illum anno hic consulatum primum gessit: siquid

hoc ipſum in ſe habet argumenti. Verùm in re incerta, atque in qua non ſint fortunæ ( vt ille dicebat) Græciæ poſitæ, nimis fortè anxius verſor : quum vnumquemlibet ſequi liceat quod probauerit, ſine ſummo hiſtoriæ detrimento. Tamen quæ in vtramque partem cogitaſſem, volui annotare: ſi fortaſſis hæc ipſa alios ad extricandum hoc quodcunque eſt, ſint ſtimulatura. Quod ſtatim ſequitur de AElio Tuberone, καὶ μεγαλοπρεπέστατα τῇ πενίᾳ χρησάμενος, dictum eſt perquam venuſtè, & ab Aretino peruerſum.

1,413, b. *Antigoni, qui in Alexandri ſucceſſoribus* &c.] Operæprecium fecerim, ſi hanc ſucceſſionem regum Macedoniæ ob oculos ponam, atque nonnihil explicem. facit enim ad multa aliorum, noſtri etiam quædam in Pyrrho, Demetrio, & alibi intelligenda loca. Prius tamen typo delineatam rem oculis ſubiiciam.

## REGVM MACEDONIÆ GEnealogia poſt Alexandrum Magnum.

Philippus.
Antig. I, rex. --- Stratonice. Corrhæi filia. Demetr.
Demetrius, cognomine Poliorcetes. — Philippus.
Antigonus II, Gonatas.
Demetrius. — Alcyoneus.
Antig. III, Doſon. ------ Philippus.
Perſeus.

## EXPLICATIO quorundam.

Quod ad patrem attinet Antigoni primi ſiue magni, eum fuiſſe Philippum ſatis conſtat. ita enim nominant Plutarchus in Demetrio, Arrianus lib. I De expeditione Alexandri, Iuſtinus lib. 13, Oroſius lib. 3, cap. 23. Quis autem fuerit iſte Philippus, nõ facilè dixerim. In Onomaſticis reperies, Antigonum primum, fratrem fuiſſe Alexandri Magni : ídque eſſe apud Plutarchum in Pyrrho. Quorum & prius exiſtimo falſiſſimum eſſe: & poſterius quid eſt niſi mendacio & falſa citatione imponere ſimplicibus? Ego, quum de patre Antigoni Philippo dicitur, nequaquam intelligendum iudico re-

gem Macedoniæ, patrem Alexandri: sed alium quendam. nisi siquis adeo stultus est vt quum Arrianus quo dixi libro, in pugnæ ad Granicum descriptione Philippũ Amyntæ F. nominat, de eodem velit accipere. Idẽ alium præterea Philippum commemorat, Menelai filium. Pausanias in Atticis, Philippum Casandri fratrem refert, qui cum AEacida Epiri rege prælio dimicauerit. qui an idem sit cũ eo quem ante Ptolemæum Berenices maritũ fuisse, in Pyrrho Plutarchus scribit; haud scio. Certi autẽ nihil habeo: & Amplius hîc. De matre quoque Antigoni Gonatæ non sum certus. nam pater eius Demetrius, cuius vitam scripsit noster; plures habuit vxores: quarum primam sororem Pyrrhi Deidamiam; matrẽ Gonatæ fuisse suspicor. Habuit autem præter eam etiam Antipatri filiam Philam, ex qua ei nata est Stratonice, quæ Seleuco Magno est collocata ab ipso: & Ptolemaidem, Ptolemæo & Eurydica Antipatri filia natam. Quin & Eurydicen quandam Atheniensem, & Lanassam Agathoclis filiam, Pyrrho matrimonio iunctam, duxisse legitur. Alcyoneum Antigoni Gonatæ filium fuisse; in fine Pyrrhi noster ostendit: quid ei factũ sit, non memini legere. Demetrius quidem eius frater decem annis rex Macedonibus fuit, vt lib. 2 scribit Plutarchus. Antigonus Doson (quasi cunctatorẽ in repræsentando promisso dicas) cognomento, tutor fuit & ἀνεψιὸς (fortè patruo eius natus) Philippi eius quem Romani debellauerunt: pòst etiam vitricus, & in regno antecessor. Hunc Antigonum, Seruatorem Græci & Benefactorem vocabant: multáque de eo sunt in Arato & Cleomene Plutarchi, & apud Polybiũ:

1, 414, b. *A matre sartrice quadam Argolica, Gnathænia nomine*] Xyl. itidem *Argiua sartrix Gnathænia*: annotátque, Aretinus pro sartrice medicam reddit τὴν ἀκέστριαν. Cæterum ἀκεῖν, oratoribus est Suere, Sarçire. Hinc ille apud Lucianum in Menippo Philippus rex, ἀκούμενος τὰ σαθρὰ τῶν ὑποδημάτων. Inde ἀκίστρα, Acus, & ἀκίστρια, Sartrix: hoc est ῥάπτειρα, seu ὑφαίνετρια etiã: vt est apud Eustath. in Odyss. ξ, explicantẽ illud, Νῆας ἀκειόμενον: & fusius in lib. 10. Gnathæna autem nomen, diminutiuum facit Gnathæniam. est idẽ in fine Arati. Crus. hîc annotat, In Arato ad finem est Gnathænio.

1, 414, d. *Quem per Elimiã*] Xyl. vertit, *Eúmque vi apud Elimiã*: annotátque, Κατὰ τὰς Ἐλιμίας. Vrbs est Macedoniæ Elimia, Ἐλίμεια vel Ἐλιμία. (vtrumque enim scriptum reperi. quidam Elymam, Ἔλυμαν, habent) à qua Ἐλιμιῶτις, Elimiotis, regio dicitur, infra Apolloniam ad Ionium mare pertinens: cui Saso obiecta est insula. Strabo, Stephanus, alii. Ptolemæo vrbs Ἔλυμα, regio Ἐλυμιῶται dicitur lib. 3. Aretinus sensum huius loci non reddidit.

1, 416, a. *Rumores ne serant*] Xyl. itidẽ, *Neque rumores sererẽt*: annotátque, Μήτε λογοποιεῖν, Verba facere Aretinus, non rectè. Est enim λογοποιεῖν, Nugari, & rumores vanósq; sermones comminisci. vnde Iulian. apud Suidã Herodotũ λογοποιὸν, fabularum parentem, dixit. Similem locum ex Epistolis (vt opinor) Græcis ab Aldo impressis Erasmus citans, in vltimo prouerbio primæ cẽturiæ, leui admodum codicis mendo in errorem abductus est. Sic enim adducit: In epistola Iuliani ad Leontium, ὁ λόγος

ποῖος ὁ Θούριος, ὧτα εἶπεν, &c. Allucinatur etiam in explicando cur Thurius vocetur Herodotus. Quòd si vel ex Suidæ verbis, vel proprietate sermonis Græci animaduertisset λογοποιὸς esse legendum: ac quæ de Herodoto Suidas & Plin. lib.12, cap.4, tradiderunt, atque alii, meminisset: nunquam in re ita aperta & facili incurrisset in aliorum iustas reprehēsiones. Sed de his aliâs. Liuius ita habet: Rumores vestra credulitate ne alatis, quorum nemo autor extabit.

1,416, c. Par *numerus peditum qui iungebant cursum equis, & inuicem prolapsorum equitum vacuos capiebant equos*] Xyl. vertit, *Ac totidem peditum, qui equitibus adiuncti, vsu ita ferente, vicem eorū gererent*: inque eum locum hæc annotat, Παραιβάται. Aretinus oppidò negligens sui muneris, transfugas vertit: sed eum missum facio. Quid sibi velit παραιβάτης, non est adeò in promptu. itaque explicabimus, idq; ex autoritate Grammaticorū. Παραιβάτης (quem carminis gratia constituendi παραιβάτην etiā poetæ dicunt, sicut ὑπαὶ & παραὶ pro ὑπὸ & παρὰ, & alia id genus nonnulla) inter alia significat eum qui de curru pugnat. Varinus in præstantissimo suo dictionario, παραιβάται, inquit, ab Homero dicūtur qui de curribus pugnant. & eosdem aliàs ab eodem ἡνιόχους, id est aurigas, appellari addit. Dignus autor cui credas: sed addam testimonia. Hom. est versus Il. penultimo libro, Ἂν δ' ἔβαν ἐν δίφροισι παραιβάται ἡνίοχοί τε. Scholiastes vocabulum id hoc modo exponit: παραιβάται, οἱ ἐπὶ τῶν ἁρμάτων συμπολεμοῦντες, τοῦτ' ἔστι κύριοι τῶν ἁρμάτων. Porphyrius philosophus, summi nominis doctor, in Quæstionibus Homericis: παρὰ τῷ ποιητῇ, inquit, τῶν ἐπὶ τοῖς ἅρμασιν, οἱ μὲν μαχόμενοι, παραιβάται· οἱ δὲ τὰς ἡνίας ἔχοντες, ἡνίοχοι. A quo non dissentiunt Eustathii expositiones in γ & λ Iliadis. Atque eodem plane modo vsus est Euripides Ἱκέτισιν, qui vnus locus & quæ diximus confirmare, & vocabuli vsum in militia docere potest. itaque adscribam. —ποιμένες δ' ὄχων Τετραόρων κατῆρχον ἐντεῦθεν μάχης. Πέραν δὲ διελάσαντες ἀλλήλων ὄχους, Παραιβάται ἔστησαν ἐς τάξιν δορός. Χ' οἱ μὲν σιδήρῳ διεμάχοντ', οἱ δ' ἔστρεφον Πώλους ἐς ἀλκὴν αὖθις ἐς παραιβάτας. Apollonius Argon. lib.1, in chlæna Iasonis, de duobus curribus, Καὶ τὸν μὲν προπάροιθε Πέλοψ ἴθυνε τινάσσων Ἡνία, σὺν δέ οἱ ἔσκε παραιβάτις Ἱπποδάμεια: impropriè vtitur hoc vocabulo, idque non dissimulauit interpres. Cæterùm hoc loco Plutarchus aliter vsurpauit eam vocem. nam Basternarum παραιβάτης erat nō in curru, sed pedes equiti permixtus, & qui re ita ferente, equitis officio fungererur. Id manifestum est ex Liuij verbis, quæ hac ipsa de re sunt lib.44. Veniebant, inquit, x millia equitum, par numerus peditum, & ipsorum iungentiū cursum equis, & in vicem prolapsorum equitum vacuos capientium equos, &c. Quia Liuius ipse vno vocabulo id genus militū non expressit, ne mihi quidem id tentandum duxi. Alioqui non adeò absurdum erat, eos velites equestres nominare: vt intelligeretur, nonnullam iis fuisse similitudinem cū velitibus qui equitatui immisceri solebant à Romanis, instituto Q. Nauij centurionis, quū bello Annibalico Capua obsideretur. Liuius initio lib.26: Valer. lib.2, cap. 1. Vide etiam quæ in Phocionem

de vocabulo Ἀποζάτης annotaui.

1,417,a. *Quibus prater altũ apparatum centum millia militum erant parata*] Xyl. vertit, *Qui* * *aliũ apparatum, centum millia erãt collecta & ad vsum belli parata.* Et annotat: Locus in Græco nostro libro mutilus erat: itaque, quod vnũ potui, asterisco notaui. De hoc apparatu Romanorum satis copiosè Liuius 44. Nã quæ annotata sunt in margine antiquæ versionis, vbi per decem millia legiones intelligidicitur, nihil agunt. Amiotus paulo antè, vbi est Sordidus homo, locum esse mancũ annotauit: quod mihi non videtur.

Ibidem c. *Illyriorum regẽ Gentium*] Hic est ille Gentius à quo Gentiana & inuenta & nominata fuit: vt Diosc. lib. 3, & Plin. lib. 27, cap. 7, testantur. Cr.

1,419,b. *Secundum Pythium atque eam rupem*] Xyl. vertit, *Iuxta Pythium & Petram.* annotátque, Apud Liuium legitur Pythoum. Ptolemæus lib. 4, vrbẽ Pelasgiotidis Πύθιον, Pytheum, nominat, haud procul Gonno & Atrace sitam: quam hîc intelligi puto. éstque etiam à Sophiano in tabula Græciæ expressa. Stephanus cum nostro Πύθιον scribit. de Petra nihil habeo.

Ibidem d. *Iuxta Heracleã*] Xyl. vertit, *Apud Heracleam.* annotátque, Ex Liuio. Nam neutro genere hîc τὸ Ἡράκλειον, nescio an sine menda, legitur. nam & apud Stephanum videtur indicari, neutro genere eam vrbem dici posse. Amiotus quidem pro Herculis fano accepit, vocabuli etymon sequutus: quũ Aretinus simpliciter Heraclium posuisset. Intelligo autem eam Heracleam quam primo loco in ora Macedoniæ posuit Plinius lib. 4, cap. 10.

1,420,a. *A fano Pythii &c.*] Versus hi de altitudine Olympi, & mendosi sunt & satis obscuri. vt mirum non sit, eos ab interprete mutilatos atque corruptos. pro δέκα, πλέθρον, & μετὰ, legi δεκάδα, πλέθρον, & μέτρα. Ostendunt autem hi versus, Olympi altitudinem supra decem stadia, impleuisse iugeri spatium, demptis tamen ei quatuor pedibus. πλέθρον iugerum significat, quod in agricultura longitudine est C C X L pedum, latitudine C X X: Varro, Columella, Plin. l. 18, cap. 3: Quintil. lib. 1, cap. 17, alii. Sed quũ longitudinis tantùm, vt hoc loco, mẽsuram significat, quæri potest quid sit. Ego sextantem stadii verti, sequutus communem sententiã, quæ est apud Eustathium in λ Vlyssea, & Suidam, & alios. Idem Eustathius in Iliadis λ, ait pedũ C X X esse mensuram: quem ego locum corruptum puto, quum idem Iliad. φ, centum modò pedes ei assignet, atque ita etiam legatur apud Suidam. Quo facit quòd ibidem 100 pedes 66⅔ cubitis æquantur: vt cubitus sit (quod etiam Suidas fatetur) pedis vnius & semis. Stadium esse cubitorum C C C C, idẽ Suidas tradit: nimirúmque pedum D C tantùm interuallum fuisse curriculi Olympici, ex Plutarcho refert Gellius initio Noctium Atticarũ. Interpres Pindari in X I I I Olymp. C C C cubitorũ fuisse tradit: alios scilicet sequutus. Certè apud Latinos stadium C X X V passuum erat, pedum (nam quinque singulis passibus tribuuntur) D C X X V. Plin. l. 2, cap. 23. Inde miliarium octo erat stadiorũ: qua de re alibi diximus.

Ibidem c. *Et occuparet saltum*] Xyl. itidem, *Saltúsque occuparent,* annotans, τὰς ὕλας. Ego non dubi-

tanter πύλας repono, hoc eſt portas. Notiſſimum eſt, montium fauces & clauſtra, per quæ aditus in regionem alienam aperitur, vocari Pylas. Hinc Pylæ illæ quæ & Thermopylæ. vnde Pylagoræ Græcorũ, & alia à nobis aliàs explicata. Syluas Aretinus vertit, retento mendo. Amiotus rectiùs.

1,422,a. *Hoſtiis viginti non litauit*] Xyl. vertit, *Primis hoſtiis non perlitauit.* & annotat, ἐκ ἐκαλλιέρει. En tibi (non enim poſſum non ſtomachari) correctorẽ. Rectè verterat Aretinus τὸ καλλιερεῖν, litare. Corrector, quicunque tandem fuit, id quaſi errorẽ notauit, inque margine adſcripſit Græca, & interpretatus eſt, haud auſpicata ſacra expertum eſſe. Nimirum verò hîc virum ſe præſtitit, & officio emendatoris coronã meruit: quin & Suidam (vt ille in morſu pulicis Herculem) inuocat. Ex hoc quidẽ ſuam Latinæ linguæ ignorationẽ non potuit cognoſcere, homine Græco. Eſt autem omnino Litare, καλλιερεῖν, adeóq; id quod ille Auſpicata ſacra experiri dicit: quod demonſtrare piget, quum nihil ſit notius. Tullius 2 De diuinat. Quid quum plurib⁹ diis immolatur, quî tandem euenit vt litetur aliis, aliis non litetur? Idem Perlitari dicitur. Liuij verba appoſui de lib. 41, ne multos locos adducendos haberem: Territis eo prodigio & alter conſul curam adiecit, qui ſe quòd caput iocinori defuiſſet, tribus bubus perlitaſſe negauit. Senatus maioribus hoſtiis, vſque ad litationẽ ſacrificari iuſſit. Cæteris diis perlitatũ ferunt. Saluti Petilium perlitaſſe negant. Vocabulum dictũ παρὰ τὸ καλὸν καὶ ἱερὸν, patet: & quorum hoſtias probaſſent dii, illi καλλιερεῖν dicebantur. Teſtatur id etiam Euſtath. in β & κ Iliadis, & λ Odyſſ.

Ibidem c. *Directas frameas ferro graues &c.*] Xyl. vertit, *Romphæã ferro graui præfixam*: remittens ad ſuas in Cleomenem annotationes.

1,424,a. *Pelignorum & Marrucinorũ*] Παλιγνῶν καὶ Ῥακινῶν. Prius pro Pelignis accipiendũ eſt, haud ſcio an malè ſcriptum, ſicut & paulo antè pro Ῥακινῶν legerim Μαῤῥουκινῶν. Liuius: Duæ cohortes à parte Romanorum erant, Peligna & Marrucina, &c. Corrector neſcio quid Tarracinorũ annotauit, eóq; interpreti Gallico impoſuit.

1,426,c. *Adaquare equum*] Xyl. vertit, *Equo potum ſubminiſtrare*: & annotat, ἵππον ἄρδειν. Aretinus Equum ſtabulari, non modò nõ ſatis Latinè, ſed & cõtra Græci ſermonis veritatem. Eſt enim ἄρδειν idem quod ποτίζειν. quod & notũ eſt, & ex Herodoto docet Euſtathius in 8 Iliad. ἡ γυνὴ ἐπεὶ ἀφίκετο ἐπὶ τὸν ποταμὸν, ἦρδε τὸν ἵππον. ὅ ἐστιν, ἐπότιζεν. Inde ἀρδεύειν, & alia quæ ibi & alibi exponit.

1,427,a. *Inde Alepſum*] Xyl. vertit, *Atque hinc Galepſum*: annotátque, Ἀλήψῳ eſt in Græco, ſed vitioſé. nam neque vlla iis in regionibus vrbs Alepſus à quoquã (vti arbitror) autore nominatur: & apud Liu. lib. 44, extremo, eſt apertè, Galepſũ eo die, poſtero Samothracam peruenıũt. De Galepſo eſt apud Stephanum, & alios.

Ibidem d. *Ad Sagram amnem*] Xyl. vertit, *Apud Sagram fluuium*. annotátque, De cæteris ſatis conſtat. Pugnam apud Mycalem deſcripſit Herod. lib. 9: Diod. lib. 11: alii. De Tarquinienſi victoria etiã in Coriolano retulit. Sed de hac apud Sagram pugna explicandum videtur. Sagram fluuium Italiæ eius quæ magna Græcia dicitur, inter Locros & Caulonem fuiſſe,

Plin.l.3,cap.10,asserit. Ibi pugnatum fuit à Locris aduersus Crotoniatas;hi c x x x millia,illi, x millia in aciem eduxerant. Vicerunt tamen Locrenses. Nuncius victoriæ eadem die Olympiam, Spartã, Corinthũ,& Athenas perlatus est. Hæc ferè Strabo libro 6,in descriptione Calabriæ:Cic.lib.2 & 3 De natura deorũ, Suidas, Iustinus lib. 20:qui tamen locum non nominat, historiam perspicuè describit. Atque inde ortum prouerbium, Strabo & Cicero, & Eustathius in secundum Iliadis,& Suid. ostendũt, vt de re certa incredulis diceremus,Certiorem esse rem iis quæ apud Sagram gesta sint: ἀληθέστερα τῶν ἐπὶ Σάγρας. Sic Cicero:De Sagra Græcorum est vulgare prouerbium,qui quæ affirmant, certiora esse dicunt quàm illa quæ apud Sagram. Hæc vim & vsum prouerbii satis indicant. Sed quo tempore pugnatum sit,non facilè cognoscitur: tametsi id maximè in historia desideratur. Ego ex Laconicis Pausaniæ, quo loco is Crotoniatarum de Achille & Helena sermonem cõmemorat, deprehẽdi Stesichori iam tũ excæcati tempestate rem eam gestam fuisse:quem natum Olymp. x x x v i i, mortuum l v i, Suidas,adstipulatore Eusebio,tradit: vt haud longè ante aut post quinquagesimam olymp. & Tarquinii fortè Prisci tẽporibus prælium id pugnatum fuisse,coniectura esse videatur. Huius rei ignoratio Aretinum in eum errorem induxit,vt Ἰταλιωτῶν Romanos verteret, iisque pugnã hanc falsò adscriberet:quæ nobis annotandi causa fuit. De Antonii rebellione Xiphil.in Domitiano,Suetonius, Tacitus, Martialis.

1, 428, c. Cn. *Octauius, qui vnà cum Paulo bellum administrabat*] Xyl.vertit, *Cn.Octauius præfectus classis*.annotátq;, ὁ συνάρχων Αἰμυλίῳ,id est collega. Legatum vertit Aretinus,non pessimè. Neque enim consul,neque pari cum Paulo potestate fuit: tametsi ne legatus quidem eius, nisi fortè quòd prætor eum classe ducẽda adiuuit. Itaque malui exprimere.

1,432,b. *Vt quodãmodo triumphalem pompã prelibaret populus Romanus*]Xyl.vertit,*Vt & ludi* * *extra quod vt* * *Romani ante triũphũ ea fruerentur*. & annotat, Hæc mutila,& nisi ex libro insanabilia, omisit Aretinus:pro προαπολύειν, προαπολαύειν substitui.

1,434,c.*Cornua*]Xyl.vertit,*Pocula in cornu formã*. annotátque, Κέρατα. Antiquitus cornibus animalium pro poculis vtebantur. inde Κεράσαι,Vinũ miscere: & Bacchus cornutus dictus. Vide omnino Athenæum lib. 11: & Eustathiũ in principium Iliad.13.

1,436,a. *Vt est apud Homerum*] Locus est Iliad. vltimo lib. Verba sunt Achillis ad Priamum,humanam sortem & conditionem ex rebus prosperis & aduersis commixtam describentia. quæ obiter Latina facta apposui: *Hanc misero sortẽ superi iniunxere, dolorũ Expertes, hominũ generi. nam dolia in ipso Limine cælestis primo duo sunt posita aulæ, Vnde duũm generũ Iupiter mortalibus effert Munera: in hoc bona sunt, aduersa recondita in illo. Cui cõmixta Tonans depromit dona,fruetur Nõnunquã aduersis, rebus quandoque secundis. Sed cui sola dedit de læuo tristia vase: Is miser est,neque diis,hominũ neq; amabilis vlli, In terráque suos lugubriter exigit annos.*

1,438,c.*Et Licinius Philonicũsq;*] Xyl. itidem,*Licinnio & Philonico*. & annotat, Philonicũ hunc fuisse

[S.]iiij.

publicanũ, ex Politicis Plutarchi præceptis constat: vt hîc copula desideretur. Aretin. declamatorē vertit: quasi id φιλόνεικος significet.

1,439,a. *Eleam oppidum Italiæ*] Xyl. itidem, *Eleam Italiæ vrbem*: annotátque, Aretinus Veliam posuit, quum sit in Græco Ἐλέαν. non video quid ille, aut cur ipsum Amiotus sit sequutus. Est autem Lucaniæ vrbs, vt ex initio lib. 6 Strabonis liquet, & suprà ostendi. Paulo pòst ἐγχέμβροις, non διαχύμβροις scribendum.

# IN PELOPIDAM ANNOTAtiones Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

Pelopidas Epaminōdæ æqualis sociúsque fuit, maximè Leuctrica pugna nobilis, qua Spartanis Thebani principatum Græciæ eripuerunt, sedecim circiter annis post captam à Gallis Romam, vt ex Polyb. lib. 1 initio, Diodoro Siculo lib. 15, Pausan. Bœoticis, & Gell. l. 17, c. vlt. patet.

1,445,a. *Cato maior*] Est & hæc vita ex earũ numero quæ ita fuerunt deprauatæ malè vertendo, vt emendare velle, non magis sit cōsilij quàm laterem lauare. Quàm enim nullo sensu Catonis venustissimum in temerarios nimísque audaces homines dictum extulit? an verò ἀλογίστως παράβολος is est qui Strenuus Latinis dicitur? quũ hoc virtutis, illud vitij sit. Et quidem nihil apertius potuit hoc apophthegmate cogitari: quod tamen etiam sequentia exponunt, quæ eodem ferè modo tractauit. Cæterùm & hîc & in Fabio, vbi de Marcello autor loquitur, ἰταμὸς audacem significat: aliàs proteruum.

1,448,c. *Vt Euripideus Capaneus*] Xyl. *Exemplo Capanei Euripidei*. Et annotat: Locus est in Supplicibus, aureus profectò, quē adscribam Latinis versibus expressum. (si tamen hoc est exprimere) nam & exemplum continet hoc seculo rarum, & officium potentis amici fideliter definit. Verba sunt Adrasti: *Tenerum vidésne hunc qui traiectus fulmine est? Capaneus is erat. opes habuit amplissimas: Minimè superbiebat his, neque spiritus Trahebat tamen vnquam altiores paupere: Vitare luxum suetus, & vulgaria Fastidientes: non ratus in gula sitam Virtutem, & esse modica naturæ satis. Præsentibus fidelis, atque absentibus Amicus (hoc perpauci præstant nunc) fuit.*

1,449,a. *Posthac quum Lacedamonis cum Thebanis in specie vt amicis & sociis agerent*] Xyl. *Socios & amicos Thebanorum ostenderēt*: annotãs, προσφερομένων. Becarias: *Quum Spartani se ad Thebanos contulissent.* Qui error totam historiã inuoluit, omniaque obscura reddit de apertissimis. Porrò προσφέρεσθαί τινι, ὡς φίλῳ, ὡς ἐχθρῷ, dictio est neque insolens, & intellectu facilis.

Ibidem c. *Indicitur exiliũ*] Xyl. *Exilio damnati sunt*, annotans, ἐξεκηρύχθησαν: omisit interpres. Sic & in Gracchis vsus est Plutarch. ἀκρίτους ἐξεκήρυξαν. & iterũ, Ποπίλλιος τοὺς Τιβερίου φίλους στρατηγῶν ἐξεκήρυξεν.

1,450,d. *Et pauci quidam ex iunioribus*] Xyl. itidem, *Pauci quidã ex natu minoribus*: annotans, Et hunc locũ peruertit, ita vt ad Phereniucum retulisse videatur quæ ad

Pelopidam pertinent. Omiſit autem τὸ παραβαλέσθαι: in quo ſumma ſententiæ eſt. παραβάλλομαι eſt media voce Periculoſum aliquid aggredior, In diſcrimen me committo: vnde παράβολος, Audax: quod vocabulũ vſurpauit initio huius libri Plutarchus malè ab Antonio verſum.

1,451,a. *Et varos ferebant*] Xyl. itidem, *Et varros ſecum ferentes*: annotans, στάλικας, Venabula, Becarias: ſed indoctè. Sunt autem στάλικες, ligna quibus retia attolluntur & fulciuntur. Latini varros appellant. Tryphiodorus Ἰλίου ἁλώσει, Ὡς δ' ὁπότε σταλίκεσσι λίνον περικυκλώσαντες Ἀνέρες ἀγρευτῆρες.-- Lucanus alicubi: *Sic dum diſpoſitis attollat retia varris Venator*, &c.-- Pollux lib. 5, cap. 3, σταλίδας & σταλιδώματα vocat, vt quidẽ in Aldino lib. legitur.

1,452,a. *Hic multo antè in eum diem oſtenderat Archiæ*] Xyl. *Is ad eam diem*: annotans, Corrupit hiſtoriam Becarias, neſcio quæ feſta & ſolennes ludos Thebanorũ cõmentus: quũ verba luculenter oſtendant, Philidam domum ſuam ad eum diem tyrannos multo antè inuitaſſe ad compotandum, ſcortis etiam promiſſis. ὕπανδρα γύναια, (omiſſum ab iſto) adulteræ videntur. & in ſacris literis γυνὴ ὕπανδρος dicitur, quæ marito eſt iuncta, Rom. 3. Cæterùm tota hæc Thebarum & libertatis ab exulibus duce Pelopida recuperatæ hiſtoria, mira & copia & elegantia eſt à Plutarcho deſcripta eo in libro cui titulus eſt De genio Socratis.

1,454,d. *Ergaſtulis quæ erant circa domum Charonis, vbi haſtæ & gladii parabantur*] τὰ περὶ οἰκίαν ἐργαστήρια, arbitror intelligi eſſe tabernas operarias. Neque enim vel ἐργαστήριον inſtrumentũ Græcè ſignificat, (quod ἐργαλεῖον dicitur) vel δορυξόος haſtam, aut μαχαιροποιὸς mucronem, ſed haſtarũ vel gladiorum fabrum. Quæ quum nemo non videat, quis non miretur verſionem Becariæ, qui Thebanos non lanceis, ſed furcis, (vt apparet) non gladiis ſed verubus aut ſecuribus domeſtico vſui paratis, nulla neceſſitate compulſus, armauerit?

1,459,a. *Quũ verò qua data via erat, duceret Pelopidas*, &c.] Xyl. *Sed Pelopidas perrumpendi conſilio miſſo*. & annotat, ἐπεὶ δὲ τὴν δεδομένην ἡγεῖτο. Illud δεδομένην videtur aut mendoſum eſſe, aut arguere mutilatũ locũ: quaſi ſi fuiſſet hic omiſſum διάστασιν χαίρειν ἐάσας, aut tale aliquid. Ego ſenſum vtcunque me expreſſiſſe puto.

1,459,d. *Et tribus tribus*] Eſt libro Iliadis ſecundo. φρήτρας autẽ quàm rectè Societates vertantur, quid attinet dicere?

1, 462,b. *Menœceo Creontis*] De hoc lege Phœniſſas Euripidis, & de Macaria Heraclidas. Leonidæ hiſtoria ex Herodoto & aliis notiſſima, & de Themiſtoclis ſacrificio ſuprà dixit. De Pherecyde non memini alibi legere.

1,463,c. *Præfectorum & manipulariorum munus obeuntes*] Xyl. vertit, *Iuxta ac poſt ſe poſiti certo ordine milites*. annotátque, Eſt in Græco ζυγῖται καὶ ἐπιστάται. Magiſtros & Decanos vertit Antonius: quod quid ſit, non video. Equidem Latina vocabula quibus explicem verba Græca, non ſuccurrunt: fingere neque auſim, neque fortaſſis cõmodè poſſim. Opinor autem ζυγίτας dici, qui iuxta alios poſiti: ἐπιστάτας, qui poſt alios collocati in acie, adſiſtẽtibus, vel ante ſe ſtantibus auxilium fer-

τας esse (is enim στρῶτας a breui facit, vti prosodiæ gnaris nõ est obscurum) sed à στρῶται, cuius singulare est στρώτης. Et quidẽ suspicor sua illum verba pro Becariæ verbis subiecisse, sequutum (si diis placet) Suidæ autoritatem. Nam profectò Cælius libro Antiq. lect. 16, cap. 11, aliam interpretationẽ citat atque reprehendit, quasi seruilia strata interpres hîc edidisset. quod nuper obiter vidi, quum eos libros inspicerem, nisi fortassis etiam alius quidam Pelopidæ vitã conuertit. Verbum est στρώω, Sterno: inde στρώτης, Strator, formari potest: vt à πλώω, πλώτης. Esse autem genuinũ hũc loci quẽ tractamus sensum, & στρώτας huiusmodi famulorum genus, qui vestes stragulas componerent atque concinnarent, euidentissimum est ex verbis Athenæi, quorum sententiam Latinè adscripsi de libro Dipnosophistôn secundo, Primi (inquit) Persæ, vti est ab Heraclide traditum, eos qui strotæ (στρῶται) dicuntur, inuenere, vti vestes stragulæ ab his ordine & concinnè componerentur. Itaque Timagoræ Cretensi, vel (vt Phanias Peripateticus autor est) Eutimo Gortynio, qui se Themistoclis exemplo ad regem contulerat, Artoxerxes honoris causa tentoriũ insignis cùm elegantiæ, tum magnitudinis dono dedit, & lectum argenteis pedibus fultum, vestémque stragulam magni precij, simúlque famulum qui ea sterneret, Græcos sternendi ignaros dicens, &c. Et quidem infrà in Artoxerxe de eodem Timagora quum dicitur, qui hic στρῶται, ibi στρωννύντες participio dicuntur. Meminit etiam Eustath. in 3 Vlyss. Persas primos στρώτας excogitasse: ex Athenæo, vt multa. Stratorem aliis, ipsiq; Budæo, intelligi eum qui equum adornet, & principẽ in eum imponat, (Græcis est is ἀναβολεύς) noui: quomodo & Vlpianum in Pandectis de officio Procos. . & in Caracalla Spartianum vsurpasse, annotatum est. Ego licere mihi putaui verbũ de verbo, etymologia adstipulante, exprimere. Idémque in vita Alexandri feci: vbi Proxenus στρωματοφύλαξ dicitur, ego stratorẽ extuli, hoc est qui lecto & stragulis regiis præesset. Guarinus, sarcinarũ custodiæ præfectũ verterat. Ibidẽ Crus. annotat, *Lectisterniatores*. Sic appellat Plautus quos Græci στρώτας vocant.

1,471,a. *Nouem archontum loco*] De his in Pericle dictum, & initio Aristidæ.

1,475,b. *Insidias ei ad hunc modũ struit*] Cic. de offic. lib. 1. Cr.

# IN MARCELLVM ANNOTAtiones Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

Marcellus bello Annibalico floruit, quo nihil est notius, & cuius tempus accuratè à Polybio lib. 3 ostenditur. Obiit cõsul insidiis Annibalis anno ab V. C. DXLVI.

1,476,c. *Vt ait Homerus*] Libro Iliad. 14. Verba sunt Vlyssis de se & Græcis, aduersus Agamemnonem, qui fugam suadebat.

1,477,c. *Mensam argentariam*] Xyl. vertit, *Mensam nummulariã*. & annotat, ἀργυραμοιβεῖαν est in Græco. quod quid hoc loco sit,

non planè intelligo. Id facilè apparet aliquid argentei ex mulcta Capitolini cõfectum, idque dedicatum. verbum videtur mensam nummulariam seu abacum significare: sed impropriè (ni fallor) hîc pro quauis mensa accipiendũ. Nisi fortassis mutilus est locus, & scripsit Plutarchus Marcellũ pecuniam mulctæ loco exactam in argentum cõuertisse, (nam id nõ incommodè Græcis verbis dici puto, ἀργυρωματίαν ποιεῖσθαι) & donarium cuius hîc interciderit nomen, ex eo fecisse. Iudicii huius meminit Val.lib.6, cap.1. & reum C. Scantiniũ Capitolinũ tribunũ plebis nominat. vnde facilè apparet variè hanc rem narratam fuisse. quid de mulcta statutum fuerit, nusquam reperio.

Ibidem. *Iberes, qui regionem Italiæ subalpinam incolebant*] Xyl.vertit, *Insubres gens Gallica*: annotátque, In Græco est Ἴβηρες, idque retinuit etiam Guarinus: quum tamen neque gens vlla Gallica Iberi sint, & quomodo scripserit Plutarchus ipsa historia doceat. Insubres enim Galli fuerunt, de quibus hîc dicitur, quod ex Polybii lib.2 (ibi enim hæc historia copiosè describitur, & Ἴσομβροι appellantur: à Plutarcho mox Ἴνσουμβροι) patet, & Floro lib. 2, cap. 4, Zonara, aliis. Itidem hîc Cruser. annotat, Legendum arbitror Insubres: quorum hîc meminit Epitome Liuii.

Ibidem. *Qui Gesatæ vocantur*] In Græco hîc Γεσᾶται falsò, infrà Γαισάται nominantur. Polybium sequuti, Gæsatas scribimus. Quòd autem à militiæ mercede sic nominatos idem perhibet, vix ei adsentior. non enim grammatici modò Græci annotarunt, γαῖσα esse ἀκόντια, pili genus: sed & Propert. lib. 4, hoc ipso de bello ita vsurpauit, *Virdomari genus hic Rheno iactabat ab ipso, Nobilis erectis fundere gæsa rotis.* Maro gæsorum alicubi etiam meminit: *--duo quisque Alpina coruscant Gæsa manu.--* & meminit Nonius etiam. Itaque verisimile est, à genere armorũ dici Gæsatas: vt funditores, vt lancearios, vt cetratos, vt alios. Sed hæc nihil admodum huc pertinent. Seruius (opinor) alicubi tradit, fortes viros à Gallis Gæsos dici. Porrò autem de belli istius apparatu & Romanorum & sociorum, lege Polybium eodem libro, epitomam Liuianam 20: & Plin.lib.3, cap.20.

1,479,a. *Libros ad sacra populi pertinẽtes*] Xyl.vertit, *Cõmentarios militares*. & annotat, στρατηγικοῖς ὑπομνήμασιν. Intelligo ephemeridas, hoc est librum in quem quid quoque tẽpore gessisset, scriptum referret. Apud Ciceronem lib. De diuinatione 2, eadem historia narratur: ibi simpliciter scriptum est Libros. Valer.lib.1, cap.1, idem referens, ex libris ad sacra populi pertinentibus animaduersum errorẽ suum à Sempronio inquit. Ciceronis locum adscribam, vt aliquid lucis adferat, aliquid accipiat. E prouincia (inquit. loquitur antẽ de T. Sempronio hoc qui Ti. & C. Gracchorum pater fuit) literas ad collegium misit, se, quũ legeret libros, recordatũ esse, vitio sibi tabernaculũ captũ fuisse in horto Scipionis: quòd pomœrium postea intrasset, senatus habendi causa, in redeundo quũ idẽ pomœriũ transiret, auspicari esset oblitus. Hunc morem capiendi tabernaculi Plutarchus disertè exponit hoc loco: qui sanè videtur ostendere Ciceronis locum rectè legi, vti adduximus, & hæc verba,

*In horto Scipionis*, non esse in *Aruspectionis* commutanda. Nullã enim video necessitatem quæ hoc nobis imponat: neq; Manutius istius correctionis autor (vir de Ciceronis & multorum optimorum scriptorum monumentis præclarissimè meritus) causam ostendit, cur à conductione tabernaculi extra pomœrium horti Scipionis magis quàm alius loci cuiuspiam fuerint alieni. neque fortassis, si Cic. *Aruspectionis* scripsisset, sciolus id non intellectum statim *In hortos Scipionis*, ac nõ potius in aliud quiduis mutasset. Meminit & Liu.lib. 4, ad annum V.C.CCCX, de tribunis militum. Non tamẽ pro firmato iam stetit magistratus eius ius, quia tertio mense quàm inierant, augurum decreto, perinde ac vitio creati, honore abiere: quòd C. Curiatius, qui comitiis eorum præfuerat, parum rectè tabernaculum cepisset.

1,479,b. *Minutio dictatori*] Μινουκίου. Valerius loco iam indicato non Minucium, sed Fabium Dictatorem nominat: estque id vero propius. siquidem bis Dictator Fabius fuit, vt Liuius disertè, & antiqua inscriptio quam Sigonius descripsit, docent.

Ibidem d. *inde Gesatarũ rex Viridomarus*] Xyl. vertit, *Virdumarus*. & annotat, Βειρόμαρτος. Sic & Guarinus: sed vitiosa est lectio. in vita Romuli Βριτόμαρτος: & Britomartis aliàs etiã apud Latinos vt barbaricum nomen legitur. Hic Liuium, Florum, Eutropium, Propertium, alios huius belli scriptores sequi malui.

1,480,a. *Iuxta Clastidium*] Καπίδιον. & hoc mendum retinuit vterque interpres: (sæpe enim videtur antiqua translatio Amiotum in errorẽ abduxisse) quum quidẽ neque sit visum vsquam nominatum Capidium: & Clastidiũ, Κλαστίδιον, diserte nominet Polybius eadem tractans. cui adstipulatur antiqua inscriptio, quam Sigonius in Epit. Liuij 20, refert. Meminit sanè huius Clastidij Liuius lib. 21, & lib. 32, vbi Ligurũ ditionis fuisse perhibet.

1,481,c. *Ex quercus eximię excelso & recto stipite detruncatam parauit in modum trophęi ferculũ*] Xyl. vertit, *Quercus enim votiuę truncum montanum ingentem excisum in trophæi formam dolauerat*. & annotat, ὀρεκταίου. omissum hoc est à Guarino verbum. Ipse ὀρεκταίου legi: non profectò quòd mihi satisfacerem plane, sed quia votiuam quercum existimo dici intelligique posse, quæ ad eam rem destinata esset. Quid legerit Amiotus ignoro: quercum montanam excelsam & rectam vertit.

1,481,d. *Ad nostrã vsque memoriam*] Xyl. vertit, *Ætatem*. & annotat, τῶν καθ' ἡμᾶς ἀγώνων. imposuit interpreti mendum, tametsi nullo sententiæ detrimento. Legendum est αἰώνων.

1,482,b. *Prœmiúmque sit primis, asses trecenti, secundis ducenti, tertiis centum*] τὸν δὲ δεύτερον π'. idque sequutus est Guarinus, *Secundo octuaginta*. Sed contra rationem videtur esse, vt qui a tertia spolia opima retulerit, plus eo accipiat qui secunda. Itaque in locũ τῶν π' (quæ est nota numeri LXXX) literam σ reposui, qua CC indicantur: eo quidem liberius quòd inter π & σ summa est figuræ similitudo: & nobiscum sentit Amiotus.

1,484,d. *Liuius non tantam affirmat victoriam fuisse*] Aut hic, aut apud Liuium, aliquantum verborum intercidisse videtur: nisi μνημονικὸν Plutarchi ἁμάρτημα esse

dioſi quæ doctè annotauit Philander ad Vitruuium lib.9,cap.3.nam & μεσόλαβον inſtrumentum, & lineas ſemicylindrorum, ( quorum hic obliquè meminit Plutarchus) diligenter explicauit. Ipſum problema nemo, quod ſciam, Stifelio ingenioſius,certius & facilius diſſoluit: quem lege libro ſecundo Perfectæ arithmet.cap. 7. Porrò autem Platonis indignatio eã cauſam habuit, quòd in contemplatione poſitas ſcientias, quæ ab omni materia abſtractas ſpecies quantitatis per ſeipſam conſiderarent, nolebat materiæ & ſenſilium rerum quaſi contagio affici & contaminari. Hinc illa apud eũ in Philebo mathematum diuiſio, in pura & impura:quam ne Ariſtoteles quidẽ diſſimulauit. Sed hæc non ſunt huius loci.

1,488,b. *Vbi tormenta Archimedes laxauit*] Liu.lib.4, Dec.3. Cr. Vide & Polyb.lib.8.

Ibidem d. *Baſin conuulſerunt machinę, laxaueruntque compaginem atque à ponte diuulſerũt*] Deeſt aliquid in Græco,tametſi Guarinus lacunam diſſimularit. Quid enim redditur ad ὧν οἱ μὲν? vt ne dicam, mutilatam narrationem ſtatim apparere.

1,490,d. *Apud Accillas* ] Apud Liuium Accillas eſt , hic Ἀκίλας. Stephanus Ἀκρίλλας ſcripſit,quod ſeries literarũ rectè legi ſatis demonſtrat. Id ſequutus ſum hîc, ſicut & apud Liuium Sigonius. De Archimedis ſepulchro vide quæ ſunt apud Ciceronem lib. 5 Tuſc. quæſt.

1,491,a. *Turrim quæ occultè capere milites poſſet* ] Sanè apud Liuium contrarium inuenies, qui ob idipſum intentius cuſtoditam ſcribit turrim eam,lib.25.

Ibidem c. *Sub luce Marcellus Hexapylo ingreſſus vrbem eſt*] ἅμα ϛαρδίᾳ. quod vocabulum ob inſolentiam mihi eſt ſuſpectum: & miror planè hanc Syracuſarum ἅλωσιν ita conciſè à Plutarcho deſcribi. Liuius lib. 25, Sub lucem, inquit, Hexapylo effracto, Marcellus cũ omnibus copiis vrbem ingreſſus.

1,492,b. *Horologia,ſphęras, angulos* ] Xyl.vertit, *Sciothera, ſphæras & quadrantes*.& annotat ,σκιόθηρα dicta à σκιὰ vmbra, & θήρα venatio,apparet: vt horologia intelligi poſſint , eáue inſtrumenta quibus ex ratione vmbrarum horas,aut alia etiam veſtigare ſolemus. quos dixi quadrantes , id in Græco eſt γωνίας αἷς ἐναρμόττει τὸ τοῦ ἡλίου μέγεθος πρὸς τὴν ὄψιν. ad verbum:Angulos quibus magnitudo ſolis ad oculos accommodatur. quod quid ſit,perobſcurum eſt.Ego quadrantes verti, quo nõ eſt aliud vſitatius apud mathematicos inſtrumentum,quum per dioptras ſole inſpecto , aliquid iſtarum rerum per angulorum præſertim doctrinã indagatur. Cruſerius quoque,quum vertiſſet *Angulos*,annotat, Quadrantis mathematici videtur eſſe deſcriptio.

Ibidem d. *Vt ſiquid de AEtnenſibus*]In Græco eſt περὶ Αἴτναν, hoc eſt AEtnæis , aut AEtnæ accolis, vel vrbi AEtnæ.Non ſum neſcius, oppidum AEtnam etiam à Strabone nominari, ad montis AEtnæ radices : ſed de qua dixerim apud Stephanum , & quæ huc nihil faciat. Quomodo Ennam vrbem Siciliæ L.Pinarius præſidii præfectus, perfidia oppidanorum coactus, neceſſario facinore retinuerit, cæſis Ennenſibus , hiſtoria eſt apud Liuium lib.24.qui id facinus non improbatum à Marcello, imò eum prædam militi conceſſiſſe ſcribit. Quò mihi videtur hic reſpi-

cere Plutarchus: neque Αἴτναν, sed Ἔνναν scripsisse, quod tamē sciolus aut oscitās librarius corruperit. Etenim Strabo lib. 6, Stephanus & alii, Ἔννα scribunt: quum in Liuii plerisque codicibus hactenus AEnna dicto loco lectum sit. Plutarchū quidem itidem Αἴνναν scripsisse, non facilè dixerim. De Megarensibus, Plut. antè, & Liu. ibidem: Marcellus Megarā vi captā diruit ac diripuit, ad reliquorum, & maximè Syracusanorum, terrorem.

1,493,d. *Et contumelias Enguinorum*] Guarinus Engiates. Græcus liber Ἐγγίους, malè vtrunque. Nam & ex Stephano liquet, hîc Ἐγγυΐους legendum: & Latinè Enguinos dici, ex Plinii lib. 3, cap. 9.

1,494,b. *Vt Pindari verbis vtar*] Locus est initio secundæ Pythiorum odæ, de Syracusis.

Ibidem c. *Addidit etiam id quod v. f.*] Liu. l. 7, c. 3. Cr.

Ibidem d. *Et in oculos hominum incurreret tertius triumphus*] Xyl. vertit, *Inuidiæ obnoxius erat secundus triumphus*. & annotat, ὁ τρίτος est in Græco, id est tertius: quomodo & Guarinus, & (vt aliàs sæpè) post eum Amiotus vertit. Sed de Gallis triumphauerat tantùm, neque (nisi admodum fallor) quisquam alium porrò eius triūphum agnoscit scriptor. Itaque ergo audacter secundum dixi.

1, 495, a. *De ouatione*] Vide & quæ Liuius scribit lib. 6, Dec. 3. Vide & Gell. l. 5, c. 6. Cr.

Ibidem d. *Subornarunt Syracusanos inimici Marc.*] Valer. Max. lib. 4, cap. 1. Cr.

1. 497, b. *Vndecim tribunis militum*] Historia est apud Liu. lib. 27, initio, sed ibi duodecim legitur. Sigonius vndecim reposuit.

1,498, a. *Vt dictatorē diceret Q. Fabium*] Xyl. vertit, Q. *Fuluium*. & annotat, Φάβιον est in Græco pro Φούλβιον, vti Guarinus etiam ex Liuio deprehendit.

Ibidem d. *Dextro cornu laborante duodecimam legionem in primam aciem iubet induci*] Xyl. vertit, *Dextra enim ala laborante, vnam de legionibus in primam aciem prodire iussit*. hæcque in hunc locum annotat, ἐκκλίνοντος τῶν ταγμάτων. deest ἕν, quod Guarino errandi caussam præbuit, quum verteret, *Ordines in primam succedere aciem. iussisset*. Verba Liuii adscripsi: Cedere inde à Romanis dextra ala & extraordinarii cœperūt. Quod vbi Marcellus vidit, duodeuigesimam legionem in primam aciem inducit, &c. Pleraque autē ex Liuio vertisse hîc Plutarchum, satis constat.

1,500, d. *Et cum elephanti capite puerum natum superstitem fuisse.*] ἐκ κεφαλῆς ἐλέφαντος. forte μετὰ, aut ἐλέφαντα. sed & quæ subsequūtur, mendosa videntur.

1, 501, d. *Disputabántque inter se, &c.* Xyl. vertit, *Iámque curiosè rationes inibant*. & annotat, καὶ διεσρατήγουν, id est, quod imperatoris erat reputare, quàm commodus locus foret, ipsi curiosè inquirebant. sic suprà in Paulo, λόγῳ πολλὰ διασρατηγοῦντα τῶν ἀπράκτων, de exercitū. Sic multis aliis locis.

1,503, b. *Quos Cabiros*] De his qui cognoscere cupiūt, legant interpretem Apollonii in ά Ἀργοναυτ. Paragraph. 34: Plutarchum Osiride, Diodorum & alios.

1,504, b. *Iam Annibal terribilis hostis & durus*] Xyl. vertit, *Romanis terrori*. & annotat, Locus est in Græco turpiter fœdatus, quem emendare possem, siquis emendatum esset agniturus: si sententiam (quam

( quam historia claram redigit ) meis verbis Græcè extulissem, aut Plutarchiana meo iudicatu mutassem.

Ibid. c. *Apparet autem falsum aliquo modo in illis certaminibus fuisse Pœnum*] X. l. vertit, *Vt in illis conflictibus illusisse Pœnus videri possit.* annotátque, ψεύδωμα, est vocabulum non nisi mendosum, vti opinor. Impositum Pœno, Guarinus: ego amplius censeo deliberandum, Nam tota hæc comparatio malè est tractata à librariis.

1,505,b. *Ille Spartæ potiundæ spe frustratus est*] Xyl. vertit, *Lacedæmone potiundi conatus irritus fuit.* annotátque, Λακεδαιμονίων ἀποτυχεῖν. Quid sit ἀποτυγχάνειν, notius est quam vt Guarini error sit refellendus.

Ibid. c. *Commendo etiam in Cyropædia Chrysantem*] Xyl. vertit, *Miror & Chrysantam, quem Xenophon.* annotátque, ἄγαμαι τὸν ἐν τῇ παιδείᾳ Χρυσάνταν. Guarinus, *Atque in hac disciplina Chrysantam probo:* imperité. Non enim intellexit, παιδείαν hic citari Xenophontis opus de Vita & disciplina ( vti Cic. in Bruto exposuit ) Cyri: in cuius operis libro quarto ad initium hæc historia refertur.

# IN ARISTIDEM ANNOTAtiones Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

ARistides æqualis fuit Themistoclis, Plataica præsertim pugna, & trãslato secundum eam à Spartanis ad Lacedæmonios imperio nobilis. Quadriennio propè post eiectum Athenis Themistoclem decessit. autor AEmilius Probus.

2,6,b. *Vnũ arbitratur summum magistratũ, à quo annus nomen habet*] Xyl. vertit, *Magistratũ, qui Eponymus appellatur.* & annotat, τὴν ἐπώνυμον ἀρχήν. Interpres, Magistratũ illum insignem. Quẽ? Apud Athenienses nouem fuerũt antiquitus in magistratu collegæ. prætores fortasse dixeris Latiné. quorũ vnus sorte ad id lectus, publicis literis & actis inscribebatur: quemadmodum apud Romanos consules Latios signabant nomine Fastos. Id quod sic habere, paulo infrà in hoc lib. Plutarchus ostendit, vbi disputatur quando Eponymus fuerit Aristides. Horum ἐννέα ἀρχόντων fit etiam suprà mẽtio in vita Pelopidæ, & in lege quam recitat AEschines κατὰ Τιμάρχου, Ἐάν τις Ἀθηναίων ἑταιρήσῃ, μὴ ἐξέστω αὐτῷ τῶν ἐννέα ἀρχόντων γενέσθαι. Cætera ferè Pausan. Laconicis, cui plus quàm vlli grammaticorum tribuo fidei.

2,7,a. *Hic puerorũ chorũ quem cyclium vocant*] Xyl. vertit, *Cyclicos pueros.* & annotat, Ita apparet dictũ fuisse chorum qui dithyrãbos caneret. Vide Suidam.

2,8,b. *At Themistocles in sodalitium se coniiciens*] εἰς ἑταιρείαν ἐμβαλὼν ἑαυτόν. Sic vocat amicorum & sociorum suorum quasi factionem. Facilitatẽ Barbarus, valde inepté: sed & pleraque incommodè verterat. Quid esset ἑταιρεία, etiam apud Lysandrum indicauimus.

Ibidem d. *Nisi & Themistoclem & se malè perderent*] Xyl. vertit,

*Nisi ipsum vnà cũ Themistocle in barathrũ præcipitassent*. & annotat, Βάραθρον, quasi foueam si diceres. malui tamen Græcam vocem relinquere. Carcer fuit, aut fouea verius, in Attica, in quam solebant sontes coniici, tanquam in puteum aliquem, & ibi perdi. Vide Suidã, Harpocrationem, & Comment. Aristoph. Pluto, ad versum, Οὐκοῦν ἀπόλοιπόν σοι τὸ βάραθρον γίνεται. Suprà in Mario, de Iugurtha in carcerẽ coniecto, noster eodem est vsus vocabulo. Et quidem extat fragmentum Diodori Siculi lib. 31, in quo ea est carceris descriptio, quæ optimè his congruit quæ de barathro Græci habent.

2,9,b. *Quũ facti in Amphiaraũ ab AEschylo iambi*] Extant in Tragœdia quæ inscribitur Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας: habent autem absolutam boni viri descriptionem.

2,11,b. *In quibus Callias tædifer*] Xyl. vertit, *Facifer, quod genus sacerdotũ*. & annotat, Δᾳδοῦχος. is est qui sacris solennibus facem gereret. qui erat honor magnus, & sacerdotium nimirũ. Nam & Pausanias pro magna felicitate refert quòd in progenie Leontis ad quartum vsque gradum ea dignitas permansisset: in Atticis. Interpres Antistitem vertit, minus rectè. quod notauit etiam Cœlius libro 28, cap. 26, Antiq. lectionum.

Ibidem, d. *Expugnatores*] Xyl. vertit, *Poliorcetę*. & annotat, Vt Demetrius Antigoni F. reliqua Ptolemæorum & Seleucorum cognomina. Aquila Pyrrhus à suis est cognominatus. Plutarchus in Vita eius.

2,13,c. *Et diuersa sanè fecit atque Achilles vota*] Qui iniuria ab Agamemnone affectus, nihil aliud in votis habuit quàm vt ipso se prælüs abstinente, grauibus cladibus affecti Græci ipsum desiderarent. Locus est Iliad. α.

2,16,b. *Ad Oresteũ*] Arbitror oppidum Arcadiæ intelligi: de quo Pausan. Arcadicis & Eurip. extremo Oresta. Porrò autem hostes suos Spartani ξένους, hospites seu peregrinos, ita ὑποκοριζόμενοι vocabant, lenitate verbi tristitiã rei mitigante: quomodo Tullius ait, apud Latinos hostẽ dici eum qui esset perduellis. antiquitus enim hostem eundem fuisse atque peregrinum: 1. Off. Eadem sunt apud Herodotum lib. vltimo.

2,21,c. *Non vt illis pro agro & vrbe tantùm*] Xyl. vertit, *Pro agro & vrbe, vt Spartanis*. annotatque, ὡς ἐκείνοις, est in Græco libro. Barbarus, *Vt maiores nostri*, vertit. quòd minimè probo: quum inter hanc & Marathoniam pugnã non plures tredecim anni intercesserint, vt ex historiæ ratione apparet. itaque illud ἐκείνοις malui ad Lacedæmonios referre, qui in partem gloriæ Salaminiæ & Marathoniæ non veniebant. nã ad Persas referre non video quàm commodè possem. Locus qui ex Herodoto paulo antè citatur, est in Calliopa.

2,23,d. *Itaque multis obiectis cetris*] πολλὰ προθέμενοι τῶν γέῤῥων. γέῤῥα, ἡ, cratem vimineam significat, seu (vt Cæsar vocat) vineam: vt apud Polyb. lib. 8, Arrianũ lib. 1. id huc non pertinet. τὸ γέῤῥον autem, vox est multa significãs, præcipuè autem parmam corio inductam: quomodo cùm alij, tum Arrianus lib. 4 ἀναβάσ. Ἀλεξάνδ. vtitur: εἷς δὲ δὴ διὰ τοῦ γέῤῥου καὶ τοῦ θώρακος διαμπὰξ πληγείς. Plutarch. in AEmilii de Perseo triũpho, inuecta ait inter cætera arma, etiam Θρᾴκια γέῤῥα. Lucianus Anacharside, καὶ γέῤῥον ἐν τῇ ἀριστερᾷ.

Eustath. in Dionysium ait quadrãgulum esse scutum, non rectangulum, sed rhombi figura contentũ. Pilum autem seu missile telum etiam significare constat: & in Antonio sic autor noster vtitur, in Actiacæ pugnæ descriptione. Hic priorem notionẽ, vt loco huic cõgruam, posui. interpres dissimulauit. De copidibus dixi in Camillo. ταῖς ἀκινάκαις nõ puto rectè legi, sed τοῖς, vt aliàs: sicut & Latini, Horatius, aliíque.

2,25,b. *Vindicis hanc quondã*] In meo codice hoc epigrãma mutilatum est. Nam & primus versus est deprauatus, & pentameter ei subiectus deest. Ego vnde restituam, in præsentia nõ habeo. Sensum integrum extuli. Paulo pòst Μυρωνίδην legi, & Θεογείτων. Cur ita, non est obscurum. Eos autem versus sic est interpretatus idem Xylander, *Hanc quondam Græci superatis hostibus arã, Libertas patriæ quum sua tuta foret, Et profligatis seruata est Græcia Persis, Munus Eleutherio constituêre Ioui.*

2,27,b. *Ad cœnas & inferias inuitat*] Xyl. vertit, *Ad cœnã & sanguinẽ fusum vocat*. annotatque, Interpres ἐναγισμοῖς inferias dixit. In Græco autem nõ αἱμοκουρίας, sed αἱμακουρίας legendum. quomodo Pindarus ἐν δ' αἱμακουρίαις, & ipsius Scholiastes & Varinus habent. Vox est & Dorica & Bœotica. nam Bœoti Doricam ferè habebant dialecton: quod ostendere exẽplis possemus, si locus ferret.

## IN CATONEM MAIOREM ANnotationes Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

Catonem hunc maiorem inscribo, vt ab Vticensi distinguam. vocatur etiam Censorius, à censura, & ab aliis & sæpe à Plinio. Fuisse eum Tusculanum, cùm aliunde tum ex oratione Ciceronis pro Plancio constat. Gentilitatem autem & seriem Catonũ explicat Gellius l.13, cap.18. quod dignum est, & vtile etiam lectu. De ætate eius paulo infrà annotauimus. Floruit maximè tempore belli cum rege Antiocho.

2,33,c. *Sicut alterũ corpus*] ὥσπερ δεύτερον σῶμα. quæ sequuntur καὶ τῶν καλῶν, virgula sunt distinguẽda, vt intelligi possit esse dictum hoc: orationem non modò necessariam, sed & in bonis ac honestis per sese rebus facundiam esse, καὶ τῶν καλῶν. Cruser. lectorem admonet vt videat num legendum sit, Organum virtutum vnicum & necessarium.

2,34,b. **M. Curii**] Manius, non Marcus, prænomẽ fuit Curii: quãquã & hic & sæpissimè alibi Marcus libris pro Manio sit ab imperitis ingestus librariis. In comparatione & expressè & rectè scribitur Μάνιος Κούριος. Triumphauit autem cùm alias, tum de rege Pyrrho, neque ter modò, sed quater, vt ex historiis ostendit Sigonius: Plutarchus ter modò triũphasse dicit, quòd ouationem inter triumphos non retulit: ouauit autem, deuictis Lucanis. Itaque Cicero etiam in libro De Senectute cum de Samnitibus, Sabinis ac Pyrrho triumphasse memorat, omissis Lucanis.

2,35,b. *Exomide* ] ἐξωμίδα λαβών. Etymon vocabuli ostēdit tunicam fuisse breuem, quæ brachia & manus nequaquā integeret, sed ab humeris desineret. Gellius lib. 7, cap. 12, tunicam substrictam breuémque citra humerum desinentē interpretatur. Sext. Pompeius Festus ait etiam comicum fuisse vestitū, exertis humeris. Locus Gellii huc multum facit.

2,38,d. *Dicacem* ] in Græco est Σατυρικός. Satyra autem mordax fuit & salsum genus carminis, quòd sale multo perfricaret homines, vt notum est. Sic autor in Pericle veteris comœdiæ scriptores Σατυρικοὺς τοῖς βίοις appellat, qui vitæ genus id sectarentur quod in acerbè exagitandis hominibus versaretur. Cæterùm quod paulo antè verti Vas ad sacrificia, in Græco est σπονδεῖον: quod ita verti originis causa. potes etiam in genere pro poculo accipere.

Ibidē d. *Lysiæ orationi* ] Est apud Ciceronem hoc in Bruto.

2,39,d. *Aut non multos consulatu ducere dignos* ] ἢ μὴ πολλοῦ τοὺς ἀρχὴν. πολλοὺς est legendum, vt in Apophthegmatis legitur. alioqui sententiæ elegantia deperditur.

2,44,a. *Cato verò reuocata in mētem circuitione & ambitu Persarū* ] Qua à Xerxe missus exercitus, Leonidam Thermopylas obtinētem circumuenit, Ephialte Maliense iter demonstrante. Nota est historia, & apud Herodotum copiosè descripta in Polymnia. Mox, *ob arbores*, κοτίνους, oleastros. sed ego genus posui.

Ibidem, c. *Firmanos* ] Φιρμανοὺς, Firmianos. Firmū colonia fuit Romanorū, deducta initio primi belli Punici. Velleius volum. priore. Inde dicuntur Firmani, si rectè legitur, (quod tamen & ratio videtur probare) apud Liuium lib. 27, vbi horum fit mentio inter alios colonos: & apud Plin. lib. 3, cap. 13. qui in Piceno fuisse indicat. Quin & apud Cic. Firmani leguntur in 7 Philipp. & L. Tarutius Firmanus in libris De diuinatione. Amiotus *Formianiens* vertit, haud scio quid sequutus.

2,46,b. *Paulo minus quinquagies* ] Quadragies & quater, est apud Plinium, lib. 7, cap. 27. & in lib. De viris illustribus.

Ibid, *Sergiū Galbam annos natus octaginta accusauit* ] In Græco est Σερουιλίου mendosè, pro Σερουΐου. Galba enim cognomentum est Sulpiciorum: quod vel ex Suetonii Galba pateret, si cæterorū deessent testimonia. Sergius autem nihil minus est quàm prænomen, quum sit patriciæ familiæ nomen, quæ Catilinam protulit. sed Seruius prænomen est, & huic de quo agitur Ser. Sulpicio Galbæ conuenit. Is quum prætor in Hispania Lusitanorum XXX millia contra interpositam fidem interfecisset, à Catone est accusatus. Ex Cic. De claris oratoribus, & Suetonio quo dixi loco. Cæterùm eodē in lib. Cic. à Plutarcho dissentit, LXXXV annos natum Catonem è vita excessisse scribens, ídque Coss. L. Marcio, M. Manilio: qui in annum V.C. DCV videntur competere, vt verum sit & quod Plin. lib. 29, cap. 1, dicit, hoc eum anno obiisse, & quod ibidem. Cic. scribit, eum mortuum LXXXVI ante suum consulatum annis. Nam de ætate Catonis Plinius ei adsentit. Sed à Plutarcho stat Liuius. Quod autem de tribus Nestoris ætatibus dicitur, in Numa exposui.

2, 48,b. *Liuius Gallum transfugam dicit illum fuisse qui fuit interfectus* ] Locus est lib. 39. sed & hæc

tota narratio in T. Quinctio posita iterum est.

2,49,c. *Mercedē redempturarum contraxit*] Xyl. vertit, *Publica mancipibus, minimis pretiis locauit, vectigalia summis*. & annotat, τὰς ἐργολαβίας. Liuius vltrò tributa habet. Interpres, operarias vertit: vt pleraque alia non satis diligenter. Intelliguntur enim ea quæ locabantur publicè, & à certis hominibus conducebantur.

2,51,d. *Pòst Pauli filiam Tertiā*. Suprà in AEmilii vita est, iam tum Perseo bello generum eum habuisse hūc Catonis filium. quod moneo vt illud Pòst non ita accipias quasi post pugnam Persicam Cato filius Tertiam duxerit: sed id vocabulum ad ea quæ supra de educatione sunt dicta, referas. nisi hic aliud, aliud ibi scripsisse Plutarchum putes: quod non videtur opus esse. Neque enim illos probo qui vt ingeniosi & acuti videātur, quacunque occasione arrepta, mendacia, errata & inconstantiam grauissimis scriptoribus obiiciūt. Ego explicando potiùs, aut (si omnino defendi non possint) excusando tueri ista debere quemuis gratum & candidum lectorem puto: nedum in scirpo nodum quærere.

2,53, d. *Clarus vir C. Aquilius*] Hic locus facit ad emendandos Gellii libros, in quibus lib. 7, cap. 14, hac de re sic legitur: Et in senatum quidem introducti, interprete sunt vsi Cæcilio senatore. Legendum C. Acilio: quod facilè, sicut & mēdæ occasio, apparet. Quibus Coss. Romam venerint, non satis mihi constat. Oropus autē Attica vrbs est, ad Euripū sita, è regione Chalcidis Euboicæ. Hanc ad penuriam redacti bello Macedonico Athenienses quū diripuissent iniustè, à Sicyoniis (quib⁹ à Græcis cæteris erat iudicium permissum) mulcta eis quingentorum talentorum est irrogata: cuius deprecandæ causa Carneades cum reliquis Romam missi legati. Cætera apud Pausaniam quære, in Achaicis.

2,54,b. *Filium à literis Græcis reuocans*] Xyl. *Ad filium Græcas literas calumnians*: annotátque, Quā docunque, inquit, ista gens suas literas dabit, omnia corrūpet. Hæc & alia in hanc rem verba Catonis extant apud Plinium lib. 29, cap. 1, sicut & hæc quæ de medicis sequūtur.

2,58,b. *Huic modò cor soli est*] Xyl. vertit, *Solus habet mentem*: & annotat, Versiculus est Homeri ex lib. 10 Vlyssēæ, de Tiresia, qui solus inter omnes vmbras apud inferos saperet. Ita Cato reliquos nihil esse nisi vmbras ducum existimabat, si cum Scipione AEmiliano conferrentur.

Ibid. c. *Catonis philosophi*] Eius qui Vticēsis, idem & Minor dicitur: cuius vita suo loco sequitur.

2,60,c. *Atqui multa Hesiodus*] In opere De agricultura. Homeri versus sunt lib. Vlyssēæ 14.

2,61,c. *Paratū eorū quæ non appetit*] Xyl. vertit, *Quibus opus non habet*. & annotat, ὧν οὐκ ὀρέγεται. οὐκ omisi. puto enim redundare, & sensui obesse.

# IN PHILOPŒMENEM ANnotationes Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

Philopœmen T. Quinctii æqualis fuit, cum quo à Plutarcho comparatur. mortuus est eodem quo Annibal anno, V.C. nimirum DLXXI. Multa de eo sunt apud Polyb. lib. 2 & 11: apud Liuiũ lib. 38 & 39: apud Pausaniam in Arcadicis.

2, 66, a. Cassander *Mantineæ summa nobilitate fuit*] Apud Pausaniam in Arcadicis, & (qui hunc sequutus videtur) Suidam in Philopœmene, Cleãder est scriptum: & pro Crausíde, Craugis: pro Ecdemo, Ecdelus: pro Demophane, Megalophanes. Κάσσανδρος autem & Casander, vnico S rectè scribi, cùm ratione constat, tum Græcorum autoritate Grammaticorum, qui Cassandram duplicato S scribi AEolicè affirmant: inter quos est Isacius Tzetzes. Id obiter moneo, propter quosdam sciolos. Infrà in Pyrrho promiscuè in Græco scribitur: sed, opinor, librarii culpa, vt multa id genus alia.

Ibid. b. *Ait Homerus*] Locus iste est Iliadis libro nono.

2, 67, a. *Romanus verò quispiam celebrans eum*] Idem est apud Pausaniam, vltimum eum Græcorum benefactorem fuisse.

Ibid. b. *Ipsius facilitatem & simplicitatem*] εὐκολία est in Græco, & ἀφέλεια. Guarinus, Indumentorum tenuitatem & frugalitatem: neque verba neque sensum reddẽs. Quid enim responsio hospiti data attinebat ad pallii vilitatem? qua ipse errorem mulieris per iocum excusat.

Ibid. c. *Atque hæc in circulis de Philopœmene referuntur*] Xyl. vertit, *Hæc ita in confabulationibus de eo dicuntur*. Et annotat; σχολάς, oti osis & non seriis colloquiis, sed qualia animi causa instituuntur. Guarinus, Per lusum reddidit. Aliàs σχολὴ Græcis disputationem de rebus grauibus scholasticã esse, quod & Cicero sit imitatus, non sum nescius.

2, 68, c. *Vinitoribus aut aratoribus*] βοηλατοῦσιν. Guarinus, bubulcis: quasi si non etiam tum boues agerentur quum aratur.

2, 70, a. *Postquã verò subueniẽs rex Antigonus*] Tota res copiosè describitur apud Polybium ad finẽ libri 2. Refert & Pausanias ad finem ferè octaui, vbi est mendum in voce Σικελία, quum debeat esse Σελλασία. fol. Ald. 220, vers. 1. Meminit huius Sellasiæ, & conflictus istius, etiam Liuius lib. 34.

Ibidem d. *Vtrunque femur eius simul vno transfigitur iaculo amentato*] διελαύνεται διαμπερὲς ὁμοῦ τοὺς μηροὺς ἑκατέρους ἐν μισαγκύλῳ. Guarinus, *Sub natibus vno per crus vtrunque telo transuerberatur*. Puto enim μισαγκύλῳ mendosam vocem, sub natibus, vertisse. Ipse μεσαγκύλῳ legi, omissa præpositione ἐν. Est autem μεσάγκυλον, amentatum telum, id est in medio funem habens, quo is tenet qui librat & eiaculatur. Ita ferè Scholiastes Euripidis, in versum qui est prope finẽ Andromachæ: Οἱ δ' οὖν μεσαγκύλ', οἱ δὲ λογχωτὰ ἀμφώβολοι. quæ & Eustathii in secundum Iliadis librum de eadem voce commentationi præfero. Difficulter ergo potuit iterum extrahi, vel propter annulum istum, cui in

medio hastili funis immitteretur. Mesanculæ quidē teli etiā Gellius meminit, l.10, c.25. & Menandri versus apud Plutar. ad finē libelli De propria laude. Pausan. & Polyb. paulo aliter hunc casum narrant, quos contulisse est iucundum. Interpres certè locum hunc malè extulit.

2,73,c. *Calicū & paterarū*] Xyl. vertit, *Calicū & uasorumque considerentur*. annotátque, κυλίκων καὶ θηρικλείων. Certè hic locus videtur impugnare quod vulgus grammaticorum ait θηρίκλεια esse vitrea pocula. Nō enim existimo cō minuta vitra ad inauranda aut argentāda arma fecisse: & θηρίκλεια vasa pulchrè celata hìc intelligere malim, ab artifice Thericle, & opificio dicta, non autem materia. Thericlis meminit Plinius l.16, c. 40, & suprà in Paulo Plutarchus inter aurea Persei vasa Thericleorum meminit.

2,73,d. *Sicut Achillē induxit Homerus &c.* Initio libri 19 Iliadis.

2,74,a. *Bellum ea tempestate Achęis erat cum Machanida &c.*] Hāc totā rem luculenta narratione explicat fragmentum Polybii quod de libro vndecimo adhuc superest.

2,75,b. *Fama est ludicro Nemeorū*] Est apud Pausan. quoque, sub finem ferè Arcadicorum.

2,76,a. *Siquidē Macedonū rex Philippus*] Meminit huius rei Iustinus in fine libri 29.

2,77,b. *Atqui quis regē (inquit) hoc ætatis suspiciat nō opus edentē*] Xyl. vertit, *Quis verò, inquit, regem miretur, qui tā magno natu meditatur adhuc, nihil profert?* Ibiq; hæc annotat, Metaphora sumpta ab oratoribus & poetis.

Ibidem. *Aristænetū*] Videtur is esse qui apud Liuium lib.32, & 34, vitiosè legitur Aristhenus & Aristænus: & quidem initio fragmenti Polybiani de lib.17, itidē Ἀρισταίνετος dicitur. Quòd autem hic ait, eum à Philopœmene dissensisse in repub. facilè ex Liuio & Polybio intelligimus, & ipse infrà docet: sicut & hoc, Philopœmenem alieno fuisse à Romanis animo.

2,77,d. *In quem dux ilicò designatur.*] Historia hæc tota copiosè est apud Liuium descripta lib.35.

Ibidem. *Vt apud Platonem est.*] Libro 4 De Legibus.

2,80,b. *Exules prætor in urbē reduxit*] τὰς μὲν φυγὰς pro τοὺς μὲν φυγάδας dixit. Ita in Quinctio etiā loquutus est.

2,81,c. *Quū M. Attilius consul Romanus*] Xyl. vertit, *M. Acilius Glabrio*. & annotat, Egregiè Guarin⁹, & magna fide: *Posthæc Romanorū consule Manlio, quū Antiochū, &c.* Scilicet ita lęctor expeditur, & historiam discit. In Græco, Μανίου δὲ τοῦ Ῥωμαίων ὑπάτου, &c. Manius autem prænomē est, quod ita notatur M': nō Manlius. & alioqui prænomina sola ponit Plutarchus interim, vt sæpe Titū vocat, T. Quinctium Flaminium dicens: & M', pro M' Curio: P. pro P. Villio, in vita Quinctii. Ita hìc (vt & sub finem) M', Acilius Glabrio innuitur, qui apud Thermopylas Antiochum superauit. Autor Liuius initio 36, Appianus, & ipse in Flaminino Plutarchus. Itaque nomen addidi perspicuitatis causa. Id etiam quod sequitur, non rectè ille reddidit.

2,82,a. *Inuida quadā fortuna ad uitę metā prostrauit*] Xyl. vertit, *Indignatio*. & annot. Nemesis, quæ vlcisci solet si quid arrogātius fit, aut vbi fortuna vel bonis nostris superbimus.

2,82,b. *Hinc vicũ velle (Colonidē vocant) occupare*] Hæc eſt etiam apud Liuium narratio, lib. 39. ſed Coronem habet, pro Colonide.

2,84,b. *Cæteríque quotquot necandum Philop. cenſuerant*] Guarinus, *vltro vita finiere*: vt legiſſe videatur, δι' αὐτῶν ἀπέθνησκον. Meus codex δι' αὐτῶν habet, quod ad Achæos refertur: idque, quia rectius eſſe cenſebam, ſequutus ſum.

Ibidem d. *Polybius*] Hic eſt eximius ille hiſtoriarũ ſcriptor, præceptor Africani Scipionis iunioris: cuius partem operum habemus.

## IN T. QVINCT. FLAMINIVM annotationes Guil. Xylandri & Herm. Cruſerii, interpretum.

Quinctius à voce quinctus, hæc à quinque deducta videtur: vt rationem quoque cum antiqua ſcriptura conſentire appareat. quò libentius eam retinui, quamuis obſoletam. Scribo etiam Flaminĩnus, ideò potiſſimum vt inter Flaminios, quod eſt nomē plebeiorum, & hos Flamininos cognomento patricios, diſcrimē pateat. Error enim eius qui libellũ De viris illuſtribus condidit, eſt rectè à Sigonio refutatus. quũ Liuius palàm oſtendat, patriciũ fuiſſe T. Quinctium hunc: is autē C. Flaminius, qui conſul ad Thraſymenũ lacum bello Annibalico periit, & quem patrem huius fuiſſe autor iſte affirmat, plebeius fuerit. quod cùm aliunde patet, tum ex Ciceronis Lucullo, vbi is tribunuſplebis legem agrariam tuliſſe dicitur. Alioquin haud me præterit, apud Feſtum à Flamine Flamini⁹ deriuari. De ætate autē Quinctij noſtri ſatis conſtat. Quid enim nobilius bello Philippico? Conſul fuit aduerſus eum miſſus anno V. C. DLVI.

2,86,b. *Narniam & Coſſam*] In Græco eſt Ἀρνείαν, & Κῶνταν. neutrum in Italia inuenio, ſed, vt ſcripſi, Ναρνίαν & Κόσσαν. Sanè Liuius lib. 27, has inter triginta Romanorum colonias refert: & quidem Marcello etiamnum viuente. auctas deinde ſcribit circum hæc tēpora: ſed paulo aliter.

2,86,b. *Tribunatu plebis, prætura*] Liuius non longè ab initio lib. 32, de hac petitione loquens, tribunatus mentionem omiſit, quē ne petere quidem patricio leges permittebant. Nam quòd aliquando nō patricii modò, ſed etiā conſulares fuerunt tribb. plebeii, huc non attinet. Plutarchum idem ſenſiſſe cum autore libri De viris illuſtribus, ſuſpicari hinc aliquis poſſet: niſi fortè in genere omnes magiſtratus, qui ante conſulatũ obirentur, expoſuit.

Ibidem. *Studiis harum coloniarum ſuccinctus*] Xyl. vertit, *Colonis ſtudioſè adiuuantibus*. & annotat, Guarinus, Statímque in petitione cōſulatus, prona in ſe habuit ſuffragia. τοὺς ἀπὸ τῶν κληρουχιῶν προθύμους. quod à Guarini verbis longiſſimè abeſt. κληρουχίαι inter alia eſſe ſæpe coloniam, ſcitur: ſuffragium, nunquā, tametſi ne id quidem ſatis ſit Guarino futurum. Potuerunt autem, vt obiter dicam, coloni eum vel fauore vel amicorum ſuffragiis conciliandis iuuare: ne dicam, probabile eſſe, pleroſque eorũ ius ſuffragii in co-

mitiis centuriatis ( quibus Coss. creabantur)habuisse.

2,86,c. *Tribuni plebis Fuluius & Manlius*]Xyl.vertit,*Fuluio autem & M'Curio*.& annotat, Τῶν δὲ ἀεὶ Φούλϐιον καὶ Μάλλιον, falsò pro Μάνιον.Errorem libri Guarinus & Amiotus sequutus est. quē nos & tollimus,& quod fuit addēdum nomen prænomini, ex Liuio addimus.

Ibidem d. *Philippo enim*, &c.] Locus hic totus est à Guarino per uersus.

2,87,a. *P.Iuliū*] Xyl. vertit, *P. Villium*. annotátq;, Addidi & hic nomen ex Liuio. Nam P. Iulium apud Guarinum falsò est scriptū: & infrà Villius disertè nominatur.

Ibidem c.*Duce Scipione*]In Græco quidem hoc etiam ad Asdrubalem refertur,quem tamen à Liuio & Nerone Coss. superatum satis constat.

Ibidem. *Complures iam dies ostium Apsi fluminis*] Apud Liuium est Aoum:vtrunque iis in locis inuenias apud geographos, vt in Stephano De vrbibus annotatum est nobis. Sanè Strabo lib. 7 planè eos coniungit, vt proximi fuisse videantur. & Liuius 31,Apsi fluuii mentionem habet.

2,88,a. *Erant qui ducere Quinctiū,&c.*]Xyl.vertit, *Consulebant Quinctio sui vt expedito & facili itinere per Dassaretios iuxta Lycum amnē copias circūduceret.* & annotat, Malè hoc reddiderat Guarinus,& pro Lyco Lyngum reposuerat:non Græcum librum & veritatem, sed mendosum Liuii codicem sequutus. Locus autem is rectè legitur lib.31, Ad Lycum statiua posuit prope flumen Beuum: inde frumentatum circum horrea Dassaretiorum mittebat.

2, 89,c. *Alii intra Thermopylas incolentes Græci*] Xyl. vertit, *Et Græci qui intra Pylas habitabant.* Et annotat: Eædem Thermopylæ etiam appellabantur. Qui loci noticiam habere cupiunt,Strabonem lib.9,& verò Liuii descriptionem lib.36,pulcherrimam legant.

2,90,a.*Brachyllelus*]Liuius libro 33, Barcillam nominat. Polybio Βραχύλλης scribitur, lib.17.

2,91,b. *An vrgēte articulo*]Xyl. vertit, *Præfestinatione*. & annotat, ὑπὸ σπουδῆς. Opera dedita,versum fuit antè,contra & sensum loci huius, & verba. nam σπουδὴν, etiam festinationem esse, vel pueris notū est,& sensit Amiotus. Pugnæ huius copiosa admodū & diserta descriptio extat in fragmentis Polybianis lib. 17. &si miserè (vt omnia alia eius autoris) versa, aut peruersa potius. Subiungitur armaturæ & aciei Romanæ cum Macedonica comparatio & perspicua & iucunda. Neque debet quisquā eorum cum his collationem omittere.

Ibidem d. *Nec ferebant vel fortißimi grauem confertámque & intentis horrentem hastis frontem*] Ità Crus. qui etiam annotat, Legendum puto, *Ferebat sinistrum Romanorum cornu grauem*,&c. At verò Xyl.vertit, *Nam ab altiore loco totam phalangē Romanis inferebat: cuius hi densam testudinē selectißimorúmque militū acrē impetū non sustinebant.*

2,92,a. *Tū quòd vniuersi potius*] Xyl.vertit, *Tum quòd omne totum magis propter mutuū membrorū cōplexum quàm propter singula valet.* & annotat, Καὶ ὅτι παντὸς ὅλον. Græca lectio non constat.

2,94,c. *Corui enim fortè superuolantes*] Eius rei simile omnino exemplum in legis Gabiniæ pro-

mulgatione scripsit Diodorus libro 36. Meminit Valerius Maximus lib.4, cap.8.

2,95,b. *Et rebus ad Thermodōtem atque circa Cyprū Cimonis gestis*] X. vertit, *Cimonis ad Eurymedontem fluuiū & insulā Cyprum*. Annotátque, Guar. vertit, *Eurymedontis & Cyprica Cimonis opera*. Oscitanter hoc, & ita vt lector quid sibi ille Eurymedon velit, & ducísne an loci nomen sit, intelligere non possit. Atqui interpretis munus ita non est obeundum. Enimuerò vno die & ad Cyprum nauali, & ad fluuium Pamphyliæ Eurymedontem terrestri prælio Persas à Cimone Atheniensium duce victos fuisse, vt omittam Plutarchum, id in Cimonis vita docentem, testatur Thucydides lib.1: extátque luculenta vtriusque victoriæ descriptio apud Diodorum Siculum lib.11. Meminit fluuii huius etiam Liuius perspicuè lib.33: Strabo lib.14.

Ibid. c. *Et exigua antiquę propinquitatis cū iis vincula*] Xyl. vertit, *Leuémque generis cōmunitatē*. Et annotat, Id demonstrat libro 1 Antiqu. Romanæ Dionysius Halicarn.

Ibid. *Titilliū in Thraciā*] L. Stertinius, & in libris aliis L. Thermus legitur apud Liuium: haud scio recténe an secus.

2,96,a. *Xenocratē philosophū*] Sensum huius loci videtur Guarinus non fuisse assequutus. certè non extulit. μετοίκιον fuisse pensionis genus quod inquilini (μέτοικοι) Athenis soluerent, ex Isæo docet Suidas. exactum fuisse à publicanis, hic locus ostendit. Xenocratem Athenis fuisse inquilinum, patet. fuit enim Chalcedonius. éstque ea de re in Phocione infrà scriptum.

2,97,a. *Cui in manu quū esset illū obterere, noluit*] Xylād. vertit, *Quūmq, eū posset capere*. Et annotat, ἑλεῖν παραχὼν, nullo sensu. coniicio fuisse scriptum ἑλεῖν παρόν. vt suprà παρὸν ἐκκόψαι τὸν πόλεμον ἀρδὴν, & aliàs frequenter.

Ibid. d. *Egregias remunerationes, magnóque viro & ciuiū amante consequutus dignas*] Xyl. vertit, *Quū pro benefactis præclarā & magno ciuiúmque amanti viro conuenientē mercedem recepisset*. Et annotat, κακισομισθίον mendosum est: si legas κακομισθίον, benè erit.

2,98,a. *Vt memorię prodidit Itanus*, οἱ περὶ τὸν Ἴτανόν. Ego Itanum scriptorem nominari vspiam vix credo: itaque locum habeo suspectum. Hyrcanum vertit Guarinus: quid sequutus sit, nescio. Mox Auri conflati, χρυσίου συγκεχωνευμένου: Guarinus (scitè nimirum) Defecati auri. Aurum verò conflatum puto infectum intelligi, quod neque formā aliquam habeat, neque signatum sit.

2,100,c. *Quū apud hospitem suum cœnaret*] In Apophthegmatis additur, Chalcide id factum. & ibi πελτίρους, hîc πελταφόρους legitur: quæ varietas etiam in aliis est libris: neque lubet huc infarcire quæ ea de re annotauit in quartum Iliadis librum Eustathius. Cōtiferos vocem finxi, ξυστοφόρους. De discrimine eorum vocabulorum non est hîc locus commentandi.

Ibid. d. *Censuerunt omnes qui ciues se profitebantur*] Xyl. vertit, *Ciuium numero censuerunt quotquot liberis parentibus essent nati*. & annotat, Miror hoc omissum à Liuio: & quidem Leonis cognomen mihi suspectum est. Culeo cognomentum Terentii est apud Liuium, extremo libro 30, vt suspi-

cer non τοῦ. Λέοντος, ſed Κουλέωνος ſcriptum fuiſſe. Mentio fit etiam in vita Pompeii cuiuſdam Culeonis, qui ei, vt dimitteret Iuliam, ſuaſit.

2,101,a. *Illum principem ſenatus legit*] Xyl. vertit, *Principē ſenatus legit*. Et annotat, προέγραψε τῆς βουλῆς, non προσέγραψε. Dictio eſt obſeruanda. nam hoc ſignificari, vel ex Liuio hāc cenſuram, quanuis ieiunè, deſcribente intelligitur, libro 38. Eodem modo loquutus eſt noſter in Tib. Graccho, Ἄππιος Κλαύδιος προγεγραμμένος τῆς Ῥωμαίων βουλῆς.

Ibid.d. *Sponſione Luciū prouocauit*] Xyl. vertit, *Iuramentum detulit*. Annotátque, Guarino impoſuit mendum, fecítque vt ſenſum peruerteret huius loci. nam ὁρισμὸν ſcriptum eſt malè, pro ὁρκισμὸν, quæ ipſa vox in Catone Cēſorio habetur in eiuſdem facti narratione: vt mirer non animaduerſum librarii lapſum ab interprete.

1,105,d. *Hic ſexcentis conflictibus victor*] Hanc & ſequentes periodos (in quibus ſumma comparationis ferè ineſt) ita vertit Guarinus vt qui conferat cum Græca & noſtram orationem, facilè ſit animaduerſurus cur noua verſione opus eſſe duxerimus.

2,106,c. *Siquidē in prætura Nabim exegit Meſſene*] Xyl. vertit, *Priuatus enim Nabidem Meſſena eiecit*. In hunc locum ſic annotans: ϛρατηγὸς μὲν δὲ ὢν eſt in Græco, contra & hiſtoriæ veritatem, quam in Philopœmene Plutarchus ipſe teſtatam fecit, (neque dixeris tātum virum ita citò ſui oblitum fuiſſe) & loci huius naturam atque propoſitum. Ergo audacter receſſi à codice Græco, quem particulæ negatiuæ omiſſione corruptū arbitror, itáque fuiſſe ſcriptum: ϛρατηγὸς μὲν δὲ οὐκ ὢν, Νάβιν ἐξέβαλεν ἐκ Μεσσήνης, &c.

## IN PYRRHVM ANNOTAtiones Guil. Xylandri & Herm. Cruſerii, interpretum.

Pyrrhus rex Epiri bello maximè contra Romanos geſto nobilitatus eſt: quod anno ab V. C. CCCLXXII inceepiſſe rationes annalium produnt. AEqualis fuit Antigoni, & eius filii Demetrii Poliorcetæ, regum Macedoniæ. vide Gellium libro 17, c. vltimo. Eius nos genealogiam ex optimis ſcriptoribus collectam in gratiam lectoris proponendam duximus.

# PYRRHI GENEALOGIA, & regum Epiri succeſſio.

Tharrytas.

Alcetas.

Neoptolemus. — Arybas.---Troias.

Alexand. Olympias. Arybas. — AEacides.--Phthia. Alcetas.

Alexander Magnus. — Pyrrhus. Deidamia. Troias.

## EXPLICATIO.

TharrytamPlutarchus quē vocat,is Pauſaniæ in Atticis eſt Tharypus: fuitque ( vt ibidem traditur) à Pyrrho Achillis filio decimusquintus.Genus deduxit à filio Pyrrhi, & Andromaches Pielo. (qui apud Iuſtinum libro 17, Piales dicitur, qui medio natu inter duos fratres fuit) Arybas AEacidæ pater,aliis Arybbas, Pauſaniæ è Diodoro Siculo Ἀρύμβας, Arymbas,dicitur .¹ Filius eius Alcetas poſt patris AEacidæ mortem rex ab Epirotis delectus quum crudeliter regnaret,ab iis vnà cum liberis eſt occiſus. Pauſan.Phthia mater Pyrrhi,filia fuit Menonis Theſſali, de quo Plutarchus in Phocione, bellum Lamiacum deſcribēs. Alexander Olympiadis frater,rex Moloſſorum, in Brutiis bellum gerēs periit. Liuius lib.8,Strabo lib. 5,Iuſtinus,Oroſius,alii.

Pyrrhus multas habuit vxores: vt Antigonam Philippi & Berenices filiam,ex qua Ptolemæū genuit,de cuius interitu Plutarchus meminit.Ex Lanaſſa Alexandrum ſuſtulit,Agathoclis Siculi filia: ex Bircenna,Helenum.

2.110,a. *Templo apud* Dodonam *constructo*]Xyl.vertit, *Cōdito apud* Dodonam *templo*.annotátque,εἱσαμένους. Aretinus in ipſo ( quod aiunt)limine impegit: ad id templū profectos vertens.Meam verſionem confirmarem autoritate, ſi dubia res videretur. Cæterùm παιδικὸν ἐπωνύμιον, fortè erat ἐπώνυμον:niſi diminutiuo & voce παιδικῶς ludicrum intelligas cognomē, videlicet à crinium colore per iocum inditum: vti & hodie ſolet fieri.

Ibidem. Ex *Lanaſſa*] Xyl. vertit,Ex *Anaſſa*.annotátque,Iuſtinus ex Trogo lib.17,ſic eā vocat,hanc ipſam rem perſtringens: eum ſequutus ſum, quum Lanaſſa ſit in Græco, tametſi Lanaſſa alia infrà refertur.

Ibidem,c.*Bello Lamiaco*]Deſcribit hoc Diodorus lib. 18. & quidē equitum ducem fuiſſe Menonem hunc ſcribit: quod & apud Plutarchum eſt in Phocione, in eadem hiſtoria.

2,111,d. *Contulerunt se ad regem Glauciam* ] Iustinus appellat *Glaucum*. Cr.

Ibidem, *Inimicū AEacidis*] Xyl. vertit, *AEacidæ inimicum*. & annotat, Quòd Olympiadem in bello contra Aridæū & Macedonas adiuuisset AEacides. Pausan. Atticis.

2,112,b. *Prætulit Pyrrhus vultu truciore quàm augustiore maiestatem regiam*] Xyl. vertit, *Fuit Pyrrhus vultu regio quidem, sed terribiliore quàm uenerabiliore*. & annotat, In maiestate vultus, qualis in rege requiritur, & dignitas venerabilis. & terribilis grauitas consideratur. hoc posterius priore plenius habuisse Pyrrhum, ait Plutarchus. Nā interpres inscitè moderati principis meminit. De dentibus eius miror Pliniū, quum simile de Prusia Bithyno commemoret, non meminisse, quum duobus locis de pollice pedis referat lib. 7, capite 2: & capite 4, lib. 28.

Ibidem, d. *Ad Ipsum*] Aretinus Hypsum scripsit, imperite. Est enim etiam apud Appianum in Syriaco Ἴψὸς, Ipsus: & Phrygiæ vrbs indicatur. Loquuntur autem de nobili illa pugna in qua Antigonus Demetrii pater succubuit, (de qua & Plutarchus in Demetrio) & Iustinus sub exitum libri 15, & Appianus eo quem dixi loco.

2,116,d. *Polysperchontem*] Πολυσπέρχων nobilis fuit inter amicos & duces qui Alexandrum Magnū sequuti sunt. Vulgò Latinè ferè Polypercon scribitur, etiam apud Curtium: quàm rectè non video. Polysperchontem quidem omnes Græci dicunt, nisi vbi librarii scripturam mutarūt: sicut etiam in Apophthegmatis Plutarchi, quum idem refertur, mendosum est Πολυπέρχης.

2,117,c. *Fratres domum sortiri acutis ensibus*] Imprecatio est OEdipi in filios sibi ex matre natos: extat apud Euripidem initio ferè Phœnissarum.

2,119,a. *Ac Nisæo accepto equo*] Aretinus equi epitheton omisit, vt & alia quæ iam hinc inde, quæ (opinor) non intelligens, quærendi m duit labore supersedere. Nisæa regio est Parthyenes, haud procul Caspiis mōtibus: ea equos præstantissimos maximósq; alit, quibus reges ipsi vterentur. Patet hoc ex Strabonis lib. 11: Plin. lib. 6, capite 25. Explicauit etiam in suo Lexico Varinus, ex Eustathii in Bœotiam Homeri commentariis.

2,119,c. *Ita Macedones, partim concursu facto signum petiere*] Xyl. vertit, *Ibi uero Macedones accurrere, & tesseram petiere*. & annotat, συνθημα προστρέχοντας αἰτεῖν. hoc quid sit, non plane intelligo. Equidem nihil minus quam pugnam tum milites Demetrii postulabant. Videturque esse mendum, ac legendum συνθήκας: aut certè συνθημα hic idem significare. vt sit sensus, Milites ad Demetrium accurrentes, poposcerunt vt cum Pyrrho pacem fœdusque iungeret.

2,120,d. *Quū ad Edessam haberet hic stativa*] Aretinus eum ab Lysimacho ibi superatum vertit: sed Græca aliter sonant. Et quidem citra prælium erat potitus Macedonia Pyrrhus: eodem autem modo, nimirū nulla commissa pugna, amisisse Plutarchus docet.

2,121,b. *Sicut Achilles impatiens erat otii*] lib. 1 Iliadis: quum iratus ob ereptam Chryseidem bello & armis abstineret, otiosusque in tentorio suo desideret,

2,121,b. *Pravitatem concionatorum*]Xyl. *Oratorũ*. & annotat, δημαγωγῶν. Sic ii dicuntur qui in repub. versantur & orationibus suis populum mouent, qui quasi regnũ in populo orando & suadendo dissuadendove obtinent. Et hoc esse δημαγωγεῖν cum alias, tum ex Plut. Theseo patet. vbi de Mnestheo loquitur autor. Sed de hoc vocabulo satis apud Themistoclem.

2,122,b. *Omne id expugnare verba compta.*]Xyl. vertit, *Orationem conficere omnia.* & annotat: Locus Euripidis est in Phœnissis. Cineas autem scribo, Græcos sequens, vt Plutarchum, Strabonem (apud quem ipsum etiam Κινέας in fine septimi nominatur) & Suidam. Vulgò enim fere per y scribunt hodie.

2,123,a. *Penè cepit Agathocles*] Apud Iustinum hæc historia est lib. 22, & apud Diodorum disertius descripta, lib. 20.

Ibidem, b. *Cõpotabimus quotidie*]Xyl. vertit, *Quotidiano potu in vicẽ exhilarabimur.* & annotat, κώθωνα festiuitatẽ Aretinus vertit, non admodum festiuè. quid esset κώθων, vel ex Lycurgo Plutarchi intellexisset, & dicto Dionysii tyrãni in Philippum, apud eundem in Timoleonte.

Ibidẽ c. *Quas hippagogas vocãt*] Alii hippagines vocãt, Liuius lib. 44, hippagogas Græco vocabulo, eas naues quæ transfretãdis equis præcipuè seruiunt.

2,124,a. *Quandiu ex alto voluerentur fluctus*]Xyl. vertit, *Dũ adhuc ab alto irruerũt fluctus.* & annotat, πελαγίου est in Græco, idque sequutus est interpres: sed πελαγίου esse legendum, ex sequentibus non est obscurum.

Ibidem d. *Postquam Albinum Romanum cõsulẽ*] Xyl. vertit, *Postquam Leuinus, &c.* In Græco est mendum vbique, Ἀλβῖνος pro Λαιβῖνος: oscitantia librarii, cui multas id genus corruptelas debemus. Crus. quoque aunotat, constare, hunc fuisse Leuinum, non Albinum.

2,125,a. *Et vltra Sirim amnem castra ponere*] Lyrim apud Florum legitur, in huius belli descriptione, l.1, c.118, vitio librarii. Sirim autem Plinius etiã fluuium apud Heracleã agnoscit, l.3, cap.11. esseque eum fluuiũ nauigabilem, Strabo addit lib.6. Diodorus Siculus libro 12, eiusdem fluuii meminit, de condita à Tarentinis Heraclea referens.

2,126,b. *Fuit hic natione Frentanus*] Ferentaneæ turmæ præfectus dicitur Floro. & quidẽ haud scio, eosdem ne dixerint Frentanos & Ferentanos. Paulo pòst vbi est Dexous, Aretinus δεξιὸς legit, Dextrum vertit.

2,128,d. *Qui senectutis & cæcitatis causa fatiscens*] Iste Appius Claudius luminibus captus traditur, propter dimotam statu suo Herculis colendi & Potitiorum institutionem: Liuius libro 9. Simulatam ab eo cæcitatem vitandæ curiæ causa, Diodorus lib. 20, scribit. Orationis eius qua pacem cũ Pyrrho dissuasit, Cicero etiã De senectute meminit, & alii.

2,132,b. *Ptolemæum Ceraunum*] Is occiso Seleuco Magno, Antiochi patre, qui Lysimacho victo Macedoniam occuparat, regno Macedoniæ potitus est. Filius fuit Ptolemæi Soteris & Eurydices Antipatro natæ. Inde cum Gallis pugna congredi ausus, ab iis est cum exercitu cæsus. Appian. ad finem Syriaci: Pausan. Atticis. de bello Gallico hoc, vide omnino Iustinum libro 24.

2,133,a. *Mamertini*]Hi qui fuerint, vtque Messana potiti, leges apud Polybium, post præfationem statim libri primi. Mamers lingua Oscorum fuit Mars. Inde nomen iis factum, qui oraculi iussu ex Samnio patria sua expulsi, quum circa Tauromini um Siciliæ consedissent, Messanensibus auxilio profecti, vnà cum iis vrbem occuparunt: & à Marte, qui sorte ex reliquis diis obtigerat eis, Mamertinorum nomen sibi fecerunt. Sex. Pompeius Festus lib.11, ex Alphii lib.1 De bello Carthag.

Ibidem, d. *Thœnonem & Sostratum*] Suidas nescio quo autore Θοίνωνα φρούραρχον, & Σωσίστρατον κρατοῦντα τῆς πόλεως appellat, Thononem præsidii vel excubiarum præfectum, & Sosistratum vrbis principem.

2,136, b. *In faucibus, quæ στενὰ Græcis dicuntur*] Omisit hoc Aretinus. videtur fauces quæ sunt ad Antigoneam in Epiri ingressu, dicere: quæ Stena Græcis vocabantur. Vide Liuium sub initium lib. 32. Porrò hanc eandem historiam eleganter persequitur in Atticis, haud longe ab initio, Pausanias: atque ibidem de morte Pyrrhi refert.

Ibidem d. *Mineruæ Itonidis*] Meminerunt huius cum alii, tum Apollonius ἐν Ἀργον. & Scholiastes ibi docet, ab Itonia seu Itone Thessaliæ vrbe dictam, cultam etiam Coroneæ in Bœotia fuisse Mineruam ἰτωνίαν. Itoniam vocat Polybius lib.4. quo item ex loco apparet, in Bœotia eius templum fuisse: quod idem est in Agesilao Plutarchi, eius fanum haud procul Coronea abfuisse. De AEgis dixi apud Stephanum.

2,137, a. *Haud dũ rebus eius stabilitis*] Xyl. vertit, *Rebus ad hunc modũ stabilitis*. annotátque, οὕτω δὲ τῶν πραγμάτων, &c. Aretinus οὔπω videtur legisse, Nondum satis firmis rebus, &c. idque vero est propius.

2,138, a. *Existet & te potior alius*] Xyl. vertit, *Fortasse à te tuti erimus*. annotatque, Hanc totam periodum omisit: haud scio an propter obscuritatem. Certe hic diuinaui, quum quid sit πρὸ καρπῶν non satis assequar, & verò mēdum subesse puto.

2,130, b. *Gortyniis in Creta*] Noster Corcyræis. quòd si κουρῆσι fuisset, scio potuisse ad Corcyræos aliqua ratione torqueri, quod aliàs ostēdā. Sed tamē neq; Κορκυραίοις legitur, & ἐν Κρήτῃ perspicue est additum, vt negligentiam mirer.

Ibidem d. *Longa octo iugera*] Sesquistadium Aretinus vertit: quod locum habere potuit si nouem iugera scripsisset Plutarchus. Iugerum enim hic non quale in agricultura, sed Geometricum intelligo, quod est sextans stadii. Vide quæ in Paulum ea de re annotauimus. Paulo pòst raritatē materiæ, χαυνότητα, recentiā operis vertit.

2,140, 1. *Meras eas esse præstigias*] Xyl. vertit, *Nugas has esse*. & annotat, Πυλαϊκὰς ὀχλαγωγίας. Quid sit Πυλαϊκὸν, fateor mihi non satis constare. Apud portas otiosos homines conuenire nugandi & garriendi causa consueuisse, notum, & adhuc vsitatum est. Inde Πυλαϊκὴν ὀχλαγωγίαν arbitror dici inanes & vulgares fabulas, *tantarlin*, quibus rudes & inepti homines otióque abutentes delectentur atque teneantur.

Ibidem. *Optimũ id auguriũ*] Versus est quo Hector Polydamantem auguria occinentem reiicit apud Homerũ Iliad. 12. Eodem versus est simili etiā ratione Epami-

nondas, prælium Leuctricum, dissuadentibus ob auguria nonnullis, initurus. Diodorus Siculus lib.15. Pyrrhus suum nomen pro patriæ nomine posuit.

2,140,d. *Illique, dimissis quos in arma præter ætatem coegerat necessitas, ad pugnam se accinxerunt*]Xyl. vertit, *Et qui præter ætatē necessitate vrgente arma sumpserant, dimissi, eorumque in locu alii suffecti sunt.* annotatque, αὐτοὺς ὄπι τ̀ μάχλω. Pro αὐτοὺς nisi ἄλλους legas, non constabit locus: aut αὐτοὺς legendū, vt ad eos qui recens venerant, referatur.

2,141,b. *Iecinore sine capite invento*]ἀλόβων. Contrarium Plutarcho dixit Aretin⁹, Sacris ritè peractis. quum notissimum sit, α esse στερητικὸν μόριον, λόβους autem iocinoris quasi auriculas aut appendices prominentes.

Ibidem *Aptera ortus*] Et hoc omisit. Aptera fœm. gen. vrbs est Cretæ, apud Strabonē lib.10, Stephanumque. Apud Plinium l.4, c.12, Apteron legitur.

2,142,a. *Naupliam*] Antiquum Argolicæ regionis versus Laconicam oppidum. Vide Pausan. ad finem secundi.

Ibidem b. *Circūlambentia suum propriū sanguinē*]Xyl. vertit, *Lambere cruorē suū*: περιλιχμώμθμαι τὸν ἑαυτῆς φόνον. Aretinus omisit. φόνος, præter cædem, etiam cruorem in cæde effusum, & aliquando locū cædis, significat. Græci Grammatici. Hic cruorem, vt apud Homerum: Ἄκρον ἐρυθρὸν γομῶνος φόνον αἵματος. Et apud Sophoclem Trachiniis de veneno suo Deianira: Νέσσου φθίνοντος ἐκ φόνων ἀνειλόμlω. Cæterum vbi est, Λυκείου προφῆτις Ἀπολλωνὶς, legi ego Λυκίου Ἀπόλλωνος. Causa ex morū sequentibus patet. Nisi quis contendat, Antistitæ nomen Apollonidis fuisse: & per Lycium, nomen Apollinis innui: quod non puto esse necessarium.

Ibidem d. *Cylarabin*] Gymnasium est, minus trecentos ab vrbe Argis passus. Liuius lib.34. Meminit & Pausan. in Argolicis, vt & Apollinis Lycii, & fabulæ istius, reliquorúmque hic nominatorum locorum.

2,144,a. *Impulsúque suo socios & hostes vnà confudit*]Xyl. vertit, *Hostes pariter & amicos proruebat.* annotátq; In Græco locus est mācus, sed sententia non valde impedita.

# IN MARIVM ANNOTAtiones Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

Marii & Syllæ bellum ciuile, ita vt vix vlla alia historia, nobile est: tempúsque & æquales Marii facile noti. Mortuus est Marius septimum consul, anno vrbis conditæ DCCXVIII. Quæ autem initio de nominibus disputantur, neque obscura sunt, & si quis plura vult, doctissimum Sigonii de nominibus Romanorum librum inspiciat. Sanè C. Marium Nepotem quidā annales scribunt, contrà quàm Plut. asserit. Ego tamen Plutarcho facilius quàm vel Cassiodoro, vel aliis eum sequutis, assentior: præsertim quia neque antiqua

tiqua monumenta, neque vllus, quod sciam, vetustus & bonæ fidei scriptor Mario Nepotis cognomẽ tum adscripserit. Metellum à moribus Nepotem, nimirum à prodigalitate, cognominatum, Valerius lib. 9, cap. penultimo, affirmat.

2,145,d. *Qui Hispaniã tenuit*] Xyl. *Hispaniã obtinuit*. annotátq; In foribus, quod aiũt, labitur Guarinus, quũ κατασχόντος ita effert, *Qui liberos in ius ditionémque populi Romani redegit*. Imò autem sibi occupauit eam prouinciam, & contra Syllam tenuit. de quo in ipsius vita cognosces. Mox pro Ῥωμαίους, dandi casus placet Ῥωμαίοις.

2,146,d. *Cirrhæatone*] Hoc mihi nomen nescio quomodo suspectum est. Sanè Marium fuisse Arpinatem, Ciceronis gentilem, vel ex initio librorum huius De legibus euidens est. Plinius libro 3, capite 5, in describẽda prima Italiæ regione, Cernetum oppidum, & Cernetanos, qui iidem Mariani cognominarentur, refert: vt suspicari subeat ne, quod ille Cernetum dicit, Plutarchus (si modò non subrepsit menda, vt solet ferè in propriis nominibus) Cirræatonem efferat. Sed nihil certi scio.

2,148,b. *Nihil dimisit tamen animos*.] Xyl. vertit, *Nihil planè de animi sui elatione remisit*. & annotat, οὐδὲ μικρὸν ὑφήκατο, &c. Guarinus cõtrarium sensum perscripsit, loco satis aperto. nam οὐδὲ negatio est, qua etiam τὸ μικρὸν amputatur. Si scriberetur οὐ μικρὸν, stare posset Guarini interpretatio: sed ipsa rei veritas tamen ostenderet mendum esse & legendum esse οὐδὲ.

Ibidẽ d. *Ait patronis ex lege non esse testimonii in clientẽ dictionem*] Xyl. vertit, *Patronũ dicendi contra clientẽ testimonii necessitate, antiquitus recepta Romanorũ lege, liberari respõdit*. & annotat, Guarinus hæc ita vertit vt qui patronus apud Romanos diceretur, ne intellexisse quidem videatur. Deinde quod habet: *Recipientibus antẽ iudicibus testimoniũ*, falsum est. Accepisse enim eos excusationem Herennii, ne is diceret testimonium, Plutarchi verba & sensus loci ostẽdunt. De iure autem patronorum & cliẽtium quia suprà Plutarchus in Romulo perspicuè docuit, non est quod de hoc loco, malè vtique olim tractato, plura dicere oporteat.

2,150,b. *Atque eo bello præfectus fabrûm in exercitu erat*] Xyl. vertit, *Et sub eo tum dux sociorum militabat*. annotátque hæc in hunc locum: Græca, καὶ ὅτι τὴν ἐπὶ τῶν Τευτόνων ἔχων ἀρχὴν, συνεστράτευε. Guarinus, *Aduersus Teutones vnà militauit, principatũ & curam architectorũ gerens*. Quid autem est hic de architectis quæso? & verò nisi Teutones versor nominasset, pro Τευτόνων eum legisse τεκτόνων verisimile fuisset. Equidẽ rem iam contra Teutonas gestam fuisse, Q. Metello Numidico magistratũ gerente, ne verisimile quidem puto. Et Militabat, συνεστράτευε est in Græco: vt videas non præteritam, sed præsentem militiam innui. Ergo mendum est in voce Τευτόνων. cui facilius mederemur fortassis si vita huius Metelli, quam scripsisse Plutarchũ scimus, extaret: nunc quia de illa militia nihil nobis cõstat, rem in medio relinquimus. Suspicor sanè esse sensum, cùm ob paternum hospitium, tum quòd sociorum copias duceret, Metello charum fuisse. T. Turpilium Silanum Salustius in Iugurthino bello nominat: idémq; Vaccæ (quæ hîc Βάγα dicitur) præsidium ex Italicis, hoc est sociorum P. R. militi-

[V.]j.

bus constitisse, haud obscurè tradit. Ego in hoc & similibus locis circunspectius quàm alii factitarint, versandũ sciebã: ideò volui dicere quæ putarẽ. Amiotus planè τεκτόνων legit, & præfectũ fabrorum vertit. quæ cõiectura mihi nõ improbatur: nisi quòd Sallustius videtur hoc indicaturus fuisse. Quãquã nihil obstat quin alios autores sequutus sit Plutarchus. Paulo pòst, ποιούμενος ἴδιον τὸ ἔργον, *occasionẽ rei gerendæ nactum* Guarinus vertit: & Ἰτύκην, quæ Latinis Vtica dicitur, Itycã: annotãdíq; ad marginẽ dedit occasionẽ cuidã, apud Sallustiũ Vticã legi: quasi non idẽ sit apud Plutarchũ. Et mox, ἀναγορευθεὶς λαμπρῶς, oratione splẽdida habita. Quid est, si hoc non est, præuaricari officium interpretis? Multa id genus alia sciẽs omitto.

2,152,d. *Et consopiuit ab occidente ingruẽs Italiæ periculũ*] Nã Cimbri ad Rhodanum in Gallia Cn. Mallio & Q. Cæpione proconsule cum exercitibus deletis, in Hispaniã recesserãt: inde in Calliã reuersi, Teutonis se cõiunxerant, vt ex Liuiana Epitoma 67 patet. Hoc monui ne quẽ offenderet hic locus, quum à septẽtrione bellũ eos Italiæ intulisse populos cogitaret.

2,153,d. *Polus septentrionalis*] Pleraque hic malè Guarinus vertit, & obscurè. Ratio rei iis qui elemẽta Astronomica gustarunt, non est obscura. Meminit etiam Herodotus Cimmeriorum migrationis, haud procul initio libri primi.

2,154,d. *De gradu (vt perhibẽt) deiectus est*] Xyl. vertit, *De potestate rationis exiit*. & annotat, ἐξέστη τῶν φρενῶν. Guarinus nullo sensu, *calliditate excidit*. Saltem quæ sequuntur, insania correptum fuisse Iugurthã indicare animaduertisset. & nihil notius est quàm ἐξίστασθαι φρενῶν, ἔκστασις, ἐκστατικῶς ἔχειν, ac similia multa.

2,156,a. *C. Lusius*] Sic legitur etiã in Apophthegmatis. Emendetur ergo hinc Valerii locus, apud quẽ in hac historia Clusias lapsu librarii legitur, libro sexto, cap. primo. Etsi is militem non Treboniũ, sed Cœlium Plotium nominat.

2,158,b. *Carbonis casus & Cæpionis*] Σκηπίωνος est, mẽdose pro Καιπίωνος, in Græco. De Carbone præter reliquos, Epitoma Liuii 63, de Cæpione in 67.

2,159,d. *Ac composito gradu subsequebatur*] Xyl. vertit, *Sensim eos insequutus est*. & annotat, σχέδην: alter, *tumultuario bello*. quo quid à sensu magis alienum? Mox ὕδασι Σεξτίοις legẽdum, non Σεξτιλίοις, constat.

2,160,d. *Nomen suum intonabãt identidem Ambrones*] Xyl. vertit, *Ipsi quoque Ambronas mutuò cõclamarunt*. & annotat, Locus est obscurus. & sanè verba puto me fideliter expressisse, quæ id omnino videntur innuere: Ligures iactasse, sibi nomẽ Ambronum auitum esse. Sed de hoc nihil, præter hunc vnum locum, inuenio. Sanè & Sex. Pompeius Festus Ambrones Gallicam fuisse gentem tradit: & apud Strabonem libro 4 de ostiis Rhodani disputantem, mentio fit cuiusdam Massiliẽsium de Ambronibus victoriæ: vt appareat fuisse eos vicinos. Massilienses finitimos Liguribus esse, notũ satis est. Hinc leuis quædam videtur posse sumi coniectura.

2,162,c. *Vt igitur obluctantes illis Romani*] Xyl. vertit, *Quo factũ est vt barbari Romanis resistentibus, ac sursum cõtendẽtes reprimẽtibus, pulsi paulatim in planiciẽ retrocederent*. annotátque, Contraria omnia & verbis & sensui loci huius ha-

het Guarini versio: qui & Romanos cessisse in planitiem scripsit, & ἄνω desuper vertit, & διαστα-σμὸν scutorum collisionem.

2,165,d. *Campum apud Vercellas*] Vercellæ transpadanæ Italiæ oppidum est: cui regioni contigua est Venetia. Plin.lib.3,c.17 & 18. Hoc dico propter Florum, qui lib. 3, cap. 3, pugnatum fuisse in Venetia scribit, & in Campo Caudio. (alii Claudio legũt. sed & in l. De viris illustribus Caudio habetur: apud Velleium est in Raudis cãpis, haud scio quàm rectè) Sigonius Veronam pro Vercellis legendũ putat: quod eo maximè nomine nõ admittendum videtur, quia ad Athesin est Verona: Cimbros trans Athesin procurrisse, historia perspicuè docet.

2,166,c. *Habebant singuli tela bipennia*] Xyl. vertit, *Telum singulis bidens*. & annotat, διβόλια. Bina manibus iacula, Guarinus, & post eum Amiotus: quàm rectè, non video. Est quidem etiam apud Euripidẽ δίβολος ἄκων, in Rheso.

2,169,c. *Numii cædes*] Xyl. vertit, *Nonii cædes*. & annotat, ὁ Ὀνίου φόνος, malè pro ὁ Νωνίου. Nonium omnes historici nominant, & Appianus disertè Νώνιον. Guarinus nescio quem Numium supposuit.

Crus. aurem annotat, epitomẽ Liuii habere Numium: alios Nonium: Plutarchum Onium, sed malé.

2,170,a. *Vt semel tanta de re præiudicares*] Xyl. vertit, *De re ita magna ante cognitionem sententiã ferret*. & annotat, Guarinus locũ hũc neque intellexit, & peruertit. Est autẽ προκαταποφαίνεσθαι εἰς πρᾶγμα, De causa nõdum cognita pronunciare: non (vt ille habet) aduersari rei. Quod autẽ dixit tãtũ onus in se recipere, id in Græco est ad verbũ *Tam latũ habere collum*. qua de translatione aliquid in Ciceronẽ annotaui.

2,172,d. *Silo Popedius*] Xyl. vertit, *Popedio Siloni respondisse*. & annotat, Is fuit Marsici, seu socialis istius, (quod & Italicum dictũ fuit) belli autor atque dux: atque hoc nomine ab historicis afficitur Latinis, Velleio, Floro l.3, c.18: Epitoma Liuii 76: Valerio l.3, c.1. Apud Strabonem lib.5, Πομπέδιος: & apud Plut. initio vitæ Catonis Vticensis, Πομπαίδιος Σίλλων mẽdose legitur. Κόϊντος Πομπαίδιος, itidem ab Appiano l.1 Belli ciuilis appellatur. Fuit ergo Q. Popedius Silo: & hic legendum Ποπεδίου, non Ποπλίου: quod miror ab interpretibus animaduersum non esse.

2,173,a. *Quippe neque terga vestra illi, nec vos illorum aspicere os sustinuistis*] Xyl. vertit, *Nam neque illos horum terga, neque hos eorum occipitia intueri ausos*. & annotat, Habenas, Guarinus. legit enim (vt & in nostro fuit codice) ἡνίον. Sed videntur argutiæ loci hoc non recipere vocabulum. Est enim sensus: ita vtrosque fuisse timidos vt vtrinque fugerint, & neutri neutros insequi ausi fuerint. Itaque ἰνίον legi, quod esse occiput constat. Amiotus faciem vertit, nescio qua occasione: nisi fortè repudiato vocabulo ἡνίον, sensus quod videretur offerre, amplexus est. Sed nostra coniectura verbis Plutarchi ac sententiæ haud dubiè est propior.

2,173,b. *Eã ferunt* LXXV *millibus denariorum Corneliam emisse*] Xyl. vertit, *Trecenta sestertia precium persoluisse traditur*. & annotat, Monstrosè has summas peruertit; & ambiguè extulit Guarinus. Etenim septem myriades & dimidia drachmarum sunt, sed

(quod idem est) denariorum millia L X X V. Sestertium ita dixit Guarinus (ne dicam in numero eũ errasse) vt an sestertios nũmos indicet, an sestertia, (hoc est nũmorum sestertiorum millia) nõ liquidè constet. Prius puto. neque enim animaduerterat, quatuor sestertios vno denario aut drachma (has enim in summis accipiendis Græci indicant) cõtineri: quod legisse salte in Syllæ vita eum oportuit, quã cõuertit. Sed hæc aliâs. Eodẽ modo posteriorẽ summã corrupit. Si denarios decẽ æstimes in aureũ florenũ coronatũ, (quod Budæus docet, & proxime verum est) prior summa efficiet septẽ millia aureorum, & quingentos: posterior Luculliana, C C L aureorũ millia. éstque ea summarum proportio quæ ternarii ad cẽtenarium numerum. Amiotus priorem summam ita vt nos demonstrauimus, effert. Lucullianæ autem tantum V ponit partem, L scilicet aureorũ millia: quæ ad priorem hanc habet rationem quæ est vigenarii ad ternariũ: vide turq; legisse, ἀντὶ ζ μυριάδων πεντήκοντα. οὕτως, &c. omissis verbis καὶ διακοσίων. Vtrum rectius sit, vix possum iudicare: itaq; quod in Græco reperi, id reddidi, quanquam verisimilior iudicari potest Amioti lectio. nam & ipsa tantùm incrementum pretii habet, vt rectè videas epiphonema de aucta prodigiosè sumptuositate additum à Plutarcho.

2,174,b. *Quos nominabat Contrasenatũ*] Xyl. etiam ita vertit, atque sic in hunc locum scribit: Finxi vocabulum, vtut durum, (sunt enim Latini in duplicandis vocabulis quàm Græci infeliciores, vt est apud Liuium) quo ἀντισύγκλητον vtcunque exprimerem. nam quod nomen suæ cateruæ indidisset Sulpicius, nondum apud Latinos legi. Consules porrò tum erãt L. Cornelius Sylla, & Q. Põpeius Rufus, anno ab V.C. D C L X V I.

2,174,c. *At Sylla*] Xyl. vertit, *Sed ipse Sylla in cõmẽtariis, se nõ cõfugisse ad Mariũ, sed quũ de iis deliberaret quæ eum Sulpicius gladiis strictis circundatũ præter animi sententiã vti probaret vrgebat, eo modo de foro ad Mariũ vsque cõpulsum fuisse*. annotátque, Locus est intricatus, & à Guarino perperam versus, nullo planè sensu. Vbi autem verti, *Quod ipsi postulabant, iustitiũ sustulisse*, minus mirum est ab eo non intellectum, quum & Græca sint mendosa, τὰς προ͂ξεις ἔλυσε. Sed ex Syllæ vita, vbi idem argumentum tractatur, satis constat legendum τὰς ἀπραξίας ἔλυσε: ne id ex aliis autoribus petamus. Iustitium autem magnis tumultibus antiquitus consueuisse indici, cùm aliâs, tum ex tertio Liuii libro patet. Mox de equitũ numero, præsertim tam exiguo peditatu, in suspicionem veni ne pro τρισμυρίων sit legendum τρισχιλίων: hoc est. I I I, non X X X millia. idque ausus sum ita exprimere. sex legiones ei in Sylla Plutarchus, & Appianus lib. I Belli ciuilis, quatuor Orosius lib. 5, cap. 9, adscribunt.

2,176, a. *Excludit binos*] Xyl. vertit, *Oua parit tria*. annotátque, ἐκλέπει, non ἐκλιπεῖ. Est hoc verbum Excludere. Apud Arist. lib. 6, cap. 5, De historia Animal. idẽ Musæi versus adducitur: sed pro ἀλυβάζει legitur ibi ἀλεγίζει. quod quid sit, facilius intelligitur quàm τὸ ἀλυβάζειν. hoc enim esse idem quod τρέφω, nutrio, in Lexico est, nullo testimonio: & fortè ex hoc loco sumptum vocabuli glossema. Cætera vide apud Plin. cap. 3, & 6, libri decimi.

2,179,b. *Transmissóque mari tenuit insulā Meningē*] Meninx insula est eregione Africæ, non longè à minori Syrte, quæ & Lotophagorum insula dicitur. Polyb. lib. 1. Vide Plin. l. 5, c. 7. Cæterùm Ἱέμψαν Hiempsalem, vt verti, Latini vocant. & Sextilius Appiano est Sextius.

2,180, d. *In portū Hetruriæ Telamonē inuectus*] Τελαμῶνι τῆς Τυῤῥηνίας. Portum esse, ex Plinio didici lib. 3, cap. 5, idque perspicuitatis causa adieci.

2,181, b. *Primò cōmeatū nauibus circūcidens*] Xyl. vertit, *Primùm nauigiis circūuectus frumēta quæ hosti bus aduehebantur auertit.* annotátque, Guarinus, quasi non esset notissimum ναυσὶ datiuum instrumēti, vt vocamus, esse, ac περικόπτειν τὰ σιτία quid significaret: nautis pensionem præcisam à Mario finxit. quod indicādum duxi: refutatione non eget.

Ibidem d. *Quasi omnia ex sententia essent cessura*] Xyl. vertit, *Bonū fore rerū statū.* annotátque, Elegās est, sed concisa, oratio, δὲ γενησομένων. nimirum τῶν πραγμάτων. vt Latini dicunt, Bene habet, & similia. Guarinus non intellexit, operæpretium esse ibi manere vertendo.

2,182, c. *Anchariū*] Sic & in Græco, & in Appiano est. apud Florū Arquarius legitur, sed malè opinor. De Bardiæis, quæ ratio sit eius nominis, fateor mihi nihil esse quod doceam.

2,185, c. *Et ædepol Tarsensem referunt Antipatrū*] Stoicus fuit philosophus, quod Strabo in Tarsi descriptione testatur lib. 14. Citatur eius De superstitione liber quartus apud Athenæum lib. 8. Vixit paulo ante Marii tempora, siquidem Plutarchus in vita Gracchorum, T. Gracchum ait ad leges ferendas à Blossio incitatum, qui huius fuerit Antipatri in vrbe discipulus. Idem in lib. περὶ δυσωπίας, hoc idem Antipatri dictum refert. Platonis sententiam copiosius Lactāt. lib. 3, cap. 19, Institut. refert.

## IN LYSANDRVM ANNOTATIONES Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

LYsandrum Lacedæmoniorum imperatorem victoria maximè de Atheniensibus ad Aegos potamos parta, murique Athenarum deiecti nobilitāt, & bellum Peloponnesiacum ab eo confectum. Incidit autem (quod etiam ex Polybii lib. 1, haud procul ab initio, intelligitur) in Camilli tempora, & Veiorum propè obsessionem, id facinus. De Græcis quos æquales habuerit, satis ex ipsa historia liquet.

2,189, a. *Acanthiorū Delphis thesaurus*] Xyl. *Donū ab Acanthiis.* annotátq; θησαυρὸς, in Græco. Sed ea vox hoc loco idē quod ἀνάθημα significat, nisi fallor. eodem modo infrà quoque vsus est. Porrò autem Brasidas Spartanus fuit, qui Methonam ab Atheniensibus oppugnatam defendit, & præclaro facinore liberauit. Historia est apud Diodorum Siculum libro 12: apud Thucyd. lib. 2. Acanthus autem Thraciæ seu Chalcidicæ vrbs

maritima est, in Singitico sinu, non longè à fossa quam in Atho monte Xerxes fecit. Cæterùm Acanthiis quid rei cum Brasida fuerit, cúrve eum tanti fecerint, satis ex historia apparet. Nam à Spartanis missus cum exercitu in Chalcidicam & Thraciam contra Athenienses, eas regiones magna virtutis & probitatis cum laude est tutatus. Vide Thucyd. lib. 4: Diodorum quo dixi loco.

2,189,b. *Secundū magnū conflictū Argiuis*] Xyl. vertit, *Argiuis post magnā illā cladē*. annotátque: Quam dicat, non satis scio. fortè illam qua eos affecit Cleomenes Alexādridæ F. apud Argi fanum. de qua Pauf. lib. 3, & in Argolicis: quo loco de Telesilla scribit. Eam quidem cladem maiorē quàm vt verbis explicari posset, fuisse testatur: quippe non victis modò pugna Argiuis, sed etiam eorum v millibus, qui in Argi Niobes F. lucum confugerant, vnà cum luco combustis. In Argolicis vitiosè Ἀρείου pro Ἄργου legitur, & mendam, quæ facilè poterat ex Laconicis corrigi, interpres retinuit, lucúmque Martis vertit: quum sit Argi, filii Niobes, ipso docente id Pausania.

2,190,a. *Nec quū Bacchiadę*] Idem autor in Corinthiacis ostendit, Bacchiadas à Bacchide Herculis sanguine ortos, regnum obtinuisse in Corintho, atque inde à Cypselo eiectos. Historia est apud Herodotū in Terpsichore descripta. De iis paulo aliter interpres Apollonii, prope finē lib. 4.

2,190,a. *Aristoclitum*] Pausanias constanter Ἀριστόκριτον, Aristocritum, Lysandri patrem nominat. Porrò autem Heraclidas eos vocari qui ab Hercule genus ducebant, notissimum est: déque eorum in Peloponnesum reditu, & regnis atque successionibus multa multi, & passim.

Ibidem c. *Aristoteles qui præcellentia ingenia* &c.] Xyl. vertit, *Aristoteles, vbi magnorū virorū temperamenta fuisse melancholica asserit.* Annotátque, Guarinus sensum non extulit. Locus Aristotelis est problemate I, sectionis 30.

Cruf. pro Herculis annotat legendum fortasse Heracliti.

2,191,a. *Post acceptā in Sicilia cladē*] Victo cum copiis & capto Nicia. vide apud Plut. ipsum in eius vita, & Thucyd. lib. 6. In Græco ἐκπτούδαις repone pro ἐμπτούδαις.

2,192,d. *Vt sodalitia constituerent*] Xyl. vertit, *Vt sodalitates instituerent*] Institutum Lysandri fuit, democratia per vrbes abolita, oligarchiam constituere, atque ita potestatem omnem à populo toto ad paucos quosdam suos amicos transferre. Itaque sodalitates istas institui iussit, hoc est factiones, quibus sui amici freti, popularem reip. formam protegentibus superiores fieri possent. Huiusmodi coitiones, sodalitiorum & sodalitatum nomine etiam aliquando intelliguntur. & meminit Cicero pro Plancio legis Liciniæ de sodalitiis. Alioquin collegia etiam verti commodè iudico, quæ ipsa magno vsui rerum nouarum & malarum affectatoribus fuisse notum est. Itaque & L. Metello, Q. Martio coss. autoritate senatus sublata sunt, & à Clodio, homine turbulentissimo, conuellendæque reipublicæ nato, decem pòst annis restituta. Cicero in L. Pisonem, ibique Asconius: Dio lib. 38. Idem que pòst etiam à Claudio Cæsare ea scribit abrogata. Hoc loco, ἑταιρικὰ, infrà ἑταιρείας vocat Plu

tarch',vt & in Agesilao.Dio quoque nostet in simili re ita loquitur. Factiones enim istas & cateruas, Cæsarianas,Pompeianas & Crassianas,qui contra democratiam & aristocratiam conspirarant,& πεπραγμένον illud moliebantur, ἑταιρικὰ nominat, lib.37, extremo. Guarinus mihi hæc commemorandi ansam præbuit,quia sensum loci minimè expressit.

2,193,d. *Cui quũ vnus ex admissionalibus respondisset*] Xyl.vertit, *Eorũ qui ad fores stabãt*.annotátq;, τῶν ἐπὶ θύραις τινός. In Themistocle & Pelopida,& alibi sæpe,autor ita nominat aulicos magni nominis:quales fortè sunt quos vulgò camerarios aut cubicularios dicimus. Sed & Ianitor videtur accipi posse hac dictione. Hic quia parum refert, ad verbum verti. Paulo pòst Guarinus ἐγβυφηθεῖσι malè reddidit.

2,194,b. *Ad Arginusas*] Guarinus, *In Arginusis*. Nomen hoc variè scribitur,vt ostendi in Stephano De vrbibus. meam lectionem puto rectissimam. Historia est apud Xenophontem (sicut & priora)lib. I Rerum Græcarum.Meminit Cicero lib.I Officiorum.

2,198,a. *Excepta paralo*] Guarinus nimis quàm absurdè πάραλον hîc oram maritimam vertit. Est autem πάραλος,paralus, nauis (sicut etiam Salaminia,de qua est in historia Alcibiadis, & Theoris) nomen frequens apud historicos. Publica fuit Atheniensium nauis, publicísque muneribus,vt legationibus,nunciis, aliísque id genus rebus, destinata ob velocitatem. Multa de ea habet Suidas & non negligenda. Et qui ea naui vehebãtur, πάραλοι dicebãtur. vt apud Thucydidem lib. vlt. τὴν πάραλον ναῦν καὶ Χαιρέαν ἀποπέμποιεν οἱ Σάμιοι,&c. Mox, τῶν παράλων τινὰς οἱ τετρακόσιοι δύο ἢ τρεῖς ἔδησαν· τοὺς δὲ ἄλλους ἀφελόμενοι τὴν ναῦν,&c. Quod sequitur, *Absumptis,quod ne, &c.* ineptè & planè nullo sensu idẽ Guar.peruertit.

Ibidem b. *Ad Aegos fluuiũ ingens lapis*] Ex Plinio lib.2,cap.58, colligitur, sexaginta circiter ante hanc naumachiam annis id factũ: nisi intelligere velis Anaxagoram id prædixisse quod multis pòst annis euenturum esset. Locus est obscurus satis,& parum dextrè conuersus à Guarino. Ex Platone & Aristotele atque Plutarcho, non est obscurum quid senserit Anaxagoras:ídque nos expressisse vtcunque spero. διάττοντας non esse radiantes, sed subitò erumpentes, atque cum saltu quasi traiicientes stellas,notũ est. Deinde lego ἀναφλέξεις. ῥίψεις δὲ καὶ πτώσεις:& pro πολύπλους, πολυπλόκους. De Damacho autẽ quem mox citat Plut. nihil mihi aliunde constat. Suspicor esse eum Daimachum (Δαΐμαχον) cuius Indica Athenæus citat lib.9. Sed & suprà in cõparatione Solonis & Poplicolæ,Daimachus quidam Platæensis citatur.

2,200,d. *Lacedæmonios audias dicentes*]Xyl. vertit, *Lacedæmonios inuenias qui dicant*, & annotat, Contra mentem Plutarchi versum antè fuit. Non enim laudat sed vituperat Plut.id commẽtum, & non ab Ephoris aut Lysandro, sed iis qui hoc ferrent, fictũ sermonẽ indicat.

2,201,d. *Ingressum chori caneret*] Xyl.vertit, *Chori primã in scena vocẽ* & annotat, τὴν πάροδον.quo de vocabulo apud Dionis librum 47 dixi.extant versus in Electra,quæ nuper demũ seorsum edita est:eíq; testimoniũ erũt,genuinã esse eam.

2,202, a. *In quem condidit con-*

*xinium suum Xenophon*] In libello cuius titulus Symposion, finxit Xenophon id quod hic dicit Plut.

2,202, c. *Sub Ceramico multas cubare noctuas*] Locus est Athenis nomine Ceramicus, cuiꝰ multa etiã apud Latinos mẽtio. Ceramus autem laterẽ, etiã tectum seu tegulam significat. Id innuebat Gylippi seruus, ab hero argentum esse subter tegulas abditum. Sed allusio in Græcis vocibus facilius quàm Latinis intelligitur.

2,203, a. *Et drachma sex oboli*] παρὰ τὸ δράττομαι, Comprehẽdo, nimirum. Citat hunc locum Eustath. in 3 Iliadis. Atque idem in primum librum eiusdẽ operis indicat, inter ὀβελὸν, veru, & ὀβολὸν, obulum, esse differentiam à posterioribus seruatam: & in α Vlyss. ὀβολὸν παρὰ τὴν βολὴν dictum tradit. Consuli ista loca & diiudicari à diligentibus possunt: nobis satis est indicasse.

2,206, c. *Non vnũ Vlyssem scilicet esse callidũ*] οὐκ ἄρ' Ὀδυσσεὺς, &c. Apparet Iambicum esse versum ex aliqua tragœdia, quem hîc prouerbialiter citat, quasi diceret: Sensit Lysander, non se solum esse vafrum, sed & aliis istas artes notas esse & vsitatas. Ita Vlyssis, qui callidissimꝰ erat, eóq; nomine seipsum prædicare solebat, dolùs est à Palamede deprehẽsus, insaniam simulantis ne iret ad bellum Troianum. nota est fabula, & ex antiquo p.e.a versus ea de re Cic. lib. 3 Off. recitat. Ac fieri potest vt hic versiculus sit de Palameda Euripidis transcriptus.

Ibidem. *Quũ in Thracia Aphygæorum oppidũ circumsideret*] Xyl. vertit, *Obsidenti ipsi Aphytim in Thracia.* & annotat, In Græco est, τὴν τῶν Ἀφυγαίων πόλιν. Estque sequutus id mendum, vt pleraque, Guarinus, & inquirendi labore supersedit. sequutus est etiam Amiotus. Est autem haud dubiè legendum Ἀφυταίων, quod ex Pausania & Stephano nostro deprehendi, tametsi apud vtrunque mendum est. itaque eadem opera trium autorum locos castigabimus. Pausan. in Laconicis: A Mineruæ (inquit) ocularis (de qua dixi in Lycurgo) progressus fano, ad Ammonis sacrarium venies. Videntur sanè ab initio Lacedæmonii maximè omnium Græcorum oraculo Ammonis, quod in Libya est, vsi: & Lysandro Aphytin Pallenæ oppidũ obsidenti, per quietem visus est Ammon dicere, expedire ipsi & Spartæ, bellum contra Aphytæos desinere: & quæ sequuntur. Ἄφυτιν τὸν ἐν Παλλήνῃ est in Græco: sed articulus masculini generis fecit vt nomen viri, non oppidi, videretur. Ἀφυτην τὴν, &c. legendum est. Quod ex Strabonis Epitoma apparet. ea enim Pallenem peninsulam esse, quatuórque in ea vrbes sitas, Aphytin, Mendam, Scionã, Sanem, docet. Stephanus autem, Aphyte (inquit) aut Aphytis, vrbs est Thraciæ ad Pallenem. est & ibi Apollinis oraculum. Non Apollinis, sed Ammonis (Ἄμμωνος pro Ἀπόλλωνος) lego: quum perspicuè prioribus addat Pausanias: Aphytæos Ammonis colendi studio non cedere Ammoniis Africanis.

2,207, a. *Et primùm Athenĩẽses, ex Pyla mouentes*] A Phyla Guarinus & Amiotus, non rectè. ex Xenophontis lib. 2 Ἑλληνικῶν, vbi hæc res à Thrasybulo gesta describitur, apparet castellum fuisse inter Thebas & Athenas Πυλὴν, Pylam. Cæterùm hic Guarinus ὀλιγαρχικοὺς ineptè factiosos, sicut & supra factionis suæ homines, non satis perspicuè vertit.

Ibidem d. *Quum Corinthii defecissent*] Guarinus, *Incumbentibus*: vitiosam sequutus, vt solet, lectionem, quæ & in Apophthegmatis Plut. hoc ipso de dicto est, ἐπεισώτων pro ἀφεστώτων.

2,208, c. *Te validū pedibus*] μὴ σθένει ἀρτίποδος. σθένει quidem genitiuus est, & ἀρτίποδος celerem pedibúsque promptum significat. (Hom. Ι. ι, Ἡ δ' Ἄτη σθεναρή τε καὶ ἀρτίπος ---) vt videatur ad Spartam hoc debere referri: tametsi βλάπτω cum genitiuo construi nō meminerim me legisse. possunt tamen esse genitiui absolutè positi. Ita quidem legitur infrà initio Agesilai, & apud Pausf. lib. 3. Vtrobique enim idē oraculū refertur. Pòst pro μόχθοι est in Agesilao νῦσοι. Et pro φθισίμβροτον rectè habet (vt metri ratio requirit) φθερσίβροτον Pausanias: idémque κυκωμένου nō κυλινδομένου scripsit.

2,210, b. *Mithridatē Persam*] Xyl. vertit, *Spithridatē*. Et annotat: Μιθριδάτην, Mithridatem. Sed Xenophon (qui hæc omnia lib. 3 narrat) non ita, sed Σπιθριδάτην vocat, etiam initio lib. 4: & sic est etiam in vita Agesilai apud nostrū.

Ibid. d. *Nec verò paucos vel contemnendos habuit sibi in hac fabula seruire paratos*] Xyl. vertit, *Multis & non vulgaribus ei ad partes paratis*. Annotátque, προσαγωνιστής. quo vocabulo intelligi arbitror eos qui aliàs δευτεραγωνισταὶ dicerentur. Liuius lib. 3, Tribuni corràm in foro personare, Fabulam compositam Volsci belli, Hernicos ad partes paratos. hoc est subseruire, δεύτερα (vt in vita Cicero nis noster loquitur) λέγειν. Horatius Partes tractare secundas, ait. Cæterùm falsa sunt quæ Guarinus dixit, & contra Plut. sententiam, venisse Silenum, & Delphis filium Apollinis professum, & reliqua. nihil enim tale est actum, sed quidam administer sua formidine actionem fabulæ impediit. Quod satis apertè Plutarchi verba habent.

2,212, c. *Et Amphyteo*] Xenophō hunc non habet, sed cum Androclida Ismeniam & Galaxidorum. Pausan. præter Androclidam & Ismeniā, Ἀμφίθεμιν, Amphitemin, nominat. De sacrificio Agesilai Aulide facto idem satis disertè.

Ibidem. *Decimā prædæ*] Xyl. vertit, *Decimā manubiarum*. & annotat, In Decelea Thebanos cōsecratarum Apollini rerum decimam sibi postulasse, Xenophon ait, lib. 3 Rerum Græcarum.

2,214, a. *Illúmque cum vate interficiunt*] Xyl. vertit, *Vnà cū Mante*. annotátque, μετὰ τοῦ μάντεως, id est vate. Sed propriúm ne sit an appellatiuum id nomen, ambigo. interpretes appellatiuè acceperunt.

2,215, b. *Oram confinem*] Xyl. vertit, *Oram agri*. annotátque, Ἐσχατιὰ extremitas rei est. Homerus, Ἀγροῦ ἐπ' ἐσχατιῆς ---. reliqua vt Dauus verti, non vt OEdipus. Certè χάραξ palus est etiam apud Homerum, de vinea, Iliad. 6, Εἱστήκει δὲ χάραξι διαμπερὲς ἀργυρέοισι. Non me fallit, pro telo apud Euripidem vsurpari in Hecuba, Ἄλλαι δὲ κάμακας Θρῃκίαν θνώμεναι, teste etiā Scholiaste. Sed quid faceres in oraculo? Cæterùm Δήλιον, Delium, in Tanagræorum finibus Bœotiæ oppidulū est, Steph. & Pausan. qui & ibi victos Athenienses & eorum ducē Hippocratem Ariphronis F. scribit à Bœotiis, lib. 9 Descript. Græciæ. Eandem rem lib. 12 Diodorus describit, & Thucydides διεξοδικῶς libro 4.

# IN SYLLAM ANNOTATIONES Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

NIhil attinet de huius ætate annotare, & æqualibus: nobilis maximè Mithridatico & ciuili Mariano bello fuit.

2,216,c. *Rufinum ad consulatum aiunt aspirasse*] Xyl. vertit, *Rufinus consulatum gessit*. & annotat, Is fuit P. Cornelius Rufinus. Val. lib. 2, c. 4, duobus consulatibus & dictatura speciosissimè gesta, Senatu exci disse tradit. quod idē est apud Gellium l. 4, c. 8, & l. 17, c. 21. Sanè de dictatura mihi nihil cōstare fateor. Priorē cōsulatū anno V. C. 463, & in bello Samnitico rē præclarè gessit. Eutrop. l. 2. Posteriorem, V. C. 476, durante contra Pyrrhū bello. Meminit etiam Cicero l. 2 De oratore, salsè dictum Fabricii de eo referens. Censores eum Fabricius & Q. AEmilius Papus Senatu mouerunt, quòd decē (noster supra decē) pondo argenteorū vasorum possedisset. autores Valerius, Gellius, præterea Liuius lib. 14: (quod ex Epitoma intelligitur) Florus l. 1, c. 18. Actum anno V. C. 478. Ab hoc Cornelio Rufino sextum fuisse Syllam hunc, Paterculus affirmat. Porrò quod ad cognomentum Sylla attinet, meā sententiā supra exposui. Annotauit hîc Amiotus, Syllam propterea à rubore faciei nomē hoc habere, quòd Latinis ochra Syl dicatur, atque illud pigmentū in ignē cōiectū rubeat: vnde etiam purpureus color, syllaceus Vitruuio appelletur. Cui cur nō subscribā, multæ sunt causæ. Primùm, Sil per i, nō y scribitur, apud Vitruuium lib. 7, cap. 7, & 14: (sicut & apud Pliniū vltimis duobus capitibus libri 33) atque etiam Silaceus: vt parum hoc ad etymon vocis videatur pertinere. Deinde ochra & sil idem non sunt: quod patet ex eorum apud dictos autores descriptionibus, eóque in primis quòd ochra destitutis, sil in eius locum adhibetur. Tum si sil quoque in ignē missum rubet, & syl sit scribendum: quid causæ sit cur non à natiuo potius colore (qui ochræ est flauus, seu pallidus) Sylla, quàm ab eo quod isti pigmēto in ignē cōiecto accidit, dicatur? Quòd si sil natiuo colore purpureū colorē habere dicamus, non erit id extra omnē controuersiam, quum quod de eius violaceo colore Vitruuius dicit, id cæruleo pigmēto Plinius quo dixi loco adscribat. Plura qui velit, Philandri legat annotationes. Denique si ista cognomēti ratio fuisset, vix credo id Latinos scriptores, atque adeò etiam Plutarchum fuisse præteriturum: quū non vno tantùm loco de eo dicat. Apparet certè σύλλαν, Syllam, Græco sermone aliquid ex albo rubens significasse: vnde antiquum Syllæ epitheton potuerit, quasi nouum, huic ob faciei colores tribui. Nam de prima origine cogitari idem potest.

2,219,b. *Sapientem virum Euripidem fuisse*] Alludit ad pulcherrimos eius in Phœnissis versus, quibus à studio contendendi Iocasta & ab ambitione dehortatur filium Eteoclem, & ad æqualitatis studium adducere laborat. Noti sunt versus, & ab optimis passim scriptoribus allegantur. φιλοτιμίαν, deam iniustam & perniciosam Euripides ibi vocat: noster δαίμονα, id est genium malum ac pe-

ſtiterum.

2,220, b. *Chalcidenſem*] Χαλκιδεὺς. Exiſtimo Chalcide Syriæ hunc oriundum fuiſſe: tametſi Stephanus Χαλκιδηνὸν inde deriuet. Sed eius regulæ non ſunt edicta prætorum. Meminit huius Chalcidis, & regionis Chalcidenes, Plinius lib. 5, cap. 23, in deſcriptione Cœlæ Syriæ: & Strabo lib. 16.

2,221, c. *Collegam*] Xyl. vertit, *In ſocietate magiſtratus*. & annotat, Nimirum conſulatus. Socerum Syllæ fuiſſe Q. Metellum, paulo pòſt oſtenditur: çollegam fuiſſe Syllæ in conſulatu eius altero, cùm aliunde tum ex Gellio conſtat lib. 15, cap. 28.

Ibidem d. *Apud Lauernam*] περὶ Λαβέρνην. Lauerna Dea fuit Romæ culta, furib⁹ præſertim & impoſtoribus. Id cùm aliàs tũ ex illo Horatiano ad Quinctiũ patet: *Labra mouet, metuens audiri: pulchra Lauerna Da mihi fallere, da iuſtum ſanctúmque videri: . Noctem peccatis, & fraudibus obiice nubẽ*. Hinc & Lauerniones (teſte Sex. Pompeio Feſto) fures dicti, quòd in luco eius (quem via Salaria fuiſſe Acron annotat) prædam diuiderent, ſiue (vt antiqui loquebantur) lucrent. Veri proinde ſimile eſt, Lauernalem portam, cuius etiã Varro lib. 4 meminit, hic intelligi.

2,222, b. *Albinũ*] Is fuit A. Poſthumius Albinus. Hiſtoria eſt in Epitoma Liuiana LXXV, apud Valerium Maximum libro 9, cap. De temeritate: apud Oroſium lib. 5, cap. 18.

Ibidem c. *Vt Titus Liuius ait*] Xyl. vertit, *Vt refert Liuius*. & annotat, ὁ Τῖτος. Liuium intelligo: tametſi liber is non extat, neque eius rei in Epitoma mentio eſt. Incidit enim in librum LXXVII. Cæterùm Græcis, ac præſertim noſtro, familiare eſt, prænomina pro nominibus ponere, vt & in Quinctio Flaminino creberrimè, & aliâs. Quod ad vxores Syllæ attinet, equidem non intelligo quæ fuerit Ilia iſta, & omnino mendam eſſe puto: neque tamen inuenio remedium. Conſulem non quinquageſimo ſed vndequinquageſimo anno factũ, apud Velleiũ legitur.

2,224, a. *Agreſtium*] Xyl. vertit, *Agrorum poſſeſſores*. & annotat, Locus hic non ſatis eſt apertus. opponit autẽ κληματικοὺς, hoc eſt agrorũ poſſeſſores, vrbanæ & forenſi multitudini. & tamẽ mox χωρῖται & ἀγοραῖοι pro iiſdem ponuntur: quũ ante videbantur ἀγοραῖοι oppoſiti τοῖς κληματικοῖς. Sanè eos qui multũ agri poſſiderent, etiã in Agide & Ti. Graccho κτηματικοὺς noſter palàm appellat. quos eoſdem hic ſuſpicari aliquis poſſit χωρίτας dici, παρὰ τὴν χώραν: quibus opponãtur forenſes & vrbani homines, qui ſunt ἀγοραῖοι. Sanè & Guarinus κληματικοὺς Agreſtes vertit. Ego (nihil enim diffitebor) quì paſſer vrbanis, cicada agreſtibus, aut cõtrà congruat, non intelligo. Itaq; hîc iudiciũ meũ ſuſpendo: & aliis qui locum enucleabũt, non illibenter agam gratias.

Ibidem d. *Qua de cauſa quum Pompeio abrogaſſet honorem*] Xyl. vertit, *Quum Pompeio conſulatum abrogaſſet*. & annotat, ὑπάρχοντα ποιήσας. quod quid ſit, non planè aſſequor. Prætorem factum à Sulpicio Pompeium, Guarinus ait: neſcio quid aut quem ſequutus. Fortaſſis ἀπάρχοντα ſcripſit Plutarchus, id eſt deiectum magiſtratu: ſed id quo exemplo tuear non habeo. Sententiam quidem eandem apud Amiotum reperio.

2,225,c. *Apud Picinas*] Sic in Græco est: sed quæ sint istæ Picinæ, non scio. agrum quidem Picenum intelligi non arbitror. Guarinus habet Triripa.

2,231,b. *Armamentarium Philonis*] ὁπλοθήκη. fuit autem receptaculum mille nauium, valde nobile & laudatum. Meminit Cic. 1 De orat. & Plin. lib. 7, cap. 37: Valer. lib. 8, cap. 13.

8,233,a, *Quę arx quondã Parapotamiorum fuerat*] Xyl. itidẽ, *Arx Parapotamiorum*. & annotat, Guarinus malè, *Finitimo fluuio arx fuerat*. quum vrbis hoc esse nomen ostendat disertè Plutarchus. Eam in Phocide collocat Stephanus, Pausaniam sequutus, lib. vlt. Notum est autem, contiguas regiones esse Phocidem & Bœotiam.

Ibidem c. *Q. Titius*] Κοΐντον Τίτον. Τίπον legi. T. Quintius erit legendum. Qui in Græco est Γαμίνιος, eum Geminium verti: tametsi etiam Gabinii nomen affine sit huic scripturæ. Quod mox sequitur, *Vterque autem idẽ vaticiniũ afferebat*, certè diuinaui ita vt facilè sim ei assensurus qui aliquid melius & certius afferat. est enim locus mutilus, vt puto, & ambiguus. nã quis ipsis ea forma apparuerit, nõ apparet. ταῦτα περὶ τῆς ὄψεως. Malim ταυτὰ, pro τὰ αὐτὰ, id est Eadem.

2,234, c. *Gallus & Hortensius*] Galbam Guarinus posuit, sequutus (vt opinor) Appianum. nam in eius Mithridatico ita legitur. ac rursus infrà de prælio cum Telesino, vbi legitur Βάλβος, Balbus, interpres Galbam posuit. Mox *Cum Hircio*, Ἐρίκιον est: puto Ἔρκιον, vt suprà. quem Hircium verti. Deplorandum est, nomina propria ita deprauata esse: quæ vnde emendemus, præter leues coniecturas nihil suppeditat.

2,238, d. *Deliacus*] Δηλιακός. Hoc potissimum deriuari ab insula Delo, Stephanus ait. Videant lectores attenti an à Delio potius Bœotiæ oppido originem trahat.

2,242, a. *Quare Adipsum nauigauit*] Xyl. vertit, *Traiecit Ædepsum*. annotátque, Ἀδηψόν. lege Αἰδηψὸν ex iis quæ à me in Stephanum περὶ πόλεων sunt annotata.

Ibidem b. *Et apud eum Nymphæum*] Vide de hoc loco quæ Dio noster habet libro 41. Meminit etiam Strabo lib. 7, & inter miracula Plin. cap. 106, lib. 2.

2,243, c. *Ad Fidentiam*] Φιδεντίαν. Appianus Alexãdrinus hoc apud Placentiam factũ scribit. Sed neutrum locum temerè mendosum habebo. Nam in eadem Italiæ regione & Fidentiam fuisse & Placentiam, scilicet in octaua, quæ Arimino, Pado & Apennino limitibus includitur, satis ex Geographis, præsertim Plinio, patet, l. 3, c. 15. Simile huius est quod paulo infrà de Syllæ cum Mario iuniore cõflictu legitur: vbi noster Signiũ, Appianus Setium habet: quæ fuisse vicina oppida, ex eodem Plin. apparet.

2,244, a. *Morã aliquã*] Xyl. vertit, *Procrastinandi occasiones*. & annotat, παραγωγὴν. Alliciendi rationes Guarinus reddidit, non sine sensus detrimento. Est autem παράγειν id quod Cæsar lib. 1 Belli Gall. Ducere exprimit: Cæsar vbi se duci diutius videt, &c. Ne longè exempla petantur, sic noster initio ferè Lycurgi est loquutus: οὕτω δὲ παραγαγὼν ἄχρι τοῦ τόκου τὴν ἄνθρωπον, de vxore fratris grauida, quam spe tollendi è medio fœtus vsque ad partum ducebat Lycurgus. Hinc patet quid sit hoc & similibus locis παραγωγή.

2,244,2. *Quadraginta in laqueũ illectas aduersarias*] Xyl. vertit, *Ita Sylla viginti suis cohortibus, nunquam ad alliciendum assuefactis aviculis, quadraginta hostiles aucupatus.* & annotat, παλεύσας μ' τὰς τῶν πολεμίων. Guarinus πελαγίσας videtur legisse. quod ipsum si inuenissem, propter hæc vocabula, ἠθάσιν ὄρνισι, suspectum habuissem: ne quid aliud dicam. Iam ipsum vocabulum παλεύειν, quod est Illicere & decipere, ideóque aucupio valde est accommodatum, non modò à Suida & Varino explicatur: sed & à Scholiaste Aristophanis in Auibus, ad versum, Αὖθις ὑμῖς αὖ παρ' ἡμῖν δεδεμένοι παλεύοντι. Meminit & Erasmus in Chiliadibus, prouerb. Columba sedens. cui, quòd apud Suidam ἠμύν πλειάς mutandum in ἡμμένη autumat, neminẽ puto eruditum assentiri. Cætera malo ex ipsis quos citaui autoribus te petere.

2,245,c. *Pernoctauit ibi prope vrbẽ*] Xyl. vertit, *Stationẽ ante vrbem habuit.* & annotat, Hæc quum ad Syllam referret interpres, miror quid vel legerit, vel cogitarit. Sed omnia errata notare, nimiæ est curiositatis.

2,246,c. *Lucretium Ofellam*] Epitome Liuii habet *Asellam*. Cr.

2,251,c. *Metrobius Lusiodus*] Xyl. vertit, *Metrobiúsque histrio.* & annotat, λυσιῳδός. Guarinus Bacchanaliorum cantorem vertit: nimirũ eo (ni fallor) ductus quòd λύσια quædam sacra apud Græcos in honorem Bacchi celebrarentur: quorum Suidas meminit. Ego autem Athenæum sequor, qui lib. 14 ex Aristoxeno tradit, λυσιῳδὸν vocari eum qui masculino habitu mulierũ gestus exprimat: quod ipsum ex Athenæo Eustath. in penultimum Vlyssea annotauit. Histrio autem tametsi generale est vocabulũ, tamẽ quia aliud non est in promptu, boni consulendum opinor. Cantorem vertit Amiotus.

2,252,b. *Puteolanorum dissensiones*] Xyl. vertit, *Dicæarchensium.* & annotat, Id est, *Puteolanorum.* Id & Guarinus extulit, & Plin. testatur cap. 5, lib. 3, & Appianus sæpe: præsertim etiam lib. 5 Bell. Ciuil. Puteolos ita appellat. Puteolis autem mortuus est Sylla: autor De viris illustribus.

# IN CIMONEM ANNOTAtiones Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

CImonis ætas satis illustris est, bello præsertim Persico aduersus Xerxem. De patre eius Miltiade, & matre Hegesipyla, legi potest Herodotus libro sexto.

2,263,c. *Coalemũ*] κοάλεμος. Vocabulum ductum παρὰ τὸ κοεῖν & ἀλᾶσθαι, quod est Errare & mentis impotem esse. Eustathius annotauit in Iliad. 6. & sic etiam interpres Aristophanis in Equitibus, exponens oraculi versum, Γαμφηλῇσι δράκοντα κοάλεμον αἱματοπώτην.

Ibidem d. *Pisianactios*] Iustinianus Plesianactium habet, nescio quid sequutus, & ne mendum typographi crederem, facit quòd idem est apud Amiotum. In Græco est Πλησιανακτίῳ, Plesiactio: quasi

dicas. quæ vicina sit littori. Sed ex Pausaniæ Atticis diuersum apparet. Apud Diogenem Laertium libro septimo in vita Zenonis legi, porticum eam antiquitus Peisiana etiam appellatã: inde à pictura Polygnoti Pœcilen (id est variam) dictã fuisse. quod & Suidas & alii habent: & nomen Pœciles eodẽ modo interpretatur ipse Pausanias. itaque hic in Plut. mendum est, τῇ Πλησιακτίῳ τότε χαλκωμένῃ, reponendúmque Πεισιανακτίῳ, vel (vt Suidas & Varinus scribũt) Πεισιανακτίῳ. Meminit rei de qua hic disseritur, Plinius etiam, libro 35, cap. 9. In pentametro autẽ Melãthii versu, mendosa est vltima vox ἀγοράσιν: sed aliam substituere nõ ausim.

2,264,a. *Apertè ferã t contractas nuptias.*] Autor libelli De viris illustribus ad Atticum, siue is omnino est AEmilius Probus, licuisse Atheniensibus eodẽ patre natas vxores ducere affirmat. Quod tametsi scio quosdam nõ indoctos homines in dubium vocare, ac maximè eo niti argumẽto quòd Cimon ob cõsuetudinem sororis Elpinices præsertim apud ciues culpatus, adeóque etiam testularum iudicio in exiliũ actus perhibeatur: tamen eorũ est veritati posthabẽda autoritas. Nõ enim quòd matrimonio sibi eam iũxisset Cimõ, ideo accusatus fuit: sed quòd ea citra nuptias abusus credebatur. quod facilè ex Plutarchi verbis intelligere quiuis attentior possit. & apud Athenæũ quoque, huius rei mentionẽ l. 13 inducentem, non simpliciter est τῇ ἀδελφῇ συνόντος: sed additum παρανόμως. quod opus non erat si quidem omnino & quouis modo corpus cum sorore miscere apud Athenienses vitio fuisset datum. Et verò idem noster Plutarchus in Themistocle refert, huius filium Archeptolim sororem suam Mnesiptolemam, alia matre Themistocli natam, in matrimonium duxisse: eo scilicet exemplo quo AEmilius Atheniensibus vti permissum scripsit. Quod monere volui ne quis temere secus de bonorum autorum dictis statuat.

2,266,c. *Quare Hermas illos lapideos*] Xyl. vertit, *Vt lapideas Mercurii statuas*. & annotat, Positæ sunt Athenis in porticu Mercuriali. Vide hac de re orationẽ AEschinis in Ctesiphontẽ: vbi & hæc carmina recitantur, etsi paululum aliter quædam legantur. Quod de Menestheo citatur Homeri præconium, est lib. 2 Iliadis, in Classis recensione.

2,269,b. *Curialium eius Laciadarum*] Idem hoc ex Theophrasto refert Cicero lib. 2 De officiis.

Ibidem d. *Fortis Agesileo*] Pentametrum opórtet esse: itaq; sic scriptum ab autore opinor: Νίκας Ἀγησίλεω τῶ Λακεδαιμονίου. In Cratini versibus pro κἀγὼ δὴ ηὔχουν, scribendum est κἀγώ.

2,273,d. *Auri metalla*] τὰ χρυσία. mallẽ χρυσεῖα. sic & supra eodem libro de Thucydide. Iustinianus vtrobiq; Chrysia posuit, quasi nomen proprium esset. notæ autem Thasiorum sunt diuitiæ, & istorum locorum metalla.

2,276,b. *Ilotæ enim*] Xyl. vertit, *Rustici enim*. & annotat, ἰδιῶται. intelligit autem seruos Lacedæmoniorum qui ipsis agros colebant, Heilotas. Loquitur enim de bello quod ii Messeniorum auxilio contra Spartanos, eorum rebus terræ concussione afflictis, susceperunt. cuius etiam in Lycurgi vita est facta mentio.

# IN LVCVLLVM ANNOTATIONES Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

QVæ sequuntur in hoc opere Romanorum vitæ, ad idem propè tẽpus pertinẽt. Nã, Gracchis exceptis, qui Lucullum ac cæteros, & ipsum etiam Syllam, non ita multum ætate antecesserũt, reliqui omnes Syllam statim subsequuti sunt: eóq; ferè ordine quo eorum vitæ hîc exponuntur, claruerunt, bello cùm Mithridatico tum ciuili Pompeiano, & quæ id subsequuta sunt, nobiles. vt non opus habeam de eorum porrò æqualibus aut ætate plura annotare: quum nihil ista tempestate sit in historia Romana celebratius atque notius.

2,280,b. *Postulãdo peculatus accusatore patris sui*] Xyl. vertit, *Patris sui accusatorem de publico crimine accusaret*. annotátque, Ita propè ad verbum est in Græco. Quod autem hîc ἀδικεῖν δημόσια dicitur, Iustinianus peculatũ in specie expressit, idque Amiotus etiã habet. (in Põpeio aliter describitur peculatus. disertè enim dicitur κλοπὴ δημοσίων χρημάτων) ego malui relinquere in genere. nihil enim mihi constat de eo crimine quod à Lucullo intentatum Seruilio sit. Cicero in Acad. quæst. editionis prioris lib. 2, qui Lucullus inscribitur, mentionem huius rei facit: sed neque reum neque crimen nominat. in oratione autem De prouinciis consularibus inimicitias Seruiliorũ & Lucullorum grauissimas commemorat. Quod de accusationibus hîc dicitur, idem libro 1 Officiorum copiosè explicat.

Ibidem c. *Vt thunnus*] Θύννος βολαῖος πέλαγος ὡς διεσπόδει. Iustinian. malè, *Thynnus irretitus*. Senarius est iambicus, nescio vnde depromptus. Thynnus piscis dictus est παρὰ τὸ θύνω, τὸ θύω, ὃ δηλοῖ ὁρμῶ, à dando impetu, & motus vehementia. nam sub ortum canis œstro agitatur. Multa de eo ex Aristotele & aliis habet Athenæus l. 7: haud pauca Eustathius in ξ Iliad. & μ ac χ Odyss. qui quidem etymologiam istã confirmant. βολαῖος non irretitũ, sed incitatum siue impetuosum significat, παρὰ τὸ βολὴ, Iactus, teste eodem Eustathio. σποδεῖν satis notum est vocabulum. Sẽsus itaque est, quemadmodũ thynnus œstro suo incitatus per mare secum impetu fert, idque conturbat: ita consueuisse suis orationibus forum Romanum oratores cæteros concitare. Id quoque quod statim infert, αὐος ἀμουσίᾳ τεθνηκώς, ex aliquo poeta puto esse desumptũ: &, nisi fallor, etiam alibi legitur, sed non succurrit.

2,281,c. *Græcis myoparonibus*] Annotator margini alleuerat, nauigii esse genus: idque ex Suida. quasi verò id nõ vnus quilibet statim potuisset intelligere. Nauigiũ fuisse piraticum, vel ex Cicerone constat, qui in Verrinis ei piratici adiectiuũ adiungit, vt & paulo infrà λῃστρικὸν μυοπάρωνα dicit Plutarchus: & lib. 3 De repub. quem locũ, & aliũ Sallustianũ, citat Nonius Marcellus. Sex. Pompeius ait nauigium esse ex duobus dissimilibus formatum, midio & paroné. Ego quidẽ vtrunq; esse nauigii

genus scio, & vtriusque eo nomine mẽtionem facit Gellius lib. 10, cap. 25: vt verò myoparon inde componatur, vel vox, vel nauigiũ, non intelligo.

2,283,b. *Qui amicum nuper & imperatorẽ interfecerat ex ambitione*] L. Valerium Flaccũ consulem. vide Epit. Liuianam 82, & paulo pòst ipsum Plutarchum.

Ibidem c. *Iterum ad Tenedum appetentẽ se maiore apparatu percipiens Neoptolemum*] Interpres hũc locum peruertit, & aliò transtulit quæ perspicuè ad Neoptolemum pertinẽt. κατιδὼν autem *Negligens* transtulit, negligens ipse. Est enim κατιδεῖν non despicere, sed conspicere aliquid. Lectum, promontorium est, AEolidem à Troade distinguens. Plinius l. 5, c. 30, & alii.

2,286,b. *Ad Propontidem tuendam & Bithyniam protegẽdam mitteretur.* Xyl. vertit, *Ad propugnandum pro Bithynia.*] προπολεμήσων τῆς Βιθυνίας. Iustinianus, *Debellandam Bithyniam.* quòd si legisset προσπολεμήσων, tamen constructio eum poterat monere id verum nõ esse. hoc enim verbum cum datiuo construi, notissimum vel ex nostro autore est: quum hîc patrius sit casus. ne dicam notũ esse ex historia, Bithyniam tunc fuisse Romanorũ. Paulo pòst Fimbrianos milites affectasse imperium dixit: quod neque verba Plutarchi habent, & falsum est. Sed persequi omnia id genus σφάλματα, aut etiã pleraque, nimis est longum.

2,288,a. *Sed quia Marius, quem ex Hispania miserat Sertorius, &c.*] In vita Sertorii à nostro hic M. Marius appellatur. Et quidem etiã alii Marii præter magnum illum ac VII consulatibus insignem Marium, Romanis fuerunt, vt Gratidiani. Sertorius autem quum à partibus Marii steterit, verisimile est eum istos secum inter alios habuisse quos proscripserat Sylla. Apud Appianum in Mithridatico legitur M. Varius.

2,299,c. *Vt addicti seruirent creditoribus.*] Xyl. *Et ad extremũ addictè in seruitutẽ abducebãtur.* annotátq; αὐτοῖς δὲ τέλος μὲν ἦν προσθέτοις γενομένοις δουλεύειν. Iustinianus male, *tributi vice impositum erat illis.* quasi τέλος hic non sit aduerbii loco positum, & postremum significet. Quidam in Lexico Græco ex his verbis (citat enim locum) colligit ac docet, προσθέτος aliquãdo esse id quod Latinis creditor. id & innumera alia, magnam temeritatem imperitiámque hominum arguit. Est autẽ similis dictio ac quũ dicitur, συνέβη αὐτῷ αἰχμαλώτῳ γίνεσθαι, Accidit ei vt in bello caperetur, & similia: quorum ratio in Grammaticis exponitur. προσθέτος autẽ nihil est minus quàm creditor. eum autem significat qui ære alieno obligatus, quum soluendo non sit, creditori addicitur (προστίθεται) & in seruitutem ei deditur. Latini Addictũ appellãt: & ipsa res, Addicere. Quod multis locis Ciceronis & Liuii, præsertim l. 2, & 6, demõstrare possem si res adeò esset obscura. nã & hoc notum est, inde factum vt qui summo studio & opera aliquem colũt, eíve inseruiunt, eos addictos appellemus illi. Hoc modò & simili origine ac ratione autor noster de Antonio Cleopatræ dedito & quasi mancipato dicit, ὁ δὲ οὕτως ἄρα ἦν προσθήκη τῆς γυναικὸς, Antonius verò adeo Cleopatræ addictus erat. Asseclam in Lexico & comitẽ ineptè verterunt.

2,301,a. *Monit preterea ex loco vinendi consueto*] ἐκίνησεν δὲ ἠθῶν. *Ex Ethis amouit*, interpres. ἦθος nõ modò

modò significat morem, ingeniũ, indolem & similia: sed & locum eũ in quo aliquis vitam degere consueuit, sicut Arabes illi in suis tabernaculis, & Scythæ ἀμαξόβιοι in suis plaustris, Troglodytæ in cauernis, &c. Vtrunque παρὰ τὸ ἔθω est, & τὸ ἦθος. Sic & Herodotus libro 1 vsurpauit, Κιμμέριοι δὲ ἠθέων ὑπὸ Σκυθέων τῶν νομάδων ἀναστάντες. & alii. Atque etiam Homerus Iliad. ζ, sub finem, Ῥίμφα ἑ γοῦνα φέρει μετά τ᾽ ἤθεα καὶ νομὸν ἵππων: de equo à præsepi liberato. & Odyss. ξ, de suum stabulis, Τὰς μὲν ἄρα ἔρξαν κατὰ ἤθεα κοιμηθῆναι.

2, 315, b. *Id enim vnum ex prætoribus dixisse aiunt L. Quinctiũ*] Xyl. vertit, *vnũ Tribunorũ plebis*. anno tátque, ἕνα τῶν στρατηγῶν Α. Κόϊντον. crebrò στρατηγὸς ponitur pro eo quod Latinis est Prætor. Sed hoc loco arbitror generalius sumptum ac etiam tribuno plebis attributũ. Nihil enim hæc ad prætores: & quidem non modò hîc dicitur tribunos plebis Romæ Lucullum traduxisse, sed & Sallust. lib. 5 (citatur locus à Prisciano) lege Gabinia ait successorẽ Lucullo missum M' Acilium Glabrionem consulẽ. Fuisse autem tribunum pl. Gabinium, ex Dione & aliis constat. Similis locus est in Cicerone de Roscio, qui gradus equitum in theatro distinxit, M. Ὄθων στρατηγῶν: quum fuisse tribunum plebis ex Liuii lib. 99, & multis aliis sit notissimum autoribus. In Græco hîc quũ essent duo prænomina, ex altero nomen feci: tametsi fateor nihil mihi de L. hoc Quintio constare. Crus. hîc annotat, C. Manlium tribunum plebis hæc fecisse ostendit Epitome Liuii.

2, 321, a. *Horatius*] lib. 1 Epist. ad Numicium. Crus. hic annotat Horatium dicere quinque millia.

2, 323, c. *Vectium quendam*] Βρέττιον. inde Iustinianus Brutium. est autẽ L. Vectius de cuius à P. Clodio ad hoc subornati indicio Cic. sæpe, præsertim in Vatinium, pro Sestio, & lib. 2 ad Atticum: Appianus lib. 2, Dio lib. 38, alii.

2, 324, a. *Cornelius Nepos*] Amatorio veneno periisse Lucullum, testatur etiam Plinius lib. 25, cap. 3.

IN COMPARATIONEM.

2, 324, c. *Plato Orphea*] Locus est valde elegãs lib. De rep. 2, vbi Hesiodi etiam, Homeri, Musæiq; de felicitate defunctorum nugæ refelluntur. Alterum Platonis dictum de exostracismo Cimonis, est in Gorgia.

## IN NICIAM ANNOTAtiones Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

Nicias Atheniensium dux, Alcibiadis æqualis fuit, belloque Peloponesiaco periit in Sicilia.

2, 331, b. *Subinde verò ad Xenarchum delabitur*] Itidem Xylander, & annotat, ὑπορρέων εἰς τὸν Ξέναρχον. Est hoc obscurũ: & omisit proprium nomen Guarinus. Comicũ fuisse Suidas ait, citátq; haud paucos eius versus hinc inde Athenæus. Mimos eum scripsisse Ari-

stot. initio poetices affirmat,sicut & Sophronē & Sotadē: quod cum prioribus non pugnat,quando Sophronis etiam comœdias Athenæus nominat. neque obstat quò minus idem genus scripti vtrunque coluerit. Cæterùm ex his quæ extāt Xenarchi reliquiis, nihil de hoc loco possumus statuere:melius fortassis iudiciū facturi si mimorum aliquid extaret. Videtur autē allusio ista, vocabulorūmq; ad suā etymologiā applicatio, à Xenarcho vsurpata fuisse:quæ vt comœdiam mimumque deceat,tamē seriæ historiæ parum cōueniat. nam Timæus etiā in Νικίου περὶ τὴν νίκην nomine luserat, & ad Hermocratem Hermas detorserat: quod in historia βαίνουσιν, in comœdia non indecorum est, si tempestiuè adhibeatur. quomodo ille Plautin⁹ parasitus Peniculi nomē habere se dicit,à detergēda mēsa.

2,332,a. *In iis verò quæ imitari queat nemo, etiam prorsus insulsi*] Xyl. vertit, *Stupidi autem hominis velle cum iis certare quos imitando assequi non possis*.annotátque,Hæc mirificè peruersione sua obscurauerat Guarinus.Est autē duplex reprehensio Timæi, quòd & de eloquutione cū Philisto cōtēdisset, & ea quæ nulla imitatione poterat æquare,superare instituisset:quorū alterū leuiculū, alterū etiā stultum Plutarchus iudicat.Paulo pòst idē Thucydidē cum Pericle ait reip. profuisse,&c.quum aduersarius eius fuerit, & plerūq; ei repūgnās, in exilium tandem ab eo sit actus.

2,334,c. *Vt ait Thucydides*] libro septimo, vbi de eclipsi solis refert.

2,335,a. *In Marica*] ὁ Μαρικᾶς, Maricas,comœdia fuit Eupolidis, scripta in Hyperbolum Atheniensem:de quo Plutarchus cùm alibi tum hoc etiā ipso libro.autor Scholiast. Aristophanis in Ranis.Barbarum esse vocabulum,& patrium casum μαρικᾶντος habere, Eustathius in ς Iliad.ex Herodiano scribit.alii κίναιδον exponunt. Cæterùm hi versus propter omissas personas, & quia antecedentia ac sequentia desunt,perobscuri sunt:vt æqui esse debeant si quibus non satis fecimus. Distinxi personas literis adiectis.

Ibidem b. *Apud Aristophanem*] In comœdia quæ inscribitur Equites.est autem lapsus memoriæ.non enim Cleonis sunt, sed Agoracriti seu Allantopolæ verba,respondentis Cleoni.Cæterùm quæ paulo pòst Agamemnonis verba citantur ex Euripide, in Iphigenia sunt Aulidēsi. Leguntur verò aliter,aliámque efficiunt ibi sententiam. Est enim ibi non ὄγκον, sed δῆμον:nō Fastum,sed Populum.& pro τῷ δ' ὄχλῳ est τῷ τ' ὄχλῳ, Ac turbæ. sicut & προστάτην γε legitur,non δέ. Omnino autem is locus videtur totus eò referri vt ostēdat Agamemnon suam (vt principis) vitam totam à populo pendere,eiúsque esse voluntati accommodādam:itaque ne flere quidem sibi, & suam calamitatem deplorare permissum,quod cuiuis liceat de vulgo. Nulla ibi ὄγκου vel maiestatis mentio.

2,336,b. *Ex Pachetis casu*]In Græco mendosè Λάχητα pro Πάχητα, quod sequutus est Amiotus. nam Guarinus Lachitam finxit.Loquitur autem de Pachete Epicleri F. qui Lesbum recepit.Vide Thucydidem lib.3,Diodorum l.12,& nostrum ad finem Aristidis.Sed & reliquæ historiæ ex Thucydide præsertim repetēdæ sunt:quas peruertere interpretes, pro Delio Bœotiæ insulam Delum ponendo. De

Pylo Thucyd.lib.4,initio.

2,339,b. *Pharmaca multa*]Versus est de AEgypto, ex Homeri Vlyssex lib. 4.

2,342,b. *Hyperbolus*] Vide suprà in Alcibiade. Fuisse fabrum lucernarúm, & pro ære plumbū supposuisse, vt eo plus appendentes maius precium ferrent, annotauit aliquoties Aristophanis interpres. Idem in Vespis refert ex Andoci de, patrem eius stigmatiam fuisse, & in secturis argentariis populo seruiuisse: & ex Theopōpo, ipsum Hyperbolū sexēnali ostracismo patria eiectum, in Samo mortuum, eiúsque cadauer vtri inclusum in mare abiectum fuisse. Quod autem carcerē & compedes dixi, in Græco est, κύφων, vox dicta παρὰ τὸ κύπτειν. Erat autem lignum quod aliàs κλοιὸς dicitur, cui sontes ita illigabantur vt collū eorum deorsum comprimeretur, neque suspicere possent. Latinorum numella simile nonnihil habuisse videtur.

2,347,c. *Loco quindecim prætorum*]Ita perspicuè in Græco est, & apud Thucydidē lib. 6. Guarinus additos tres prioribus x v falsò dixit: ac de suo addidit, iurare eos coactos, statim finito bello se imperio abdicaturos.

2,348,b. *Epipolas*]Pars est Syracusarum, de qua etiam aliàs. In Græco mendū est, ἐπιςολάς: quod sequutus Guarinus, nescio quid epistolarum de Niciæ aduentu com mētus est. Porrò Thapsus peninsula est propinqua Syracusis, in angusto sita Isthmo, & ad mare porrecta. Thucyd. prope finē lib. sexti, in huius rei descriptione. Cuius haud scio an meminerit Maro l. 3 AEneidos hoc versu, Pātagiæ Megarósque sinus, Thapsúmque iacentem.

2,354,c. *Per otium dixit deliberādum*]Xyl. vertit, *Per otium se deliberaturum*. & annotat, βουλεύσασθαι καθ' ἡσυχίαν. Guarin⁹ Statim, quod est contrarium. Iam quæ de Demosthene inferuntur, omninò sunt eius in versione deprauata. κατατυχεῖν τῇ γνώμῃ facile appa ret esse Sententiam suam cum bono aliquo & commodo eorū quorum interest obtinere: & particula οὐδὲ non ad ἐπαύσατο, verùm ad κατευτυχήσαι pertinet. Legēdum porrò multitudinis numero συνεχώρησαν, & ad ἄλλοις, id est collegas Niciæ reliquos, referendum.

2,361,b. *In rotā deligatus*) Xyl. vertit, *Rotę alligatus est*. & annotat, εἰς τὸν τροχὸν κατεδέθη. Guarinus malè Carcerem. Erat autem rota quæstionibus & tormentis inseruiens, cuius etiam prope finem vitæ Phocionis meminit noster.

## IN CRASSI VITAM ANNOtationes Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

QVòd initiò statim huius vitæ verba hæc Plutarchi, ἀποθανόντος δὲ τοῦ ἑτέρου τῶν ἀδελφῶν, τῇ γυναικὶ συνῴκησε, καὶ ἐκ ταύτης ἔσχε παῖδας, οὐδέν ἧττον καὶ περὶ ταῦτα, &c. nō Guarinus modò, sed & Amiot⁹ ita interpretatur, vt dicāt Crassum fratris sui defuncti vxorē in matrimoniū duxisse, ex eāq; liberos procreasse: nō ita leuis est momēti error, neq; dissimulandus fuit. Nam neq; scripsit hoc Plutarchus, neq; vsitatum hoc Romanis eo tēpore fuit, atq;

haud scio an vnquã quidem. Non nego verbum συνοικεῖν aliquando esse Viuere cum altero in matrimonio, idque tam de viris quàm mulieribus dici, *ehlich beywonen*: nunquam autem id verbum sua prima significatione & simplici accipi, qua est Eadem vti domo & habitatione, pernego. quid enim fiet vocabulo συνοικία, quod inde ductum magni est vsus? Ergo viduã illam Crassus secum in ædibus, eiúsque etiam liberos, retinuit: quod fuit humanitatis. vt autem coniugium contraheret cum ea, & liberos procrearet, nihil attinuit. Et quidem vel articulus in verbis τῶν παίδας ostendit dici de fratris liberis. nam si ipse Crassus liberos sustulisset, scriptur⁹ fuisset Plutarchus, καὶ παῖδας (non τῶν, quod priores demonstrat) ἔσχεν, additurúsque nimirum ἐξ αὐτῆς. Quæ (inquis) ergo laus hic ἀταξίας seu continentiæ siue modestiæ Crasso tribuitur? Equidem ea (nisi fallor) quæ ex obiecto ei deinde stupro Vestalis intelligi possit. quasi diceret Plutarchus, ita eũ habitasse cum fratris vidua, vt mo destiæ & pudicitiæ laudẽ mereretur, quanquam ea ætate quæ ad libidinem propensior habetur: quũ quidem deinde in suspicionẽ incesti cum sacerdote concubitus venerit. Hanc arbitror germanam & minimè insolentem monstrosámve verborum Plutarchi esse sententiam.

2,362,d. *Cupidos dicens ædificandi à semetipsis euerti sine aduersariis*] Xyl. vertit, *Ædificandi studio laborantium vires nullo aduersario à seipsis comminui dicens*. & annotat, ἔλεγε τῶν φιλοικοδόμους αὐτοὺς ὑφ' ἑαυτῶν καταλύεσθαι χωρὶς ἀνταγωνιστῶν. Nõ possum excogitare quid vel fugerit hoc loco vel sequutus sit Guarinus: adeò nullum eorum quæ dixit Plutarchus, vestigium in eius interpretatione reperio. quid enim est hîc de areis quas ille ciuibus suo ipsorum arbitratu concederet, fabrósque suos præberet? Et quidem satis perspicua est sententia Græcorum verborum.

2,364,b. *Hem patientiam, &c.*] Haud scio an is sit Alexander Milesius qui & Polyhistor & Cornelius est dictus, & vixisse Syllanis temporibus fertur apud Suidam. Certè exclamatio hæc magis reprehendentis rigidam Alexandri philosophiæ rationem, quàm laudantis est: quod vel vocabulum τλήμων ostendet. Porro στέγαστρον in genere videatur posse verti Id quod nos ab iniuria aeris tuetur, supernè impositum. Ex libro Varronis De Latina lingua quarto apparet, lecticam id vocabulum significare: quum doceat, Latinorũ segestriam, id est lecticam, inde videri natam. Guarinus pileum: quem alter sequutus est.

2,366,c. *Etenim quum oppidum Vmbriæ Tuder cepisset*] Τουρδητίαν habeo in Græco. Guarinus autem Tudertum verterat: quod, vt non rectum, notauerat quidam in margine. Ego tamen suspicor legisse eum (sicut legit Amiotus) Τουδερτίαν. quo modo Vmbriæ vrbs ea potuit efferri à Plutarcho, quam Plinius (quem ego hîc sequutus sum) Tuder appellat, in Vmbriæ descriptione, lib. 3, cap. 14. Apud Ptolemæum quoque libro Geograph. tertio, in recensione vrbiũ quas Vilumbris (sunt autem quàm Vmbri orientaliores, ὡς εἰπεῖν) attribuit, mendosè legi suspicor Turde, Τοῦρδε, pro Τούδερ. nam longitudo loci & latitudo, adscriptæq; vicinæ vrbes satis ostendunt esse

eundem cum Pliniano. Apud Strabonem libro quinto legitur Τουδερδυλκὶς πόλις καὶ εἰσπίλλον,&c. mendosè quidem,sed tamē vt Tūdis nominari satis pateat·inde Tuders dicitur. Tudertibus & Amerinis arma in cælo cōcurrētia spectata tertio Marii consulatu,Plinius refert capite quinquagesimo septimo libri secundi.

2,369,c. *P.Varinus*] Q.Varius habet Epitome Liuii. Cr.

2,373,b. *Onatius Aurelius*] Sic est in Græco.In Pompeio, vbi idē refertur,C.Aurelius dicitur:quod & malo.

2,374,a. *Cum epistola quæ Catilinæ faceret mentionē*]Xyl.vertit, *Crassum scribit noctu ad se accessisse,& literas attulisse de Catilina,& quæsitas * quo indicio confirmauerit coniurationem.*& annotat,ἐπιστολὴν κομίζοντα περὶ τῷ Κατιλίνα,καὶ ζητουμένην,ὡς ἤδη βεβαιοῦντα.Satis est apertum, locum hunc esse deprauatum.Corradus Plutarcho nimis(opinor) infensus,quum varia conquisiuisset quæ ei obiiceret, etiam ἐξ αὐτοῦ τῷ βιὸς quædā arripuit:inter quæ & hic locus est.Ait enim à seipso Plutarchum dissentire, qui quum in Cicerone hanc epistolam dicat fuisse ἀδέσποτον, hìc eam missam à Catilina testetur. Quomodo hoc Corradus ex his verbis collegerit, non video. nam quod nos mendosè legimus καὶ ζητουμένην, ipse Missam vertit:fortassis arrepta ex mendo cauillandi occasione. Profectò autē περὶ Κατιλίνα non est A Catilina, sed De Catilina:vt ne si πεμφθεῖσαν quidē,aut γραφεῖσαν,aut quid quid tandem tale velit, loco horū verborum reponat,tamen euincere possit hoc Plutarchum hìc dixisse,à Catilina scriptam vel missam epistolam fuisse.Quòd si ergo in ea à Crasso ad Ciceronem allata epistola de Catilinæ consilio & machinationibus aut coniuratione aliquid renūciabatur, (sicut Amiotus vertit in iis literis factam de Catilina mentionem) quid obstabat quo minus & incertus eius esset vt tabellarius, ita etiā autor, & Romæ etiāmnum commorante Catilina, Crasso aliunde afferretur?Ne dicam necessarium hoc nō esse,vt de eadē epistola hic locus intelligatur omnino de qua in Cicerone dicatur: & quidem non vnica ibi,sed plures commemorantur.Locum asterisco signaui: mendum tollet qui librum meliorem habebit.

2,376,a. *Sortientibus Syria Crasso,Pompeio Hispania obuenere*]Quæ sequuntur,ad finem vsque Crassi, iisdem propè omnia syllabis in Parthicum Appiani librum sunt translata.Estque vtile conferre vtrunque codicem. ego diuersitatē lectionis annotare hìc supersedeo.In vertendo sequutus id sum quod videbatur mihi commodum & rectum.quod cur ita sentiam,in Dionem quædam annotans indicaui.Guarinus sententiam hìc inuertit,inuisam omnibus fuisse sortitionem istam scribens.Hìc est οὐκ ἀκούσιος, apud Appianum verò ἀσμένιος.& quidem perspicua est sententia. Quum enim omnino esset Pompeio ab vrbe in alterutrā prouinciam proficiscendum, non ita procul abfuit Hispaniā tenens, etiamsi in eam exisset, quàm si in Syriam iret.Iam quod sequitur,ἐν ἀλλοτρίοις καὶ πολλοῖς ἡσυχίαν ἄγειν,intelligitur facilè,eū vix suam iactantiam & nugas apud alienos nihílque ad se pertinentem hominum turbam repressisse, quam effundebat apud domesticos.Guarinus mirum in modū hìc oscitauit.

2,377,c. *Quũ salutari se ab exercitu imperator sustinuisset*] Imperatoris nomen à militibus nõ nisi magna aliqua & ardua re gesta confectáq;, duci Romanorũ solebat tribui. Quo maior apparuit Crassi pusillanimitas, qui vrbe modò direpta id nomen sibi imponi pateretur: nimirum qui non speraret se magno aliquo facinore id posse consequi. Quæ de imperatoris nomine dixi, ex historia Romana nõ sunt obscura. Cicero ipse rebus in Cilicia gestis imperatorem se dictum à militibus suis, ostendit, ad Cæliũ Rufum ædilẽ curulem designatum scribens. Epistola nona libro secundo famil. & huius moris meminit, explicátque obiter cũ in Philippica XIIII. Appianus libro secundo Bellorũ ciuiliũ, ait quondam omnibus præclarissimis facinoribus id nomẽ obtigisse: suo tempore ei tributum qui de hostibus decem millia strauisset. vbi de Curionis in Africa rebus gestis loquitur. Varro libro quarto De lingua Latina: Prætor (inquit) dictus est qui præiret exercitui: Imperator, ab imperio populi, qui eos qui id attentasset oppressi hostis. Mẽdosa quidem hæc sunt verba: sed ex quibus colligere tamen possimus, eum qui rem imperio populi dignam, & ad eius defensionem incrementúmve facientem confecisset, imperatoris nomen meruisse. Cætera mitto. nam ne hæc quidem fuissem annotaturus, nisi interpretis error huic loco me lucem afferre iussisset: qui neque cõ sequutũ id nomen Crassum dicit, quum quidem ob acceptum id suggilletur: & cætera peruertit.

2,378,a. *Deæ Hieropolitanę*] Iunonis nimirũ Assyriæ. Vide omnino Luciani libellũ περὶ Συρίης θεῶ.

2,379,c. *Iuxta Zeugma*] Vrbs est Euphrati imposita fluuio, nobilis apud geographos & historicos, ob pontem ibi in Euphrate ab Alexandro Magno factum ex catenis. Guarinus fluuium quendam obscurè dixit.

Ibid.d. *Lentes & salem*] φακοὺς καὶ ἅλας. apud Appianum, etiam in codice manuscripto, φακοὺς καὶ μάζας legitur. pro quo libum aut aliquid tale licet intelligi, ex farina & humore seu liquore aliquo compactum. quod genus inferiis adhibitum fuisse notũ est: sicut & hoc, salem omnibus sacrificiis aliàs solitum fuisse vsurpari.

2,380,c. *Ariamnes*] Is est qui apud Appianum Ἄκβαρος legitur: apud Dionẽ lib. 40, Αὔγαρος, Augarus. de quo ibi monui.

2,382,a. *Verùm reuera fluxum quendã marinũ vastæ arenæ exercitũ amplectẽtis*] Xyl. vertit, *Sed immensis solitudinibus horribilibúsque ambitis*. & annotat, θινῶν πινῶν. ñ θὶν (nã paulo inferius est θῖνας ἄμμου κονιορτὸν ἐπαγούσας) aceruum seu cumulum arenæ significat: quo modo θῖνες ὀστέων etiam apud Eustathium leguntur, & apud Lycophronem θῖνες πημάτων. Guarinus AEstũ vertit, nescio cur ita. Appianus non habet θινῶν, (& quidẽ θινῶν erat scribẽdum) sed χεῦμα θινῶν ἐρήμων, solitudinũ horribiliũ. quæ lectio videtur sanè commodior, eámque sum sequutus.

2,384,a. *Ac rectè aduerterũt, &c.*] Persequi omnes interpretis lapsus, breuitatis causa supersedeo. hæc autẽ non inelegãs sentẽtia est ab eo omissa: quia (opinor) quũ eã in Græco deprauatã offẽdisset, difficultate emẽdãdi laborabat. quãquã ea magna nõ est, sensum intuẽtibus. Cæterùm ne coniecturis vllis opus esset, Appiani Parthicus facit, vbi hæc rectè leguntur ita:

βρεττῖς μεμιγμένον, ὥ πως συνεωρακότες, ὅτι τῆς αἰθιοπείας ἀκοὴ παρακτικώτατον, &c.

2,385,b. *Vel quòd in compositam aciē incurrebant.* Xyl. vertit, *Siue quòd in cōpositū agmē incidissent.* & annotat, εἴτε συντάγματι ἐντυχόντες. ita vertendum putaui, vt aliquis saltē esset sensus: quasi diceret, quū essent experti vim Romani equitatus ordinibus suis stipati. Quod Guarin⁹ dixit, *Pre timore ad suos reuersari*, nihil habet Græcis verbis affine. Sanè apud Appianū nō συντάγματι est, sed τέλμασιν, id est Locis palustribus. quod hîc locū mihi habere nō videtur. Mox Megabacchus nominatur: nomen haud scio quàm Latino couueniēs, aut Romano homini. Interpres Cn. Plancum habet, nescio vnde petitum.

2,396,d. *Ischnas*] Legendum ex Appiano Ἴχνας. Dio videtur Ichniam nominare.

2,388,d. *Pernoctantes*] ἐπαυλισάμενοι. Tibias hic nescio quas & cantus Guarinus commentus est, perinde atque obscurū si esset quid sit ἐπαυλίζεσθαι.

2,398,b. *Atqui sapientem habuerunt virum AEsopum, &c.*] Alludit ad festiuissimum AEsopi apologū, qui extat apud Stobæū in hāc sententiam. Vnumquemlibet hominē duas gestare manticas, in pectore alteram, alteram à tergo. in hanc eum sua, in illam aliorum vitia atque peccata reponere. inde fieri vt aliorum crebrò, nostra nūquam aut rarò perspiciamus delicta. Possem de hac re multa in medium proferre, nisi aliud agerem.

# IN EVMENEM ANNOTATIONES Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

EVmenes hic (nam fuerunt & alii hoc nomine) vnus fuit de successoribus Alexādri Magni: vt facilè, cum quibus vixerit, ac quo tempore, appareat. Multa de eius rebus gestis sunt apud Diodorum Siculum lib.18, & vita eius etiam in libello AEmilii Probi (vt fertur) continetur descripta. Cardia autē patria eius, vrbs est Chersonesi Thraciæ nō obscura. Amiotus Sertorii vitam huic præmisit: & quia hæc incipit, Εὐμένη δὲ &c. cogitare possit aliquis, non abs re id factum: ac fortassis ita in aliis Græcis codicibus reperit ordinatas. Ego meum sequutus sum: neq; quicquam est periculi.

2,426,d. *Et legiones ab amicis Alexandri secessere*] Xyl. vertit, *Orto inter regis socios & phalangē dissidio.* & annotat, Ita vocātur ii quos aulicos nos (puto) non incommodè diceremus. Erant autem principes Macedonum, quorum plerosque Arrianus commemorat.

2,430,d. *Ipse equitibus trecentis fortissimis in agema cēturiatis*] ἄγημα vocabulū tale est quod consultius sit relinquere (quod video etiam optimos scriptores fecisse) quàm vel Agmē vel quiduis aliud eius loco ponere. eius generis sunt etiā phalanx, sarissa, & multa alia. ἄγημα (inquit Appianus in Syriaco) εἰσὶν ἱππεῖς ἐπίλεκτοι, καὶ παρ' αὐτὸ ἄγημα λέγονται, equites sunt delecti, atq; inde eis nomen. Vsurpat etiā Liuius hoc nomē, & verò ita vt pateat tā de peditū lecto agmine, quàm de equitatu accipi. Plura huc conferre supersedeo.

2,431, d. *Villarum castellorúmque*]Xyl. vertit, *Villas & arces*. & annotat, ἐπαύλεις καὶ τετραπυργίας. Ad verbum esset Quadriturria. intelliguntur (opinor) castella vel arces. Quod autem paulo antè est, *Nulla habetur perniciei ratio*: prouerbium videtur esse, quo notentur ii qui grauissimo imminente periculo, adeóque exitio, tamen aliis curis vacent, salutis suæ posthabita ratione. Quod tum Alcetas, Polemon & Docimus faciebant, quum quidem damnati à Macedonibus & ingruente Antigono, cum Eumene de imperio contenderent. Rectius Aristides, qui vt suos docuerit ista ambitione hostibus instantibus abstinere, ac salutis potius suæ & victoriæ parandæ curam gerere, in eius vita exposuit Plutarchus.

2,437, a. *Quindis*] Quinda castellũ Ciliciæ fuit, supra Anchialam situm, vbi thesauros suos Macedones habebant, & pecuniam regiam. Strabo lib. 14, infrà in Demetrio, alii.

## IN SERTORIVM ANNOTAtiones Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

2,402, b. *Ille discerptus ab amatoribus*]De Attibus ab apro interfectis nihil planè mihi constat. Attem quidem, cuius apud Dindymenem est fanũ & cultus, Phrygem fabulantur: & eum ab apro fuisse interfectum, ex Hegesianacte poeta refert lib. 7 Pausanias. quanquam fieri facilè, in fabulis præsertim, potuit vt alii Phrygẽ, alii Syrum dicerent. Quod ad Actæonas attinet, eius qui à canibus laceratus traditur, notissima est fabula. Alterius non ita celebris est historia, quã repetere possunt lectores ex Apollonii scholiaste, in lib. 4, paragrapho 75. tametsi enim non disertè amoris ibi fit mẽtio: tamen quæ causa Bacchiadis fuerit Actæonem Melissi F. rapiẽdi, facilè intelligitur. Nescio autẽ mirarine debeam an detestari oscitantiã eorũ qui Dictionaria poetica componunt: adeò sæpe in fraudem imperitos inducunt. Sicut hîc quidã Bacchiadas, hoc est Corinthi principes, à Bacchide vel Bacchio Herculis F. genus trahẽtes, ídque adeò ex hoc ipso interpretis Apollonii loco, Bacchi orgia celebrantes conuertit.

2,406, a. *Omnes castra eodem in loco metatos*] Xyl. vertit, *Eodem in loco castrametatos*. & annotat, ἐν ταὐτῷ. Aretinus, In campo: vt videatur legisse ἐν πεδίῳ, aut aliquid tale. Loquitur autem de seruis Bardiæis, flagitiorum Marianorũ administris.

2,407, c. *Pityusam*] In Balearico mari duæ sunt insulæ Pityusæ, quarum maior Ebyssus, minor Ophiusa dicitur. Ptolem. libro secundo in descriptione Hispaniæ.

2,408, d. *Fabulantur Tingites, &c*] Haud scio an pro Tigenna Tingis sit legendum: apud nullum quidem geographum Tigennam reperio nominatam: & quæ de Antæo dicuntur, faciunt eò vt Tingim legamus. Eadem sunt apud Strab. lib. 17, (nisi quòd ibi crebrò Λίγγις pro Τίγγις legitur) & apud alios. Fabula de Antæo eiusdẽ loci occasione refertur à Lucano lib. 4. Apud Strabonem, quum le-

gatur σκελετὸν (pro quo noster σῶμα posuit) ἐξ πηχῶν, interpres splẽdidè auxit fabulam, & tibiam LX cubitorum vertit. hoc est ἐπιμετρεῖν τῷ μυθικῷ. Quid sit sceletos nemo propè nescit.

2,411,a. *Domitium & Manliū*] Lusium vox est, vt arbitror, vitiosa. vel L. Domitium legerem, vel Domitium & Lucium (Λούκιον nõ Λούσιον) scilicet Manilium: cuius lib. 6, cap. 23, in hac historia memi nit Orosius, & Liuius lib. 90. prius etiam Amioto placuit.

2,413,b. *Erat autem in Hispania mos*] Meminit obliquè huius consuetudinis Dio noster lib. 53 de Sex. quodam scribens Pacuuio, qui Augusto sese deuouisset, cæterisque vt idem facerent suasisset. Non dissimile est quod de Gallorum Sontiatũ solduriis refert lib. 3, Comm. Gall. Cæsar. itaq; & soldurios eos appellaui, consentiente satis commodè rei vocabulo.

2,417,b. *In Tutiensi*] Xyl. vertit, *Ad Duriam*. & annotat, Turiam Aretinus, Græcus liber Τουτίας. Ego Duriam puto legendum, ex epistola Pompeii ad senatum, quæ extat inter tabulas naufragiorum. Sallustii verba sunt: Castra hostiũ apud Sucronem capta, & prælium apud flumen Duriam, & dux hostium C. Herennius cum vrbe Valentia, & exercitus deleti, satis cla ra vobis sunt. Meminit huius Duriensis prælii etiam Cic. prope ini tium orationis pro L. Cornelio Balbo.

2,418, c. *In campis Saguntinis*] Σεγουντίνων. Rectius est apud Appianum περὶ Σαγουντίαν. Vrbem autem in quam recessit Sertorius, Calagurium fuisse, ex Liuii lib. 92 patet.

## IN AGESILAVM ANNOTAtiones Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

2,449,a. Τὸν τοῦ σκέλους πήρωσιν. Potest hoc accipi bifariam, vt vel amisisse alterum pedem, vel eo læso & claudo vsus intelligatur. Posterius ego verius puto, claudúmque fuisse, non altero mutilatum pede. videtúrque ea claudicatio ei ex casu quodam, aut offensione pedis, accidisse: quando Lysander etiam apud Xenophontem lib. 3, & mox apud nostrũ exponens oraculum de claudo rege, vocabulo προσπταίσας vtitur, quod est Offendere ad aliquã rem. Itaque & crebrò χωλὸς & χωλότης vo cabula vsurpantur de eo vitio.

2,450, c. *Ille quum propinquos Agidis maternos*] Suósne an Leotychidæ? Prius ego puto debere intelligi. videtur enim fuisse expressurus si de Leotychidæ propinquis voluisset accipi. Omnino autem ista largitio eò faciebat ne fratris hæreditate auctus, videretur auarus esse, & sordidus, ideóque inuidiam sibi conflaret: quam amoliri vtroque modo potuit. Neque tamen pugno, quum videam ab Amioto posterius receptum.

Ibid. *Id hinc fuit*] Xyl. vertit, *Id tale est*. annotátque, In Græco verba sunt mendosa. Quod non animaduertens, aut non ita vt debuit fieri perspiciens Grynæus, à quo hac Vita melius multo quàm ab aliis pleræque aliæ est conuersa,

ſententiam deprauauit, & confudit. Libellus Xenophōtis in laudē Ageſilai ſcriptus omnium manibus teritur. Græca autē ſic ego legi, & ita ſcripſiſſe Plutarchū procerto habeo: ὥστε ποιεῖν ἃ βούλοιτο, τοιοῦτο ἦν. τῇ ἐφόρων ἦν τότε καὶ τῶν γερόντων, &c. Eſt autem ſingularis laudis, ita regnum gerere vt parēdo voluntati ciuium, ſummā potentiam tibi pares: (quum qui aliis obtemperet, videatur parum, aut certè haud ita multum habere potētiæ) id qua arte ac quibus rationibus conſequutus ſit Ageſilaus, demonſtrandum ſibi proponit Plutarchus.

2,451,c. *Agamēnonē*] Od. l. 8. Cr.

2,452,b. *Delectorum libertinorū ex Ilotis manumiſſorum duo millia*] Xyl. vertit, *Duo millia lectorum tironū*. & annotat, νεοδαμώδεις δισχιλίους. Grynæus, *Diſciplinę Spartanæ milites electi mille*. Duo millia etiam in Comment. rerum Græcarum Xenoph. lib. 3, leguntur: in Ageſilao tria. Athenæ' lib. 6, ex Myronis Meſſeniacis oſtēdit, neodamodes fuiſſe, ſeruorum genus qui belli cauſa manumitterentur: quomodo & ad claſſem liberati ſerui δεσποσιοναῦται appellabantur. & videtur ipſum vocabulum ſignificare eos qui recèns diſciplina militari inſtituti, ac quaſi domiti eſſent. Igitur non indoctè Amiotus heilotas manumiſſos vertit.

2,454,d. *Et turpe ducebat decē millia militum perueniſſe duce Xenophonte ad mare*] Nota eſt hiſtoria, præſertim ex Xenophontis libris De expeditione Cyri, de Græcorum millibus decem. qui quum Cyro ſuppetias tuliſſent, eo occiſo in pugna, variè à regis ducibus tentati, incolumes tamen ex Aſia per medios hoſtes in Europam redierunt. Paucis rem Suidas perſtringit in Ξενοφῶν.

2,455,a. *Et eſſet ſine capite inuentum*] Xyl. vertit, *Quum exta parum læta apparuiſſent*. annotátque, Sic in genere extuli. Ad verbum eſt, Quum caput extis, iocinori nempe, defuiſſet. ἀλόβων φανέντων τῶν ἱερῶν. Grynæus ſacra inuiolata vertit, neſcio quo vel codicis mendo (nullum enim erat in noſtro) vel argumento inductus. λοβὸς quid ſit, notius eſt quàm vt in refellendo ſit opera ponenda. Mox pro τοῖς ἀπόροις legendum ἀπόροις, rectè vidit.

Ibidem b. *Quippe perhibēdum dicebat ille Agamemnonem eſſe*] Sæpè huius facti meminit Plutarchus, vt hîc, in Gryllo, in libello quo oſtendit malitiam ad infelicitatem ſufficere, & alibi. Loquitur autē de AEtha, Agamemnonis equa, quam ei vt à militia immuni eſſe liceret, Echepolus Sicyonius dederat. locus eſt Homeri libro Iliadis penultimo.

2,458,d. *Adæi ſcribæ*] Xyl. vertit, *Idæi ſcribæ*. & annotat, Ἀδαίῳ. Sed ſequutus ſum Xenophōtem, cuius ex quarto libro Rerum Græcarum tota hæc eſt deſumpta narratio.

2,459,e. *In ſanctiſſimis delubris*] Xyl. vertit, *In religioſiſſimis deorum fanis*. & annotat, ἐν τοῖς ἁγιωτάτοις ἱεροῖς. Monſtroſè hunc locum corrupit Grynæus, planum quidem ſatis & expeditum: deſumptum & ipſum ex Ageſilao Xenophontis, qui diſertè ſcribit, eū peregrinantem nunquā in priuata domo vlla, ſemper in tēplo aliquo diuertere ſolitū. Id faciebat eò vt quū in iis quæ palàm agebat, facilè omnē impudicitiæ immodeſtiæq; ſuſpicionē euitaſſet, etiam ea quæ ſemotis arbitris homines agunt, caſta omnia eſſe & ſancta oſtēderet: deo-

rum ſcilicet teſtimonio, quos inſpectores eorum adhibebat. multo id rectius quàm Demetrius Poliorcetes, qui ſuis libidinibus impuráque laſciuia ipſius Mineruæ, caſtiſsimi numinis, (vt tum habebatur) ædem pro hoſpitio ſibi ab Athenienſibus conceſſam polluit.

2,464,a. *Canathra appellat gryphorum & tragelaphorum lignea ſimulacra*] Xenophon ſcribit, Ageſilaũ ſolitũ publico canathro Amyclas vehi. *ἀκουσάτω δὲ* (inquit) *ὡς ἐπὶ πολιτικοῦ κανάθρου κατῄει εἰς Ἀμύκλας.* Varinus hoc vocabulum ita explicat: Canathra, aſtrabe eſt, aut currus crates (*πλέγματα*) habens, quo in põpa vtuntur virgines (nimirum Lacedæmoniæ) quũ in Helenæ templum eunt. Quidam ferunt, ea habere imagines ceruorum aut vulturum, *γυπῶν*. Vulturum etiam Grynæus habet. Mihi gryphum magis placet, cùm ob tragelaphos, id eſt hircoceruos: tum quia in Plutarcho hîc eſt *γρυπῶν*, teſte etiã Amioto. Euſtathius in verſum Iliadis ω, *ὅπλισαν ἡμιόνας, πείρινθα δὲ δῆσαν ἐπ' αὐτῆς:* docet id eſſe *κάνναθρον* apud Xenophontem (ſcribit enim duobus ν) quod Homerus *πείρινθα* dicit: nempe cratem ex ſalignis viminibus contextam, quæ currui imponitur.

2,465,b. *Id abnuit*] Annuiſſe Xenophon ait. Cr.

2,466,a. *Nec defuit ei diuina ira*] Xyl. vertit, *Nemeſis inultum non eſt paſſa*. & annotat, *ἔπαθε δὲ πρᾶγμα νεμεσητόν*. Sed perſpicuitati ſenſus putaui conſulẽdum. Non cohortes autẽ, ſed cohors Lacedæmoniorũ ab Iphicrate eſt cæſa: *μόρα* ſcilicet. quod quid ſit, ipſe in Pelopida explicat Plutarchus. Hiſtoria eſt apud Xenophõtem libro quarto Rerum Græcarum.

2,470,b. *Cleombrotum*] In Græco eſt, *ἐπὶ δὲ τὸν υἱὸν Κλεόμβροτον.* Quod mẽdum ſequutus Grynæus, Ageſilai filium fecit Cleombrotũ. Quod fieri nullo modo potuit, quũ alterius familiæ rex fuerit, & Ageſipolidi in regno ſucceſſerit: quod paulo antè docuit Plutarchus. Fuit autem Cleombrotus Pauſaniæ F. Ageſipolidis frater: quo mortuo ſine liberis, regnum ad eum rediit. Pauſanias lib. 3.

2,472,c. *Quippe habere Xenophõ ait. &c.*] Principio libelli qui Sympoſium inſcribitur.

# IN POMPEIVM ANNOTAtiones Guil. Xylandri & Herm. Cruſerii, interpretum.

2,484,a. *Oculorúmque lenis modulatio*] Xyl. vertit, *Oculorúmque faciles motus*. & annotat, *τῶν περὶ τὰ ὄμματα ῥυθμῶν ὑγρότης*. Miſerrimè omnium hæc Põpeii vita eſt ab interprete tractata: quũ quidẽ mihi vix alia tã ſtudioſè & elegãter videatur à Plutarcho ſcripta. Errores ergo perſequi niſi vbi id vtilitas requiret, ſuperſedebo. *ῥυθμὸς* quid ſit in poetica & muſica, explicare hoc loco nolo. Hîc enim accipio cóncinnos motus oculorum, quum etiam Græci grammatici teſtentur *ῥυθμὸν εἶναι τὴν τῆς κινήσεως τάξιν*. *ὑγρότης* mollitiem (vt ita dicam) facilitatémque motus ſignificat. Nam *ὑγρὸν* eſt etiam molle, flexile. vnde arcũ Theocritus *κέρας ὑγρὸν* dixit. de quo alibi,

& in vita Alexādri, vbi de eadem re dicitur, est τὴν ὑγρότητα τῶν ὀμμάτων.

2,486, c. *A quodam manipuli ductore*] Xyl. vertit, *A quodam centurione*. & annotat, ὑπό τινος τῶν λοχαγῶν. Tudertinus, Qui insidias ipsi locauerat. quasi verò id sit λοχαγός: aut λόχος insidias tantùm, non etiam centuriam, passim significet. vnde ἀρχαιρεσία λοχῖτις in Romana apud Græcos historia, & λοχαγός. Cæterùm aliter mortem Cinnæ Liuius lib. 83, & Appianus describunt.

2,488, c. *Verùm quū ab eo mitteretur in Galliam*] Ad bellum Sertorianum, interpres putauit: itaque pro Κελτικὴν legit Κελτιβηρίαν. Verùm multo pòst, & nequaquam à Sylla (nam is tum mortuus erat) sed L. Philippi suasu in bellum Sertorianum est missus Pompeius: tunc ad Metellum, qui cum Carbone & eius factionis ducibus colluctabatur.

2,490, b. *Abductum aiunt, vt vidit gladium stringi, locum &c.*] Ita etiam Valerius Maximus lib. 9, cap. De cupiditate vitæ. Cicero lib. 9 Epist. famil. ad Papiriū Pætum, Lilybæi occisum disertè tradit: Appianus retractum ex Cossyra insula, in quā ex Sicilia profugerat. Qui paulo pòst Sthenis Himeræus dicitur, eū Plutarchus in Ciuilibus præceptis Sthenonem Mamertinum introducit.

2,491, a. *Memmium*] In Græco Μόμμιον est, Mummium. Ego autem emendare locum volui, & restituo Μέμμιον. Memmium bello Sertoriano in campis Saguntinis occidisse, suprà in vita Sertorii est demonstratum. Cicero pro L. Balbo: Cæterùm, inquit, accusator fatetur hunc in Hispania durissimo bello cū Q. Metello, cum M. Memmio, & in classe & in exercitu fuisse: & vt Pompeius in Hispaniam venerit, Memmiúmque habere quæstorem cœperit, nunquam à Memmio discessisse. Orosius autem lib. 5, cap. 23, de Sertoriano bello loquens ait: Multa inter eos præterea prælia gesta sunt: Memmius quæstor Pompeii, idémque vir sororis eius, occisus est. Amiotus non rectè Memmium fratrem sororis Pompeii dixit.

2,493, b. *Duos populus Maximos dixit, Valerium, quòd dissidentem ab se senatum in concordiam secum reduxisset*] Quum in sacrum montem plebs recessisset, M. Valerius, frater Poplicolæ & M. Valerii qui non multo antè in pugna ad lacum Regillum occubuerat, dicendo sedauit discordias; itaque primus ob eam rem Maximus est appellatus. Hæc ferè Cic. in Bruto. Fuit hoc anno V. C. CCLX. Meminit huius quidem dictaturæ & Liuius lib. 2, & Dionysius lib. 6; sed neque ab eo reconciliatum patribus populum, neque de hoc cognomento quicquam afferunt. De Fabio Maximo etiam initio Fabii facta est mentio. Id autem quod de iure triumphandi sequitur, ex historiæ Romanæ multis locis est notum. vnum qui hoc plurimum facit, de Liuii lib. 31, adscripsisse in præsentia satis est. L. (inquit) Cornelio Lentulo triumphus negatus est. Res triumpho dignas esse censebat senatus: sed exemplum à maioribus non accepisse vt qui neque dictator, neque consul, neque prætor rem gessisset, triumpharet.

2,496, a. *Metello Pio*] In Græco est Ἀππίῳ, insigni menda: quod nō vidit Tudertinus, recepit Amiotus. Idem Tudertin⁹, quod de Sertorio dicitur, ad eum vltimum

reliquias bellorum ciuilium confluxisse, ineptè ad Pompeium detorsit: vt & paulo superius M. Brutum patris similem dixit, quũ Plutarchus affirmet, neque bello, neque morte, eum patris similẽ fuisse: quod & verum est. Nam & in bello Pompeiano partes optimatũ est sequutus, & libertatis ciuibus restituendæ causa Cæsarem necauit, & propter eam bello gesto periit.

2,502,b. *Etiam vias eorũ exscensione facta infestabant* ] τὰς ὁδοὺς ἐλῄζον. Quod dicendi genus videtur insolens. At fortassis scripserat non ὁδοὺς, sed προσόδους: vt fuerit, *Diripiebant ea quæ ex reditibus ad eos adferebantur.* aut scriptum fuit ἐλόχιζον, *Insidiabãtur iis iter facientibus*: quomodo suspicor legisse Amiotũ. Paulo antè Iunonis templum in Lucania ponitur à nobis. est autem in Græco, ἐν Λευκανίᾳ. Ego nullum memini me vsquam legisse nominari Leucaniũ. Existimo autem eum de antiquissimo Iunonis Laciniæ (nam prope Lucaniam est Lacinium) fano intellexisse, de quo cùm multa geographi, tum Lycophron etiam, & eius interpres Zezes.

2,503,c. *Vt supernolitans foro coruus caligine captus atque in turbam fit delapsus* ] τυφλωθῆναι καὶ καταπεσεῖν. Quid sibi velit τυφλωθῆναι, Excæcari, non planè assequor: mẽdum quidẽ puto. Simile exemplum, & disputatio eadem, est suprà in vita T. Flaminini.

2,506,b. *Nam neque Achillem, &c.*] Locus est libro Iliadis 22.

2,513,d. *Quod rectè plerique à Theophane coniiciunt malitiosè confictum*] Astum ineptè vertit (vt & superiora de Alcæo Sardiano, & quæ mox sequuntur, & pleraque) Tudertinus: quũ sit in Græco κακόηθευμα, Malignum scilicet mẽdacium: à quo vitio non fuisse purum Herodotum, Plutarchus noster in libello περὶ Ἡροδότου κακοηθείας demonstrat. Rutilius autem hic est quem Cic. pro Rabirio Posthumo crudelitatem Mithridatis in togatos scribit mutatione vestis effugisse. Plurima eius exilii mentio apud eundem, & alios. Historiam ab eo scriptam cùm alii citant, tum in Mario noster. Quis autem & qualis fuerit Cn. Pompeius Strabo, Magni pater, satis ex historicis bellum Marsicum describentibus manifestum est: & initio huius libri obiter indicatum à Plutarcho.

2,515,d. *Pulcherrima gymnasia*] Xyl. itidem *Gymnasia* vertit. annotátq; ἡβητήρια. Diuersoria vertit interpres, quasi si legisset ἡβήτεια. Siquidem apud Suidam est, & Varinum, ἡβητήριον, τὸ παιδευτήριον· ἡβήτειον, ἢ κατάλυσις. Sanè Athenæus lib. 10, ait propterea fingi Heben in conuiuiis fundere vinum, quòd ἡβητήρια dici soleant τὰ συμπόσια, id est Conuiuia. Addit in vigesimum Iliadis librum Eustathius, aliquãdo ἄσεμνον συναγωγὴν hoc vocabulo designari, id est, parum graue aut seuerum consilium. Verùm horum neutrum puto huc facere. Infrà quidem de amore Iuliæ in Pompeium hæc vox ita repetitur vt appareat ambulationes amœnas vel gymnasia vel aliquid tale fuisse.

2,517,c. *Contra Hermagoram rhetorem*] Monstrosè hæc peruertit Tudertinus, quum quidem sint planissima, & epistolam Posidonii ad Hermagoram nescio qualẽ confinxit. Est autem is Hermagoras cuius multa apud ipsum Ciceronem est in libris Rhetoricis mentio. Atque haud scio Plutar-

chús ne de generali constitutione hic innuat: quam vt diuiserit Hermagoras, exponit priore libro De inuetione Tullius. Quæ sequitur de Nemesi quadã lætis tristia admiscente sententia, nõ est satis dextrè à Tudertino reddita. Elegantissimè eãdem expressit venustissimus poeta Apollonius, versibus quos (sunt enim aureoli) adscripsi de quarto Ἀργοναυτικῶν, Ἀλλὰ γὰρ οὔποτε φῦλα δυηπαθέων ἀνθρώπων Τερπωλῇς ἐπέβημεν ὅλῳ ποδί. σὺν δέ τις αἰεὶ Πικρὴ παρμέμβλωκεν ἐϋφροσύνῃσιν ἀνίη. Et Ouidius septimo Metamorph. hũc (opinor) imitãs, *—vsq; adeò nulla est sincera voluptas: Sollicitúmque aliquid lætis interuenit.*—Itaque non pessimè Chærea ille Terẽtianus, summa potitus voluptate, perfusúsque gaudio, dixisse videri poterat, *Nunc tempus profectò est, quum perpeti me possum interfici, Ne vita aliqua hoc gaudium contaminet ægritudine.* Sed hæc præter institutum.

2,518, a. *In epistolis Ciceronis*] Muciam hanc sororem fuisse Metellorum, Q. Q. Celeris & Nepotis, vxorem Pompeii, patet ex epistola Ciceronis ad Celerẽ, quæ est secunda lib. 5 Famil. Eandem fuisse dimissam à Põpeio, epistola decima libri ad Atticum primi ostendit. Causam autem neque ibi neq; in vlla alia (quæ extet) epist. Cic. exponit: nisi vehementer me fallit memoria. Sanè Suetonius in Iulio Cæsare, vbi de eius lasciuia loquitur, disertè explicat rem: scilicet eam à Cæsare pollutã fuisse.

2,520, a. *Reuera attingebat quadragesimum*] Imò si Velleio (quid ni autem?) credimus, annum tum agebat quadragesimum quintum: siquidem natus est C. Attilio, Q. Seruilio consulibus: (anno V. C. DCIII) triũphauit autẽ M. Pisone & M. Messala cõsulibus, natali suo, prid. Kal. Octob. vt est apud Plin. libri septimi & libri vltimi capite secũdo. vt suspicari aliquis possit pro τεσσαράκοντα legẽdum πεντήκοντα. Sanè pòst etiã, vbi bellum ciuile Pompeianum describitur, annos natus LVIII Pompeius dicitur fuisse: quod cũ Velleiano numero non dissentit.

2,521, d. *Cæpioni pactam*] Σκηπίωνι: quod retinuit interpres. Suetonius in Iulio, cap. 21, Cæsar suam Iuliam Cn. Pompeio collocauit, repudiato priore sponso Seruilio Cæpione. cuius vel præcipua opera paulo antè Bibulum impugnauerat. Sed in vita Cæsaris occasio apparet huius mendæ tollendæ, vbi Σερβιλίῳ Σκηπίωνι legitur, eadem in historia. Scipionẽ autẽ non esse cognomentum Seruiliorum, sed Cæpionem, satis est notum. quanquam ne insolens quidem fuit librariis, in historiæ præsertim Cimbricæ mẽtione, Σκηπίωνα pro Καιπίωνα scribere. Amioto quid in mentem venerit vt Pisonem hunc diceret, non video.

2,525, b. *Prælucentem seruũ interfecit*] Xyl. vertit, *Seruo lucernã præferente occiso.* & annotat, ἀπέκτειναι μέλιτον προηγούμενον λυχνοφόρον. Vitiosé. inde Tudertinus Melitum proprium nomẽ eius luciferi commentus est, imitante idipsum Amioto. Satis autẽ conspicuũ fit, legendũ μὲν τὸν pro μέλιτον, vel ex eo quod sequitur, ἐτρέψατο δέ. Historia eadẽ in Crasso etiã est, & in Catone philosopho.

2,525, c. *Antiã verò & Vatiniũ*] Mendũ est in priore vocabulo. De Vatinio satis constat, vel ex Catonis vita. de altero nihil succurrit. Quod autẽ sequitur, *Crassus omisso cõsulatu*, in Græco est ἀπαλλαγεὶς τῆς ὑπατείας. quæ verba cur sic ver-

terim, historia docet. Consul enim & paludatus est in prouinciã profectus.

2,527,a. *Omnia sunt partita diis*] Venustissimus est locus: quo alludit ad diuisionem mundi, qua eum inter se Iupiter, Neptunus ac Pluto ita erant partiti vt vnicuiq; suũ regnũ satis esset, neque alteri suũ præripere opus haberet. Verba sunt Neptuni, ob imperata Iouis indignantis, apud Homerum lib. 15 Iliadis, ita nota vt oscitantiæ Tudertini meritò succenseatur.

2,534,c. *Reprehendit etiã Cicero*] Lib.7 ad Atticum, ita scribẽs: Per fortunas, quale tibi cõsilium Pompeii videtur? hoc quæro quòd vrbẽ reliquerit. Ego enim ἀπορῶ: tũ nihil absurdius. Vrbem tu relinquas? ergo idem si Galli venerint. Non est, inquit, in parietibus respublica. at in aris & focis. Fecit idem Themistocles. fluctum enim totius barbariæ ferre vna vrbs nõ poterat. at idem Pericles non fecit, annum ferè post quinquagesimum, quum præter mœnia nihil teneret. nostri olim vrbe reliqua capta, arcẽ tamẽ retinuerũt. Οὕτω καὶ τῶν πρόσθεν ἐπευθόμεθα κλέα ἀνδρῶν. Vbi qui ἐπευθόμεθα legerunt, & versum Homeri (extat in deprecatione Phœnicis ad Achillẽ, lib. Iliadis nono) & sensum corruperũt Ciceronis. Vult enim maiorum præclara facta cum hoc Põpeii ignauo & indigno facinore comparare. Quem autem hîc Numeriũ Plutarchus vocat, is videtur esse Cn. Magius, de quo sic Cæsar libro De bello ciuili primo: Reducitur ad Cæsarem reprehensus ex itinere Cn. Magius Cremona præfectus fabrũm Cn. Pompei: quem Cæsar ad eum remittit cum mandatis. &c. Atq; haud scio an etiam ibi Numerius dicatur, Plutarchúsque inde hæc sit mutuatus: & sit legendũ N. Magius, nõ Cneus. Etenim Numerius prænomẽ fuit, & litera N signabatur, vt doctè demostrauit Sigonius in libro De nominibus Romanorum. Ac facilè fieri potuit vt eius rei ignoratione lapsus, CN. (quod est vsitatius prænomẽ) pro N. scripserit librarius. Minuta sunt hæc, inquies. Fateor. est enim hic in tenui labor. sed tamen & multos doctissimos viros accurate hoc in genere emendandi versari video: quorum conatum reprehendere sit temerarium. & nemo est (opinor) verè bonorum librorum studiosus qui non mallet Cæsaris quàm librarii verba legere: & si Cæsari non fuisset ineptum visum addere prænomen, ineptus sit qui illud agnoscere nolit. Denique oraculi vim habet ea sententia, quam nobilem & vsitatam in Paulo noster sic extulit: τῶν τῶν μειζόνων φροντίδων καταλύουσιν οἱ περὶ μικρὰ τῶν ἐν τοῖς μικροῖς ἀκρίβειαν.

2,535,a. *Labienus relicto Cæsare*] In Græco dicitur Λαβεὼν, Labeo. Quod miror à Tudertino retentum. nihil enim T. huius Labieni defectione à Cæsare magis notum est, cum aliunde, tum ex septimo Epistol. ad Atticum libro, & Ciceronis ad Tironem epistola, quæ incipit, Quanto in discrimine.

Ibid.d. *Iubium*] Xyl. habet *Vibullium*. & annotat, Pro Orico interpres Nericum habet: quod est nihil. in Græco hic rectè est Ὤρικον. Sed Ἰόβιον nõ dubitaui in Vibullium vertere, Cæsarem sequutus, ex quo hæc noster descripsit.

2,541,d. *At pater in curru residens*] Homerici sunt versus de Aiace Telamonio, Iliadis lib. 11.

2,546,a. *Pothinus*[Cõment. Cæsaris Photinum habent. Cr.

IN COMPARATIONEM.

2,549,c. *Eurytionidis*] Xyl. vertit *Eurytionis posteris*. & annotat, Hæc peruertit & confudit interpres, leui Græcorum verborum mendo seductus: quod corrigi à quouis posŝit qui animum ad historiam intẽdat. ἠπόρησεν. ἀρυτίωντι δέ. legendum ἠπόρησαν ἀρυτιωνίδαι. & pro παρέχει, παρέχειν vel παραχεῖν. De Eurytionidis dictum est in Lycurgum.

## IN ALEXANDRVM ANNOTATIONES Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

3,7,a. *Atque inde parata fratris voluntate Arymbæ*] Xyl. vertit, *A patruo eius Arybba*. & annotat, Ἀρύββαν. Arymbam vocauit Iustinus libro septimo, & Diodorus Siculus libro decimosexto. Existimo autem pro ἀδελφὸν αὐτῆς, legendum esse ἀδελφὸν τοῦ πατρὸς αὐτῆς. Fuit enim frater Neoptolemi Arybbas, & tutor Olympiadis, fratris filiæ. Quod ad genus Alexandri Magni maternum attinet, id ex Pyrrhi à nobis proposita genealogia, qui & ipse Achillis fuit ἀπόγονος, intelligi facilè poteſt. Quod ad paternum, Caranus rem obscuriorem aliquanto facit. Autor noster haud obscurè innuit, eum Heraclidam, id est de posteritate Herculis fuiſſe: ſed rationem stirpis non explicat. Liuius libro quadragesimoquinto: Vigesimũ (inquit) à Carano, qui primus Macedonibus regnauit, Persea numerabant. Solinus cap. 15 sui Polyhistoris, Macedoni Caranum ducem Peloponnesiacæ multitudinis in tenenda Macedonia ſucceſsiſſe, Caranique successorem Perdiccam, primum regem Macedoniæ nominatum scribit. Propè idem est apud Iustinum libro septimo. Quin & Suidas, quocunque id ex scriptore, annotauit, Caranum exercitum ex Græcia in Macedoniã, magni tum nominis regionem, adduxiſſe, in eáque regnum obtinuiſſe, & ſucceſsionem à ſe reliquiſſe vſq; ad Philippum Alexandri Magni patrem. Apparet autem, ad Temenum Heraclidam genus regum Macedoniæ referendum eſſe: ex Herodoto maximè, qui etsi de Carano nihil refert, Perdiccã tamen hunc disertè Temeni stirpe prognatum ait, vbi quomodo is potitus sit Macedoniæ regno oſtẽdit, ad finem ferè Vraniæ. Temenus porro filius fuit Aristomachi, nepos Cleodemi, (Lycophronis interpres Cleodotũ, Pindari in 7 odam Isthmiorum Cleadam vocat, fortaſsis mendoſè) qui patrem habuit Hyllum, Herculis F. Ex Pausania & Zeza hæc genealogia describi poteſt.

Hercules

Hercules ——— Deianira.

Hyllus ——— Iole Euryti filia.

Peridea ——— Cleodemus. Lichas. Ceyx.

Temenus.

Iam successionem regum Macedoniæ hîc proponere supersedeo: quæ extat apud Herodotum, Solinum, Iustinum, & Diodorum Siculum ac chronographos. Vltimā partem apposuisse sufficit, & in gratiam philologi lectoris obiter explicare.

Amyntas — Neoptolemus

Alex. Ptolem. Alorites. Perdicca — Philipp. ——— Olymp. — Alexand.

Philoxenus. — Alexander Magnus. Cleopatra.

Iustinus Ptolemæum inter fillos Amyntæ non retulit: idémque etiam aliam eius ex Sygæa (Gygæa puto) prolem refert. Nos Diodorum sequimur: qui libro 15, ad primum annum Olympiadis C I I I à Ptolemæo Alorita occisum fratrem Alexandrum scribit. & meminit in Pelopida Plutarchus, filium quoque illius Philoxenum referens. Ptolemæum interfecit Perdicca, eique successit. Vide porrò initium lib. 16. Cleopatra Alexandri Magni soror, nupta est Alexādro auunculo suo: vt scribit eodem libro Diodorus, & lib. 9 Iustinus: meminítque Liuius lib. 8. Habuit autem Philippus præter Olympiadem, alias quoque multas vxores, quas referre non est operæpretium: legatur Athenæi δειπνοσοφιστῶν lib. 13 initiū. Ex Larissæa quidem saltatrice, nomine Philinna, Aridæum filium (duobus ρρ Ἀῤῥιδαῖος scribitur apud Diodorum & Plutarchum fine Alexandri) sustulit. qui quū Macedoniæ rex secūdum Alexandri mortem per sex annos fuisset, iussu Olympiadis vnà cum vxore Eurydica est necatus à Macedonibus: Iustinus lib. 14, alii. Duxit etiam Cleopatram Hippostrati filiā & sororis Attali, vt ex Athenæo & Diodoro patet: quanquam soror Attali apud Iustinum lib. 9, dicatur, codicū opinor mēdo. His nuptiis maximè offensam Olympiadem & filium eius constat. Alexander quoque vxores habuit plures: vt Barsinam Artabazi filiam, ex qua natus Hercules, quem Casander necauit, annos natum X I I I I. vt Statiram Darii filiam, quam fraude Roxa-

nes necatam Plutar. ostendit: vt Roxanem Oxyartæ Bactrianorũ regis filiam, quæ pôst vnà cum filio est à Casandro necata. ex Curtio, Diodoro, Iustino.

3,7,c. *Istius regionis fœminas*] αἱ τῆσδε γυναῖκες. Quæ? Molossiæne, vnde fuit Olympias, an Macedoniæ? Posterius probo, ob vicinitatem etiam cum Thracia. Cæterum κλώδωνας, Clodonas, legendum hîc esse, non (vt est in Guarini versione, forte tamen librarii errore) Dodonas, testantur Græci etiam lexicographi, Hesychius & Varinus: apparétque dictas παρὰ τὸ κλάζειν, vnde est etiã κλαγμός, & similia. Edonides autem dicuntur Thressæ seu Thraciæ mulieres, vt Edoni Thraces, apud Latinos poetas præsertim & Græcos. Theocritus Θαλυσίοις,

Εἴης δ' Ἠδωνῶν μὲν ἐν οὔρεσι.--Virgil. 12 AEneid. Ac velut Edoni Boreæ quũ spiritus alto Insonat AEgæo. ---Vide Pliniũ l.4,c. 11. παρεκδύεσθαι autem Prorepere est, non Illabi, vt malè Guarinus vertit, & sic in Græco Lexico (in quod multa sunt talia ex malis Græcorum autorũ interpretationibus consarcinata: vt opus nimirum cresceret, etiam inuita Minerua) exponitur. quod vel præpositio ἐκ cum genitiuo addita eos monuisset. Iam λίκνον, hoc saltem loco, ineptè Ventilabrum vertitur. Quid enim Bacchis cum ventilabro? Cunas quidem hoc vocabulo significari, non lexica modò indicant: sed & Homerus sic vsus perspicuè est in hymno in Mercuriũ, Ὃς καὶ ἐπειδὴ μητρὸς ἀπ' ἀθανάτων θόρε γυίων, Οὐκέτι δηρὸν ἔκειτο μένων ἱερῷ ἐνὶ λίκνῳ. Et nescio ex quo scriptore Zezes in Lycophronem de Tithono, γηράσαντος τοσοῦτον ὡς καὶ ἐν ταλάρῳ καὶ λίκνῳ αὐτὸν περιστρεφόμενον δίκην βρεφυλλίου καθεύδειν. Et quia inde λικνίτης dicebatur Bacchus, vt testantur λεξικογράφοι Græci: probabile est de cunis mentionem fieri. Id si cui minus probabitur, calathum vel cistam in quibus res ad sacrificia pertinentes gestarentur, interpretetur. Nam & Theocritus in Bacchis ita: Ἱερὰ δ' ἐκ κίστας πεποναμένα χερσὶν ἑλοῖσαι. Intra etiam in Phocione μυστικαὶ κοῖται nominantur.

3,8,a. *Die sexto*] ἕκτῃ ἱσταμένου. Quod longè est ab Idibus diuersum. De mensium Græcorum nominibus & ratione dicam aliquid in fine huius lucubrationis. Hegesiæ frigidũ epiphonema, planè in glaciem apud Guarinum congelauit.

3,8,c. *Oculorúmque leuitatem*] Xyl. vertit, *Oculorum volubilitatem*. & annotat, τὸ ὑγρόν. Imperitè idem humectantes oculos dixit. Hoc autem vocabuli suprà in Põpeio exposuimus.

3,9,a. *Exhaurit enim sol humorem in summis corporibus existentem*] Hoc enim est ἐπιπολάζειν, nõ rebus abundare extrinsecis. Hinc apud Aristotelem δόξαι ἐπιπολάζουσαι, quæ omnium maximè celebres, & omnium in ore sint. & Thucydides lib 5, Epipolas partẽ Syracusarum editissimam dictam scribit διὰ τὸ ἐπιπολῆς τῶν ἄλλων εἶναι: vt alibi etiam monui.

3,9,b. *Rhapsodorum*] Sic & Xyl. vertit *Rhapsodorum*. annotátque, ῥαψῳδῶν. Græcum hîc relinquere quam supponere Latinum haud satis aptum malui. Erant autem rhapsodi, qui aliena carmina poetarum in solennibus conuentibus recitarẽt, poetarúmq; essent quasi interpretes. Multa de horum officio disputantur apud Platonem

ῶνι, hoc est in dialogo de Iliade. Dicti sunt vel παρὰ τὸ ῥάπτειν καὶ ᾠδὴν, quòd carmina consuta quasi ex partibus diuersis, & in vnũ corpus cõserta, (qualia fuisse Homerica, alibi ostendimus) recitarent: vel quòd virgã, ῥάβδον, manu tenentes cantarent. Qua de re dixi ad initium Vlysseæ. Vide omnino scholiastem Pindari in β' νεμέων, & ἰσθμίων δ': & Eustathium initio commentariorum in primum librum Iliadis.

3,11,b. *Nymphæum prope Miezam*] Νυμφαῖον sacrum lucum & dedicatũ Nymphis intelligi posse puto, si nõ sit proprium loci nomen. Miezam quidam per y scribunt: sed Μί[ε]ζαν & Stephanus habet, & Plin.lib.4, c.10.

3,11,d. *Reuera enim commentarios ille qui dicitur τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ*] Epistolæ hæ extant etiam apud Gellium, lib.20, cap.4. Quid inter ἀκροαματικὰ, siue ἐποπτικὰ, & ἐγκύκλια, quæ & ἐξωτερικὰ dicuntur, intersit, hoc ex loco apparet: neque fusius hic explicandum duxi. Præsens locus est obscurus. Si μετὰ non legitur pro περὶ, (quod sanè haud scio: physica quidem ipsa ἀκροάσεων titulũ habere, ea inquam quæ maximè sunt φυσικὰ, nemo ignorat) de prima philosophia intelligi debebunt ij libri acroamatici, quos editos Alexander queritur. Primã enim philosophiam vocat Aristoteles eam quam idem τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ & theologiam cum Platone, qui & διαλεκτικὴν eam appellat. Inde fit vt physicen quam speciatim dicimus, idem Aristoteles δευτέραν nominet σοφίαν, τῆς μετὰ τὰ φυσικὰ libris γ & δ. Quæ tamen vtrauis nihilne ad μάθησιν & διδασκαλίαν conducat, neque facilè dixerim, neque facile crediderim.

Quòd si περὶ Præter hîc significaret, vtique cum datiuo construendum erat. Iam illud ὑπόδειγμα ad πεπαιδευμένοις an ad γέγραπται pertineat, vel πεπαιδευμένοις pro ὑπὸ τῶν πεπαιδευμένων, an dandi & referendi casu positum sit, ambigi haud iniuria potest. Itaque non liquet. Ipse vestigia Græcorum verborum sum sequutus. Interpretes etiam ad primã philosophiam retulerunt. Sed profectò neque eam puto fuisse Alexandro ab Aristotele traditam: & si hoc vellet, scripturum fuisse Plutarchum, ἀληθῶς ἐστὶν ἡ τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ &c. quum legatur ἡ μετὰ, &c. Ergo amplius. Quod de medicina sequitur, ita extulit Guarinus quasi Aristoteli autor studii in medicã rem conferendi fuerit Alexander. Græca, & ipsa ratio, diuersum ostendunt.

3,12,a. *Quam ex narthecio vocant*] id est, quem Iliadis librum à narthecio, in quo reconderetur, Iliadem Narthecianam appellarunt. Sic enim intelligẽdum hunc locum iudico. Guarinus hic quoque fecit quod sæpe solebant huius autoris interpretes. etenim totum hoc, ἣν ἐκ νάρθηκος καλοῦσιν, omisit, quum fortè non intelligeret. Amiotus minimè locum intellexit: itaque scripsit, etiamnũ eam Correctam vocari. Narthecium esse vas vnguentarium, vel medicamentarium, apparet ex Ciceronis libro De finibus secundo. Iam doloris (inquit) medicamenta illa Epicurea tanquam de narthecio promant, &c. vti ante nos etiã est ab aliis obseruatum. Ego νάρθηκα primitiuum, idem quod deductum inde ναρθήκιον facere posse censeo: quod confirmari Lexicographorum etiam autoritate video, quibus νάρθηκα idem significare

quod *ναρθήκιον* placet, & *σκεῦος τὶ ἰατρικὸν* esse. Enimuerò cognomētum hoc ab illo nobili Darii vnguentorum scrinio factum Iliadi, quam secum asſiduè haberet Alexander, puto, vt Nartheciaua diceretur. Est enim cùm alibi tum apud Plinium historia, quam ipsius verbis de libri septimi capite vigesimonono huc adscripsi, vt hūc locum penitus explicem. Itaq; Alexāder (inquit) Magnus, inter spolia Darii Persarum regis, vnguentorum scrinio capto, quod erat auro gemmisque & margaritis pretiosum, varios eius vsus amicis demonstrantibus: Imò Hercule, inquit, librorum Homeri custodiæ detur. vt pretiosissimum humani animi opus quàm maximè diuiti opere seruaretur. Hinc & quid *νάρθηξ* sit, vel *ναρθήκιον*, intelligi, & Plutarchi sententiam apparere puto.

3,12,d. *Medaros rebellantes subegit*] Xyl. vertit, *Medos qui defecerant*. & annotat, *Μεδάρους* Eg.. Medaros nullos noui: qui nouerit, prodat. Medos noui gentem Thracicam, Macedoniæ vicinam: Liuiúsque etiam libro vigesimosexto incursionem eos facere in Macedoniam solitos ait, quoties externo bello rex Macedoniæ detineretur. Ergo Medos scripsi. Quòd enim Megarenses Guarinus substituit, non sanauit sed auxit malum.

3,13,c. *Pexodorus*] Πηξόδωρος. Pòst per ἰῶτα: malè Arrianus libro primo *ἀναβ. Ἀλεξ.* Πιξώδαρον vocat: apud Diodorum Πηξόδωρος legitur decimosexto.

3,14,b. *Eum simul qui tradidit, &c.*] Versus ex Medea Euripidis. Verba ipsius sunt de Iasone, soceróque & vxore nouis eius Creonte & Glauca, necandis deliberantis. Per *δόντα*, Dantem, ibi socer Creon: hic (opinor) nuptiarum & stupri Pausaniæ illati autor Attalus, tum nouus maritus Philippus & Cleopatra vxor recens Olympiadi superinducta intelliguntur.

3,18,d. *At Rosace*] Rosacere est apud Curtium. Cr.

3,20,b. *Rarò ante tenuia & resonantia sub abruptis & confragosis rupibus aperiret saxa*] Hunc locum malè tractauit interpres, ac glaciem nulla cogēte necessitate, satis frigidè apposuit: quasi verò *πάγος* nihil præter glaciem significaret. Mitto Eurip. & Sophoclis testimonia quibus planum facere possim, *πάγον*, saxum, scopulum, cautémve significare. Sanè Homeri versus notus est lib. 5 Vlysseæ: *Ἀλλ' ἀκταὶ προβλῆτες ἔσαν, σπιλάδες τε πάγοι τε*. Eustath. *πάγοι, πετρώδεις ἐξοχαὶ, ἢ εἰς ὕψος ἀνέχουσαι πέτραι*. & apud AEschylum Vulcanus de rupe cui erat affixurus Prometheum, *Προσπασσαλεύσω*, inquit, *τῷδ' ἀπανθρώπῳ πάγῳ*. Quin & in Catonis Censorii vita sic vsurpauit noster, de Thermopylarum ab eo captis angustiis scribens. Cæterùm hanc eandem historiam explicatam legere potes apud Strabonem libro decimo quarto. Versus Menandri, atque etiam nostri, sunt trochaici quadrati.

3,21,b. *Quum regis esset asgandes*] Legendum fortaſsis ascandes, id est nuncius: vel ascantes, id est cubicularius. Cr. Xylander autem annotat, Hoc quid sit non facilè dixerim: neque alibi me id vocabulum recordor reperisse. Iustinus Dariū antè Codomannum appellatum, & ob virtutem prius Armeniis præfectum, inde Ocho mortuo à populo regem factum, Dariíque nomen accepisse, scribit lib. 10. Diodorus præterea lib 17,

regio eum genere natum fuiſſe docet. Sed inde nihil certi colligo. ἀσκάντης quidem lecticam aut grabbatum ſignificat Græcis, vt eſt apud Euſtathium, Suidam, & alios: vt conicere fortaſſis liceat, fuiſſe eum aliquando vnum de regiis cubiculariis, ἕνα τῶν κατευναστῶν.

3,29,a. *Exinde vndoſo* ] Verſus ſunt de lib. 4 Vlyſſeæ Homericæ. Malè autem Guarinus hanc Phari deſcriptionem extulit. Quod tænia hic dicitur, id explicant aliorum verba, qui pro his ὑψηλὸν περίμηκες habent. qui plura volunt, præter geographos Cæſarem ad finem libri tertii De bello ciuili conſulant.

3,31,b. *Nō talis diis ſanguis*. &c.] Xyl. vertit, *Non ichor*. & annotat, Vertere in linguā Latinā hoc verbi hoc loco nō potui, niſi ſi ſaniem voluiſſem dicere, quod eſt cruore vel ſanguine aliquid deterius, eóque minus deorum naturæ conuenit. nam quæ aliàs ἰχὼρ ſignificat, huc non pertinent. Verſus eſt apud Homerum lib. 5 Iliadis, de Venere à Diomede ſauciata.

3,34,c. *Apollini immolans*] τῷ Φοίβῳ. Annotatū eſt hic ab Amioto, in diuerſis exemplaribus φόβῳ, metui ſcilicet ſeu pauori, pro φοίβῳ, quod eſt Apollinis epitheton, ac nonnunquam pro ſubſtantiuo ipſo ponitur, legi. Quæ ipſa fortaſſis lectio, quando arcanorum ſacrorum mentio fit, locum habere poſſet. Sed mutare hanc planiorem nolui.

3,36,a. *Balteum geſtabat* ] Xyl. *Sagum geſtabat*. & annotat, ἐπιπόρπημα, à fibula nomen habet. apparet autem ex Euſtathio in μ Iliadis, ἐπιπόρπημα eſſe idem quod ἐφαπτίδα. & ἐφαπτίδα ipſe in librū π eiuſdem operis, idem eſſe eum chlamyde docet: quod & alii lexicographi ſequuntur. Balteum vertit Guarinꝰ: ſed non ſatis video quo autore: cincturam Amiotus.

3,39,a. *An potius flammę fomes liquor hic &c.*] ἔστι μᾶλλον ὑπέκκαυμα. vnde apparet, plures de origine naphthæ recitatas à Plutarcho opiniones, quarum hæc fortaſſis vltima fuit, reliquis amiſſis. Sanè Amiotus annotauit, in Græco hic aliquot lineas deeſſe. De naphtha vide etiam Strabonem libro decimoſexto.

3,45, b. *Exathrem*] Oxathrem habet Curtius. Cr.

3,48,d. *Balino*] Cebalinum nominat Curtius. Cr.

3, 51, b. *In Græcia mores mali ſunt*]Xyl. vertit, *Quàm comparatū iniquè id eſt in Græcia*. & annotat, Miror tam tritū locum à Guarino non animaduerſum intellectúmve fuiſſe. Sunt autē apud Euripidem aliquot verſus, quorū initium tantùm, vt notorum, poſuit Plutarchus. Iis Peleus queritur, rei à Græcis apud Troiam geſtæ Atridas gloriam ſibi vindicare, quum ipſorum minima fuiſſet opera. Ita hîc Clitus obiiciebat Alexandro, eum ſuperbire gloria rerum à Macedonibus geſtarum.

3,60, c. *Limnæus* ] Timæus eſt apud Curtium. Cr.

3,67,b. *Deſiderauit præter omnes artifices Staſicratem* ] Dinocratem hunc nominat Vitruuius in præfatione libri ſecundi.

3,69, b. *Non exhauſit Herculis ſcyphum* ] Hunc locum peruertit Guarinus. Non enim hoc ait Plutarchus, Alexandrum, priuſquam illud poculū ebibiſſet, morbo fuiſſe correptum: ſed totam illam de Herculeo ſcypho & ſubito dolore narrationē, ait eſſe fabulam. Meminerūt huiꝰ ſcyphi & Diodorus &

Curtius. Annotatum in margine à quodam est, consulendam explicationē prouerbii, Seruatori tertium. Verùm id ad rem nihil facit omnino. Sunt qui poculo nomen Herculis fuisse putant. Ego non ab re puto dici posse, in honorem Herculis id poculum ebibisse Alexandrum, vt autoris suæ stirpis. Notum est enim, inter pocula moris fuisse etiam diis libare: inuitantésque se liberalius, arbitror eò libationē istam transtulisse. Horatius ad Augustum suum, --& alteris Te mensis adhibet deum. Te multa prece, te prosequitur mero Diffuso pateris: & laribus tuum Miscet numen, vti Græcia Castoris Et magni memor Herculis. Quod idem Mario ob Cimbricam victoriam obtigisse, scribit Plutarchus. τετράδα non esse XIII, sed vltimum mensis diē, satis est notum.

## IN CAESAREM ANNOTAtiones Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

3,71,b. *Cinnæ, qui Romæ rerum potitus est*] Κίννα τοῦ μοναρχήσαντος. Vsus est hoc vocabulo Plutarchus hic aliquantulum impropriè. Μονάρχης seu μόναρχος pro tyranno, & μοναρχεῖν pro tyrannidē gerere, apud Græcos sæpe dicuntur: vt apud Lucianum Phalaride secundo, ὦ καὶ δῆλον ὅτι προσίεται τὴν τοῦ μονάρχου δωρεὰν. Et Polybius sic libro secundo sæpe est loquutus, vt Βούριοι τὸν τύραννον ἀποκτείναντες. mox, ἀπολωλότα τὸν ἐν Βούρᾳ μόναρχον. Nimirum id vocabuli tum eum significat qui solus rerum potitur, idque iniustè. L. autem Cornelius Cinna non solus quidem, sed cum collegis quatuor consulatum gessit: quia tamen ii ferè ab ipso pendebant, & nutu Cinnæ agebantur omnia, isque Marianam tyrannidem resuscitauerat, nō malè dicitur hic μοναρχῆσαι. Dictatorē quidem fuisse (quod interpres habet) rectum non est.

3,72, c. *Atque ad Iunium qui cum imperio Asiam obtinebat*] Ἰούγκον, Iulium interpres. Ego Iuniū posui, non tam quòd hoc Græcis literis est affinius, quàm Velleium sequutus Paterculum: apud quem, vbi hæc historia describitur, proconsul Asiæ nominatur Iunius, qui tum in Bithynia ageret.

3,72,d. *Apollonium Molonis*] M. Tullius in Bruto, Suetonius, & alii, Apollonium Molonē vocant. Quod autem sequitur de dimissa ab eo prima eloquentiæ gloria, verti coniecturam sequutus. locus enim est mendosus: & fortasis sanari posit si ita legatur, τὸ δὲ πρωτεῖον, οὐχ ὅπως τῇ δυνάμει καὶ τοῖς ὅπλοις πρῶτος εἴη μᾶλλον, ὑφεῖναι· ἀλλ᾽ ἀσχοληθεὶς πρὸς ὅσα, &c. Nihil tamen contendo.

3,73,d. *Vno digito caput scabentem*] Hæc in molles dicūtur, à quibus non facilè timēdum Reip. videtur. Tale est etiam de malè cincto Cæsare Syllæ iudicium. Caput autem scabere vno digito, de mollibus dici, vel ex Clodianis in Pompeium contumeliis, ex nostro autore constat. Sic & Lucianus de molli & effœminato dicit, ἄκρῳ τῷ δακτύλῳ τὴν κεφαλὴν κνώμενον.

ὗντ διδάον.

3,74,a. *In honorem quidem magnarum natu fœminarum orationes funebres habere, id moris erat Romani* ] Liuius lib.5, Matronis pro auro ad liberandam à Gallis Romam collato gratiæ actæ, honósque additus vt earum sicut virorum, post mortem solennis esset laudatio.

3,74,b. *Cum vno prætore Vetere*] Βάρτωρι. quod mendosum esse, facilè quiuis viderit. Angelus Tuberonem supposuit. id est augere malum, & historiam deprauare. Sequutus eum est tamen Amiotus. Cæsarẽ sub Antistio Vetere quæstorem fuisse testatur Velleius Paterculus. Ergo legendum Βέτερι. Quod autem de tertia Cæsaris vxore sequitur, ea filia fuit Q. Pompeii, Syllæ neptis. Primam autor non cõmemorauit, quæ fuit Cossutia, de equestri ordine: qua dimissa Corneliam, Cinnæ filiam, duxit. Suetonius.

3,77,a. *Vicies & ducenties*] Xyl. vertit, *Trecenties sestertiûm.* & annotat, Interpretis erratum hic refellere mitto. summam autem ego hanc posui vt intelligeretur mendum hìc esse. quod enim legitur πεντακόσιαι πεντήκοντα, legendum est ἑπτακόσιαι πεντήκοντα. Nã hæc summa per talentorum numerum in vita Catonis expressa est ita, χιλίων διακοσίων καὶ πεντήκοντα ταλάντων, M C C L talentis. quæ si in myriades drachmarũ conuertas, erunt D C C L myriades. etenim talenti ea est ad myriadem proportio quæ ternarii ad quinarium: hoc est quinque talenta æquantur tribus myriadibus drachmarum. Item quinquaginta talenta efficiunt duodecies sestertiûm. qua de re hîc non est disserendi locus.

3,83,d. *At illo in bello, &c.* Quæ ante hæc verba interpres habet de equo Cæsaris, in meo Græco non sunt. itaque omisi. Omisit etiam Amiotus. Inuenies autem apud Plinium lib.8, cap.42. & apud Tranquillum.

3, 88, a. *Quadringenta millia* ] Videtur ex Cæsare hoc habere, qui ostendit maximam Germanorum partẽ occisam: quum quidem numerus eorum fuisset C C C C X X X millium: vt X X X modò millia euasisse videantur. Angelus X L, non C D millia vertit: vt appareat eum pro μυριάδες legisse χιλιάδες. Et quidem probabilior videtur hic numerus.

3,90, b. *Ad Ararim amnem*] Ἀδρίαν. interpres Ararim: quòd & mihi probatur. præsertim quum ne Galliam quidem omnem Vercingetorigis concusserit rebellio, nedum vsque ad sinum Adriaticum iste motus peruaserit.

3,94,a. *Consulibus inuitis*] διὰ τῶν ὑπάτων. Sequutus est hoc Angelus, & hunc Gallicus interpres. quum quidem nullus ita possit esse sensus. Ex historia quæ est apud Dionem initio libri 41, apud Ciceronem multis locis, & apud omnes ferè huius belli scriptores, constat βίᾳ, non διὰ, legendum.

3,98,d. *Succumbit etiam ictibus ferrum*] σίδηρος ἐξήγαμε. Angelus legisse videtur ὁ μηρὸς, femur. Sed nullus erit sensus. Indicant autem, suis corporibus à Cæsare non parci: quum quidem ferrum etiam & arma assiduo vsu consumantur, lædantur, & nedum corpora hominum eos illæsa labores substineant. Paulo antè est Νάρικον, pro Νώρικον: notius mendum quàm vt imponere cuiquam debuerit. & πολεμίων pro πολίμων.

3,100,a. *Radicē quandam*] Charā eam Cæsar lib. 3 Bell. ciuil. nominat. De lapsana seu cyma syluestri idem refert Plinius cap. 8, lib. 19.

3,101,d. *Afranius*] Malè in Græco legitur, Ἀφράνιον δέ: vt Fauonius interrogasse Afranium videatur, quomodo & interpres accepit. quod falsum esse vel ex Pompeii vita deprehenditur. Etenim Afranius ægrè ferebat quòd pecunia potius corruptus quàm Cæsaris vi & peritia superatus, tradito ei exercitu ex Hispania fugisse crederetur: itaque tum pugnam detrectantem Pompeium arguebat, calumniámque inimicis reponebat. quasi si diceret: si non armis sed pecunia vincere Cæsarem, eúmque ab eo, non capi prouincias creditis: quî fit quòd non cum eo confligitis? cur nō experimini eum vt ego sum expertus?

3,102,c. *Cornificium*] Κορφίνιον, nihil planè mihi constat. Legi tamen Cornificium, de quo etiam pòst.

3,108,a. *Fuit præterea eius suggillatio Dolabellæ furor*] De Amintio hoc nihil habeo. Cornificium iterum posui, qui est in Græco Κορφίνιος: neque tamen magnopere asseuero. L. quendam Cornificium à Cæsaris partibus stetisse bello Pōpeiano, & ab eo fuisse in honore habitum, ex oratione Cic. pro Q. Ligario intelligitur. An de eo hîc dicatur, haud scio. Id quidem ausus sum vt Cornificium (vel quisquis tandem fuit) ante Antonium ponerem. est enim locus interpolatus. Quæ de Pompeii domo dicuntur, satis constat ad Antonium pertinere, cùm ex aliis, & vita Antonii, tum ex Philippica Ciceronis secunda.

## IN PHOCIONEM ANNOTAtiones Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

PHocionem Alexandri Magni æqualem fuisse, eíq; non multum temporis superuixisse, constat. Hæc quoque vita ita fuit à Lapo cōuersa vt ineptæ paraphraseœs potius quàm bonæ versionis nomen mereretur.

3,125,d. *Neque enim audiendus Sophocles est*] In Antigona: verba Ismeniæ ad Creontem.

3,126,b. *Quamobrem dulce poesa μυθοφνὲς vocavit*] Sæpe est vocabulum hoc apud Homerum. vt Odyss. ε, ὄψα dicuntur μυθοφνέα, & alibi δῶρα, & χάρις μυθοφνός. & Odyss. ζ, μυθεσιν ἐδωδήν. μῦθος enim fr[illegible]o animo ponitur [illegible]ν μῦθος Ἀλκα[illegible]e pro audacia aut feruore animi. vt, Θῆκα μῦθος καὶ θάρσος——. atque sic in Catone Vticensi ipse Plutarchus vsurpauit: τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πιμπλάμενον ὀργῆς καὶ μύθους καταδύειν. Mitto quæ de hac voce Græci grammatici tradunt.

3,127,a. *Sed ait eum Cicero*] Locus est epistola prima libri ad Atticum secundi: tametsi nihil ibi de petitione consulatus dicitur, ac ne dici quidem potuit, quum illa epistola scripta sit Afranio & Metello consulibus: Catone in consulatus petitione repulsam passo, Sulpitius & Marcellus sint designati, octo integris pòst annis. Alioqui dubiū non est quin id quod hic ex Cicerone Plutarchus affert, vel v-

nica fuerit causa vt consulatū non obtineret Cato.

3,129,b. *Quomodo sanè in Chio quoque vitā proiecit*] Historia hæc est apud Diodorum Siculum lib. 16, non longè ab initio. De nauali apud Naxum pugna idem lib. 15, & paucis Xenophon lib. 5 Ἑλλην. sub finem.

3,132,d. *Cognomen inuenerit Boni*] χρηστοῦ. Lapus Frugi vertit: sed id longe aliud est & à diuersa virtute factum cognomentum. Boni cognomē ei cùm alii tum AEmilius etiam Probus disertè tribuit.

3,136,c. *Nouatoribus vrbanis Charidemū in suggestum trahentibus*] Apparet hunc facilè turbulentissimum ciuem, & belli Macedonici facem fuisse: siquidem solus omnium eorum quos Alexander ab Atheniensibus sibi dedi poposcerat, quum esset ignotum reliquis, solum exilii causa vertere iussus, ad Darium perfugit. Arrianus lib. 1 De exped. Alexandri.

3,137,a. *Cur miser intendis, &c.*] Versus est Homericus, de lib. 9 Vlyssez. Sunt autem verba sociorum ad Vlyssem, qui Cyclopem, cuius violentiam vix dum euaserat, lacessere verbis intendebat.

3,138,b. *Rogauit num eo se arbitrarentur deteriorem*] Xyl. vertit, *Vtrum se quàm illum peius habere putarent.* & annotat, εἰ τούτου χείρονα νομίζοιεν αὐτόν. Lapus, *Num minoris se existiment.* qua versione elegantia loci, & comparationis Phocionis cum illo sene egeno venustas deperditur. Non enim virtutis sed vitæ & paupertatis contentio à Phocione instituebatur. & quòd eum bona verba loqui, id est abstinere tam contumeliosa sui cum illo misero collatione, iubebant legati, eò attinebat quòd Phocionem dignissimum splēdore regio putarent: quippe solum de omnibus Atheniēsibus bonum virum. de misello isto, videbatur alia res esse.

3,138,d. *Cio, Gergitho*] Cium vrbem Mysiæ non ignobilem, & non geographis modò atque historicis, sed etiam poetis cognitam. Chium Lapus (insula est Ioniæ dicta) fecit, noto & vulgato errore. Γεργίθου per ι, non η, scribendum est: vt patet ex Strabonis lib. 13, & Stephano: atque ex Latinis etiam, Plinio l. 5, cap. 30: Mela & Liuio. meminit enim lib. 38. Vrbs erat Troadis. Mylassa, Cariæ vrbs maritima. Elæa, haud procul Pergamo in littore sita. de Melita quod sequitur, annotauimus in Themistoclem.

3,139,b. *Filio cupienti desultorem certare Panathenæis*] Xyl. vertit, *Filio autem festiuitate Panathenaica cupienti desultorio certamine contendere, Phocion obsequutus est.* & annotat, ἀποβάτην ἀγωνίσασθαι. quod genus dicendi est apud Latinos, quum dicimus, Saltauit Antiopam Rutilius: & ille apud Horatium, *Pastorem saltaret vti Cyclopa rogabat.* Quid autem sit ἀποβάτης, video plerosque ignorasse, quando & L. Cælius lib. 21, cap. 21, ignoratione rei locum Dionysii Halicarnassei, quem mox proferam, corrupit. quod dico ne (quod multi stultè faciunt) vno in libro omnia inesse putemus. Lapus noster hîc morem suum seruauit: id est, equestrem ludum vertit, genus pro specie ponens, quod tantùm non omittere est. Qui intelligit quid sit παραβάτης, coniicere potest sanè quid sit ἀποβάτης. nam ἱππικὸν esse ἀγώνισμα, id est Equestre certamen, Varinus etiam annotauit, additque solis in vsu fuisse Atheniensibus & Bœotis.

Dionyſ. in libri ſeptimi fine, (Cælius perperã ex octauo citat) quo loco certamina & ſacrificia priſcorum Latinorum cum Græcis comparat, hæc verba poſuit: ὅταν γὰρ τέλος αἱ τῶν ἱππέων ἅμιλλαι λάβωνται, ἀποπηδῶντες ἀπὸ τῶν ἁρμάτων οἱ παρεγχούμενοι τοῖς ἡνιόχοις, οὓς οἱ ποιηταὶ μὲν παραβάτας, Ἀθηναῖοι δὲ ἀποβάτας, (deeſt καλοῦσιν, aut aliquid tale) τὸν σταδιαῖον ἁμιλλῶνται δρόμον αὐτοὶ πρὸς ἀλλήλους, hoc eſt, Equeſtribus enim finitis certaminibus, deſilientes à curribus ii qui vnà cum aurigis vehuntur, (poetæ eos parabatas, Athenienſes apobatas vocant) in ſtadio curſu inter ſe contendunt. Cælius quo dixi loco, contra & veritatem & mentem Dionyſii, aurigas cum parabatis & apobatis eoſdem facit: quod ſtatim ex verbis apparet. Iam quod ipſe Dionyſius eoſdem apobatas cum parabatis facit, id de certaminibus ludicris, non de pugna, intelligendum ſatis conſtat. ne quis putet hoc loco conuelli poſſe quæ de ſignificatione verbi παραβάτης ad vitam AEmilii ex optimorum autorum ſententia & exemplis ſcripſi. Tametſi ſatis etiam ex Iliade Homeri & Virgiliana AEneide liquet, eos qui de curribus pugnarent, ſæpe de iis deſiluiſſe, ac pedeſtri certamine dimicaſſe: ἀποβάτας tamen dictos legere non memini, & haud ſcio an vſquam legatur. In ludicris certaminibus, qualia Dionyſius deſcribit, παραβάτης, is qui vnà cum auriga in curru erat, quòd non pugnabatur, nihil habebat negocii niſi vt deſiliret à curru & curſu decertaret: inde etiam ἀποβάτης idem dici potuit. Eſt enim ἀποβαίνειν deſcẽdere, ſeu deſilire, hoc quidem loco: & annotauit Euſtathius, ἀποβαίνειν in hoc genere dici ἀντὶ τοῦ πεζεύειν & καταβῆναι ἅρματος. Neque ego motus ſum nominis tantùm etymo vt deſultorium hîc verterem certamen, τὸν τοῦ ἀποβάτου ἀγῶνα: ſed quia hoc vocabulũ bonis Latinis autoribus viderem aut hoc ipſo, aut ſimilimo planè modo vſurpatum. Liuius lib. 44, Mos erat tum, nondum hac effuſione inducta beſtiis omnium gentium circum complendi, varia ſpectaculorum cõquirere genera: nec ſemel quadrigis, ſemel deſultore miſſo, vix vnius horæ tẽpus vtrunque curriculum complebat. Quod enim vel Calepinus, vel eius correctores atq; auctores equum deſultorium eum eſſe dicunt, qui eſt κέλης Græcis, quum tamen ab vno duos ſimul eſſe ductos affirment: faciunt nimis imperitè. ſaltẽ verſus eos monuiſſet Odyſſ. ε, —αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς Ἀμφ' ἑνὶ δούρατι βαῖνε, κέληθ' ὡς ἵππον ἐλαύνων. Non duo ligna, ex quorum vno in alterum tranſiliretur, ſed vnicum equo celeti cõparat. Tum ex Pindaro notum eſt, & Plinii cap. 5. lib. 34, κέλητα currui opponi: at in curribus etiam fuiſſe ἀποβάτας, iam ex Dionyſio dixi. Vocari fortaſsis poſsit ἀποβάτης etiam is qui in certamine ab equo defatigato in alterum integrum tranſiret, quũ quidem duos ſecum traheret: quomodo Numidas pugnaſſe, Liuius lib. 23 ſcribit. Suetonius in Iulio, cap. 39, Circenſibus, inquit, quadrigas bigáſque & equos deſultorios agitauerunt nobiliſsimi iuuenes. Sunt & hæc verba Ciceronis pro L. Murena diligentius expendenda. Neſcio quo pacto mihi videtur prætorius candidatus in conſularem, quaſi deſultorius in quadrigarum curriculum, incurrere. Qui locus à Dionyſii non vi-

detur abludere sententia. Porrò autem filio Phocionis Phoci, non Phocii nomen fuisse, annotandum duxi. nam in hoc libro promiscuè scribitur. Nos confirmet Athenæus, cuius (ne quem alium allegem) hæc sunt lib. 4, eandem rem exponentis: Διογένης ὁ Βαβυλώνιος ἐν τοῖς περὶ εὐγενείας, Τὸν Φωκίωνος υἱόν (φησι) Φῶκον ἐκ λῶ ὅς ἐκ ἐμίσει Ἀθηναίων, &c. vbi quidem cũ de hac ipsa victoria dicitur, est νικήσαντος δὲ ἵπποις Παναθηναίοις.

3,140,a. *Aggredienti aliquando Pytheæ* ] Locus est, vt apparet, mutilus: quem si affirmem me satis assequi, nuger.

3,141,b. *Postquam autem Leosthenes ciuitatem præcipitem in bellum Græcum dictum egit*] Xyl. vertit *Lamiacum.* & annotat, In Græco est Ἑλληνικὸν πόλεμον, Græcum bellum: quod expressit Amiotus. Lapus, quum rem non teneret, nescio quid de inferendis Græciæ armis commentus est: quum quidem in libertatem asserendæ Græciæ causa sit susceptũ, omnésque ferè exceptis solis Bœotis Græci cũ Atheniensibus societatem eius coiuerint. Est enim id bellum quod Leosthene duce gestum est contra Antipatrũ: qui quum ab eo victus Lamicum, Thessaliæ vrbem, confugisset, bello Lamiaci nomen factũ est. Describitur perspicuè à Diodoro lib. 18 Biblioth. & à Pausania in Atticis, à Iustinio lib. 13, & aliis.

3,143,a. *Vbi pedites Antiphilus*] Viden' oscitantia quid faciat? Lapus oblitus paulo suprà Antiphilum hunc nominatũ, qui Leostheni succederet, eum & Menonem Thessalum (cuius etiam alibi meminit Plutarchus) Macedonibus affingit: quum fuerint Græcorum duces. Id vanissimum quòd idem Lapus Phocioni eam victoriam adscribit: quem non interfuisse, ex antecedentibus patet. atque hunc errorem tamen quidam sequuti, idem ad Iustini librum 13 annotauerunt.

3,145,a. *Tunc circa dies illos fasciæ quibus mysticos lectos rediminunt*] Xyl. vertit, *Iis verò diebus quĩ fasciæ quibus mysticæ cistæ inuoluuntur.* & annotat, κοῖται. sic Varinus, κοίτην Atticè vocari τὴν μικρὰν κίστην. & haud scio an idem sint quod λίκνον, de quo annotaui in Alexãdro. Lapus victimas imperitè. Statim *Pallidum*, θάψινον est in Græco. Neque videre possum cur atrum verterit Lapus. Est enim vtique θάψινον, Quod thapsi colorem habet. Thapsus quid sit, non indico. multis scio videri esse verbascum, *y'v vullizraut*: quæ est sanè pullis foliis prædita herba, flore luteo, odoris violacei. Pallidum autem intelligi τῷ θαψίνῳ, apparet ex Theocriti Pharmaceutria, Καί μευ χρὼς μὲν ὅμοιος ἐγένετο πολλάκι θάψῳ, *Sæpe ego pallebam, thapsi suffusa colorem.* Quæ ibi scholiastes habet, à nobis stant. Sed & Nicander in Alexipharmacis, de pallescentibus ob epotum ranæ venenum, Τῶν ἤτοι θερόεις μὲν ἄγει χλόον, ἤύτε θάψος. id est, vt Scholiastes ait, οἱ φαρμακευθέντες ὠχροὶ γίνονται· ἡ δὲ θάψος ἐστὶν εἶδος βοτάνης χλωρᾶς. Καθαρὸς λιμήν, an purus sit, an verò Catharus sit proprium, non facilè succurrit. Paulo pòst ἐν τῷ πολεορκημένοις, *Carcere inclusis* ineptè vertit Lapus.

# IN CATONEM VTICENSEM annotationes Guil. Xylandri & Herm. Cruſerii, interpretum.

HIC Cato, vt à Maiori ſeu Cenſorio diſtingueretur, modò Minor ſeu inferior, modò Vticenſis, à loco in quo mortem oppetiit, dicitur. Plutarchus in Pompeio, & fine Catonis maioris, Philoſophi cognomento eum dignatur. Genealogiam eius ibidem attingit. ſed & locus iſte maneus eſt, & apud Gellium lib. 13, cap. 18, explicatur perſpicuè gentilitas hæc: itaque eam ſuccinctè huc tranſcripſi.

M. Porcius Cato Cenſorius

| M. Cato, qui viuo patre obiit, prætor deſignatus. | M. Cato Salonianus, ex Salonii filia. | |
|---|---|---|
| | L. Cato. | M. Cato, mortuus in petitione præturæ. |
| M. Cato, M. F. M. N. conſul periit in Africa, Anno DCXXXVI. | | M. Porcius Cato, Vticenſis. |
| Cato, qui poſt præturam in Gallia Narbonenſi deceſsit. | | |

In loco Plutarchi quem dixi, verba ſunt confuſa: ita quidem vt niſi ſuo loco reponantur, non modò non pronepos (quod & in confeſſo eſt, & hîc disertè teſtatur autor) Vticenſis fuiſſe videatur Cenſorii, ſed ne à Salonio quidem ortus. Illum itaque locum emendabis, manentibus iiſdem, ac tantùm alio ordine collocatis verbis, ſic: ὁ δὲ Κάτων α.γ—τελευτήσαντος υἱοῦ. Καὶ Σαλώνιος αὐτῷ ἐτελεύτησε στρατηγῶν· ἦν δὲ πάππος οὗτος. Hæc autem, ὁ δ᾽ ἐξ αὐτοῦ γενόμενος Μάρκος, ὑπάτευσεν, parētheſi includi debent, & quidem pro αὐτοῦ mallem, ἐκείνου aut ἐκείνου. vt intelligatur non ad Saloniū ſeu (vt Gellius vocat) Salonianum referri, ſed ad eum qui Tertiam AEmilii Pauli filiam in matrimonio habuit. Porrò autem Cato Vticēſis præter Porciā ſororem, quā vxorem fuiſſe Plutarchus ait, L. Domitii, eius qui Cæſari ſucceſſor deſtinatus bello ciuili periit, etiam ex vitrico Seruilio fratrem habuit Cæpionem nomine, & ſorores Seruilias, quarum vna M. Bruti, eius qui Cæſarem necauit, mater fuit, altera L. Luculli vxor, & item tertia Iunii Silani vxor. Non autem Capionem, ſed Cæpionem eſſe legendum, vel ex eo

patet quòd notissimum gẽtis Seruliæ cognomen est Cæpio.

3,153,b. *Apud Liuium Drusum auunculum*] Liuium Drusum auunculum fuisse Catonis huius, satis constat cùm aliunde tum ex Miloniana Ciceronis. ne quis mendum Græci codicis sequatur, vbi legitur, θείῳ μὲν ὄντι τῆς μητρὸς, matris auunculo: quum sit legendum non τῆς, sed πρὸς μητρός.

3,154,a. *Silo Pompedius*] Sic esse legendum, in Mario ostendi. Refert hanc historiam iisdem propè verbis Valerius Maximus lib. 13, cap. 1.

3,157,a. *Inuita Venere*] qui est fortunatissimus talorum iactus. Solebant autem in conuiuiis archiposiam, id est, Magisterium bibendi, talis sortiri. Cuius rei mentio cùm apud alios fit crebra, tum apud Horatium. vt ad Sestium, *Nec regna vini sortiere talis*. Et ad Pompeium: --*Quem Venus arbitrum Dicet bibendi?* Hoc modo etiam partes ciborum fuisse sorte ductas hinc apparet. Reliqua Lapus non rectè.

3,158,b. *Lege lata ne candidati nomenclatores haberent*] ὀνοματολόγοι. Annotatum erat hoc ad marginem à correctore, quum quidem Lapus rectissimè ita vt nos vertisset. Erat autẽ Nomenclator, seruus qui candidatum sequebatur, eúmque ciuium nomina docebat quos ille compellaret, atque vt sibi fauerent, oraret. Idem Monitor dicebatur: quod ex Mureniana Tullii oratione apparet. Festus etiam Fartorem fuisse dictum scribit, quòd clàm veluti infercitet in aures candidati nomina salutandorum ciuium. De quo accipio etiam Horatii versus ad Numiciũ, de petitione magistratus ita scribentis: *Si fortunatum species & gratia præstant, Mercemur seruum qui dictet nomina--*. & quæ sequuntur. Quod autẽ est in Græco, ἐπείθετο τῷ νόμῳ, καὶ δι' αὐτοῦ: Lapus vertit, eum seruasse illam legem, eíque obtemperasse. Atque hoc opinor imposuit doctissimo cuidã viro vt hoc ipsum etiam in commẽtario Murenianæ orationis scriberet, negari à Plutarcho id quod Cicero obiicit Catoni, nempe eũ opera nomenclatoris vsum. Ego verò hoc ex Cicerone accepisse Plutarchum suspicor, & ab eo nequaquam dissensisse. Certè Græca verba idem habent cum Latinis Tullianis, nisi quòd αὐτοῦ scribendum est, non αὐτοῦ. Nam verbum ἐπιτίθεσθαι cum datiuo, Obsequi aut Obtẽperare nequaquã significat: Adoriri autem, impugnare, resistere, & similia, frequenter apud optimos scriptores. id quod exemplis collectis post Budæum docere, non est operæ.

Ibidem d. *Non formidinem detraxit imperio*] Xyl. vertit, *Non metũ suæ potestatis eis ademit*. & annotat, οὐ τὸν φόβον ἀφεῖλεν. Lapus, *Nõ timore iniecto*: nescio quid sequutus. Nostram quidem lectionem probo. Indicat enim, Catonem nõ pro imperio tantùm militibus mã dasse aliquid, sed & causas simul exposuisse, vt non tam metu potestatis suæ eos cogeret, quàm explicandis factorum rationibus ad officium faciẽdum duceret. id quod fuit consentaneum ingenio Catonis, qui & ipse præceptori suo ita paruisset vt causas singulorum mãdatorũ sibi reddi postularet. Quæ autem paucis interiectis versibus sequũtur, *Omnes qui imperatorum nomẽ, &c.* quum sint perspicua in Græco, & Catonem tum cum militibus, tum cum imperatoribus cõponant, idem Lapus admodum in-

fulsè corrupit. Non enim fuit Catonis, militem adulari, aut imperatoris nomine dignari. Sed refutare apertũ errorẽ, non est operæ.

3,160,b. *Ita non gladio solùm*] Omissa hæc sunt à Lapo, Cæsarẽ autem (ni fallor) notat, eiúsque Anticatonem: qui non agendi modò, sed & scribendi quæ vellet, impunem licentiam armis rerum potitus sibi vendicaret.

Ibidem, d. *Super sarcinas tacitus sedens*] Xyl. vertit, *Apud clitellas tacitus sedens.* & annotat, ἐπὶ τῶν φορτίων, Impedimenta, Sarcinas. Lapus, *ob magnitudinem curarum*: quasi si φροντίδων legisset.

3,163,a. *Quum petere quæsturam legitimè posset, non antè accessit ad petendum, &c.* Xyl. vertit, *Quæsturam non antè ambiit.* & annotat, μετῆλθεν. id autem non est inire, sed petere magistratum, quod satis notum puto. Sensum totum huius loci Lapus leui momento peruertit.

Ibidem, c. *Alteri testamenti subiecti formulam intendit*] Xyl. vertit, *Alteri cuidam falsi dicam scripsit.* & annotat, ῥᾳδιουργίας. Ego ita propriè exponi puto: alii suppositionẽ testamenti. qua de specie mihi hîc non satis constat. Lapus negligenter negligentiam extulit. Sanè in Actis Apostolorum, cap. 18, ἀδίκημα & ῥᾳδιούργημα coniunguntur. Apud Xenophontem lib. 2 De dictis & factis Socratis, sicut & apud alios, ῥᾳδιουργία opponitur virtutis & laboris honestæ actioni. quod Eustathius in 𝔡 Homericæ Vlysseæ exponit ὀκνηρίαν.

3,166,c. *Amnæus*] Ἀμναῖος, sic est in Græco. apud Lapum, Amicus. nobiscum legit etiam Gallicus interpres: tametsi hoc nomen non satis est notum. Sanè etiam in Lucullo hoc dictum retulit ita vt à quibusdam id Catoni ipsi attributum diceret.

3,174,d. *Ex duabus Catonis fratris & sororis filiabus nubilibus*] Xyl. vertit, *De duabus Catonis neptibus.* annotatque, ἀδελφιδᾶς est in Græco. Sed id ambiguum est. nam & fratris filia, & sororis filia intelligi hoc vocabulo potest. Et haud scio an Cæpionis filiam intelligi hoc loco par sit, quam vnicam ab eo relictam supra dixit Plutarchus. de altera nihil mihi constat. Suprà quidem Seruiliarum, & mox iterum sororum Catonis fit mentio. vt videri possit, sororis aut vtramque aut alteram harum filiam esse. Sed hæc peritiores explicent.

3,175,a. *Quum consulatum amico cuidam quæreret*] L. Afranio: Plut. Pompeio, & aliis.

3,176,c. *Metelli*] Numidici illius magni. Historia est cum alibi, tum in vita Marii.

3,178,c. *Per Canidium amicum*] Ita hîc semper: infrà in Bruto, Caninius.

3,180,b. *Pignora se ab ipso capturum*] ἐνέχυρα λήψεσθαι. Qui intelligere vult quid hæc sibi verba velint, (est autem operæ precium) legat primam Cic. Philippicam, & Præf. libri De oratore tertii.

3,181,c. *Eique præturam extra ordinem decreuit*] ἐξαίρετον στρατηγίαν sic interpretor. Dio lib. 39 ita explicat vt præturam ei decretam dicat, quæ legibus ei nondum concederetur. Natus tum fuit Cato annos triginta octo: siquidem anno V. C. DCCVIII seipsum interfecit Vticæ, annos natus (vt Plut. ait) duodequinquaginta. & verò quadragesimus annus præturæ gerendæ legibus erat definitus, vt alibi ostenditur. Ergo locum habere Dionis sententia vi-

detur. nam Valerius Max. lib. 4, cap. 1, videtur paulo aliter sentire. Senatus, inquit, relationem interponi iubebat, vt prætoriis comitiis extra ordinem ratio eius haberetur. quod ita videtur intelligendũ esse vt non suffragiis (quod erat moris) sed autoritate senatus nouo exemplo prætor crearetur. Nam subdit Valerius, Catonem id repudiasse, quòd campestrem experiri temeritatem quam curiæ beneficio vti satius duceret. Mihi tamen (vt dicam quod sentio) magis placet Dionis mei sententia, quæ petitionem ei ante tempus legitimum concederet, cætera prætoriis comitiis permitteret: quibus visurum fuisse secundis, & impetraturum præturam, non erat dubium, populo tanto ipsius munere delinito, ac mirifico eius fauore repleto. neque enim arbitror Senatum, illo in Catonis honorẽ facto decreto, suum populo ius totum adimere voluisse. Atque haud scio an commodè etiam Valerii verba in eandem sententiam exponi possint, vt intelligatur Catonem maluisse suo legitimo tempore totam præturæ petitionẽ populi suffragiis permittere, suóque iure adipisci, quàm tum eam Senatus allato ad populum recenti beneficio deuinctum præiudicio quasi per gratiam consequi.

3,183,b. *Extemplo magistratũ inirent*] Xyl. vertit, *Statim magistratum inirent*. & annotat, In Græco locus est deprauatus mutilatúsque: ἐν ᾧ τοῖς δικάσασι τὸν δῆμον ἤσαν. hic aliquid etiam deest: & quæ sequuntur, confusa sunt. Sensum aperire conabor. Mos erat Romæ vt qui vel consules vel prætores etiam essent designati, non statim magistratum inirent, sed tempus aliquantum consules vel prætores designati manerent. Id verò tempus vt intercederet inter designationem & acceptionem magistratus, eò præsertim erat institutum vt inquiri posset qui designati essent, iustene an largitione & emercando suffragia honorem consequuti essent. hæc enim qui commisissent, fe comperta legibus ambitus interrogabantur, & pœnas dabant, magistratu arcebantur. Hoc modo animaduersum est in P. Antonium, & P. Syllam coss. designatos: quæ historia describitur a Dione lib. 36: à Salustio in Catilina, à Suetonio in Iulio. Pompeius itaque & Crassus, quũ a prætura excludendi Catonis causa statuissent suos clientes summa largitione & suffragiorum corruptela ad præturam euehere, ac intelligerent fore vt vel Cato vel alius aliquis ambitus eos reos perageret, voluerunt eos inquisitionis & iudicii periculo liberare: itaque statim, vt inirent præturam, illudque tempus inter eorum designationem & magistratum non interueniret, senatusconsulto statuerunt. Hanc puto esse genuinam loci sententiam: verba sine codice restituere non ausim.

3,185,d. *Singuli quingena sestertia*] δικαδύο ἡμισυ μυριάδας δραχμῶν. Lapus peruertit, vt solent in hoc genere. Efficiunt autẽ drachmarum 125 millia (hoc est $12\frac{1}{2}$ per decẽ millia multiplicata) 500 millia sestertiorũ nummorum, seu (quod idem est) quingenta sestertia. Quod annotare visum est vt intelligatur hac de re eadẽ loqui Ciceronẽ lib. ad Atticũ 4, epistola de Eutychide. Tribunitii (inquit) cãdidati iurarunt se arbitrio Catonis petituros: apud eum II-S quinquagena deposuerunt; qui à Catone damnatus esset, id perde-

quod *ναρδίνιον* placet, & *σκεῦος τὸ ἰατρικὸν* esse. Enimuerò cognomẽtum hoc ab illo nobili Darii vnguentorum scrinio factum Iliadi, quam secum assiduè haberet Alexander, puto, vt Nartheciana diceretur. Est enim cùm alibi tum apud Plinium historia, quam ipsius verbis de libri septimi capite vigesimonono huc adscripsi, vt hũc locum penitus explicem. Itaq; Alexãder (inquit) Magnus, inter spolia Darii Persarum regis, vnguentorum scrinio capto, quod erat auro gemmísque & margaritis pretiosum, varios eius vsus amicis demonstrantibus: Imò Hercule, inquit, librorum Homeri custodiæ detur. vt pretiosissimum humani animi opus quàm maximè diuiti opere seruaretur. Hinc & quid *νάρθηξ* sit, vel *ναρθήκιον*, intelligi, & Plutarchi sententiam apparere puto.

3,12,d. *Medaros rebellantes subegit*] Xyl. vertit, *Medos qui defecerant*. & annotat, *Μεδάρους* Eg. Medaros nullos noui: qui nouerit, prodat. Medos noui gentem Thracicam, Macedoniæ vicinam: Liuiúsque etiam libro vigesimosexto incursionem eos facere in Macedoniam solitos ait, quoties externo bello rex Macedoniæ detineretur. Ergo Medos scripsi. Quòd enim Megarenses Guarinus substituit, non sanauit sed auxit malum.

3,13,c. *Pexodorus*] Πηξόδωρος. Pòst per *ἰῶτα*: malè Arrianus libro primo *ἀναβ. Ἀλεξ.* Πιξόδαρον vocat: apud Diodorum Πηξόδωρος legitur decimosexto.

3,14,b. *Eum simul qui tradidit, &c.*] Versus ex Medea Euripidis. Verba ipsius sunt de Iasone, soceroque & vxore nouis eius Creonte & Glauca, necandis deliberantis. Per *δόντα*, Dantem, ibi socer Creon: hic (opinor) nuptiarum & stupri Pausaniæ illati autor Attalus, tum nouus maritus Philippus & Cleopatra vxor recens Olympiadi superinducta intelliguntur.

3,18,d. *At Rasace*] Rosacere est apud Curtium. Cr.

3,20,b. *Raro ante tenuia & resonantia sub abruptis & confragosis rupibus aperiret saxa*] Hunc locum malè tractauit interpres, ac glaciem nulla cogẽte necessitate, satis frigidè apposuit: quasi verò *πάγος* nihil præter glaciem significaret. Mitto Eurip. & Sophoclis testimonia quibus planum facere possim, *πάγον*, saxum, scopulum, cautémve significare. Sanè Homeri versus notus est lib. 5 Vlysseæ: Ἀλλ' ἀκταὶ προβλῆτες ἔσαν, σπιλάδες τε πάγοι τε. Eustath. *πάγοι, πετρώδεις ἐξοχαὶ, ἢ εἰς ὕψος ἀνέχουσαι πέτραι*. & apud AEschylum Vulcanus de rupe cui erat affixurus Prometheum, Προσπασσαλεύσω, inquit, τῷδ' ἀπανθρώπῳ πάγῳ. Quin & in Catonis Censorii vita sic vsurpauit noster, de Thermopylarum ab eo captis angustiis scribens. Cæterùm hanc eandem historiam explicatam legere potes apud Strabonem libro decimo quarto. Versus Menandri, atque etiam nostri, sunt trochaici quadrati.

3,21,b. *Cum regis esset asgandes*] Legendum fortassis ascandes, id est nuncius: vel ascantes, id est cubicularius. Cr. Xylander autem annotat, Hoc quid sit non facilè dixerim: neque alibi me id vocabulum recordor reperisse. Iustinus Dariũ antè Codomannum appellatum, & ob virtutem prius Armeniis præfectum, inde Ocho mortuo à populo regem factum, Dariíque nomen accepisse, scribit lib. 10. Diodorus præterea lib 17,

regio eum genere natum fuisse docet. Sed inde nihil certi colligo. ἀσκαίτης quidem lecticam aut grabbatum significat Græcis, vt est apud Eustathium, Suidam, & alios: vt coniicere fortassis liceat, fuisse eum aliquando vnum de regiis cubiculariis, ἵνα τῶν κατευναστῶν.

3,29,a. *Exinde vndoso* ] Versus sunt de lib. 4 Vlysseæ Homericæ. Malè autem Guarinus hanc Phari descriptionem extulit. Quod tænia hìc dicitur, id explicant aliorum verba, qui pro his νησίον περίμηκες habent. qui plura volunt, præter geographos Cæsarem ad finem libri tertii De bello ciuili consulant.

3,31,b. *Nō talis diis sanguis.* &c.] Xyl. vertit, *Non ichor.* & annotat, Vertere in linguā Latinā hoc verbi hoc loco nō potui, nisi si saniem voluissem dicere, quod est cruore vel sanguine aliquid deterius, eóque minus deorum naturæ conuenit. nam quæ aliàs ἰχὼρ significat, huc non pertinent. Versus est apud Homerum lib. 5 Iliadis, de Venere à Diomede sauciata.

3,34,c. *Apollini immolans* ] τῷ Φοίβῳ. Annotatū est hìc ab Amioto, in diuersis exemplaribus φόβῳ, metui scilicet seu pauori, pro φοίβῳ, quod est Apollinis epitheton, ac nonnunquam pro substantiuo ipso ponitur, legi. Quæ ipsa fortassis lectio, quando arcanorum sacrorum mentio fit, locum habere posset. Sed mutare hanc planiorem nolui.

3,36,a. *Balteum gestabat* ] Xyl. *Sagum gestabat.* & annotat, ἐπιπόρπημα, à fibula nomen habet. apparet autem ex Eustathio in μ Iliadis, ἐπιπόρπημα esse idem quod ἐφαπτίδα. & ἐφαπτίδα ipse in librū π eiusdem operis, idem esse cum chlamyde docet: quod & alii lexicographi sequuntur. Balteum vertit Guarin': sed non satis video quo autore: cincturam Amiotus.

3,39,a. *An potius flammę fomes liquor hic &c.* ] εἴτε μᾶλλον ὑπέκκαυμα. vnde apparet, plures de origine naphthæ recitatas à Plutarcho opiniones, quarum hæc fortassis vltima fuit, reliquis amissis. Sanè Amiotus annotauit, in Græco hìc aliquot lineas deesse. De naphtha vide etiam Strabonem libro decimosexto.

3,45, b. *Exathrem* ] Oxathrem habet Curtius. Cr.

3,48, d. *Balino* ] Cebalinum nominat Curtius. Cr.

3, 51, b. *In Græcia mores mali sunt* ] Xyl. vertit, *Quàm comparatū iniquè id est in Græcia.* & annotat, Miror tam tritū locum à Guarino non animaduersum intellectúmve fuisse. Sunt autē apud Euripidem aliquot versus, quorū initium tantùm, vt notorum, posuit Plutarchus. Iis Peleus queritur, rei à Græcis apud Troiam gestæ Atridas gloriam sibi vindicare, quum ipsorum minima fuisset opera. Ita hìc Clitus obiiciebat Alexandro, eum superbire gloria rerum à Macedonibus gestarum.

3,60, c. *Limnæus* ] Timæus est apud Curtium. Cr.

3,67, b. *Desiderauit præter omnes artifices Stasicratem* ] Dinocratem hunc nominat Vitruuius in præfatione libri secundi.

3,69, b. *Non exhausit Herculis scyphum* ] Hunc locum peruertit Guarinus. Non enim hoc ait Plutarchus, Alexandrum, priusquam illud poculū ebibisset, morbo fuisse correptum: sed totam illam de Herculeo scypho & subito dolore narrationē, ait esse fabulam. Meminerūt hui' scyphi & Diodorus &

Curtius. Annotatum in margine à quodam eſt, conſulendam explicationẽ prouerbii, Seruatori tertium. Verùm id ad rem nihil facit omnino. Sunt qui poculo nomen Herculis fuiſſe putant. Ego non ab re puto dici poſſe, in honorem Herculis id poculum ebibiſſe Alexandrum, vt autoris ſuæ ſtirpis. Notum eſt enim, inter pocula moris fuiſſe etiam diis libare: inuitantéſque ſe liberalius, arbitror eò libationẽ iſtam tranſtuliſſe. Horatius ad Auguſtum ſuum, --& alteris Te menſis adhibet deum. Te multa prece, te proſequitur mero Diffuſo pateris: & laribus tuum Miſcet numen, vti Græcia Caſtoris Et magni memor Herculis. Quod idem Mario ob Cimbricam victoriam obtigiſſe, ſcribit Plutarchus. τριακάδα non eſſe XIII, ſed vltimum menſis diẽ, ſatis eſt notum.

# IN CAESAREM ANNOTAtiones Guil. Xylandri & Herm. Cruſerii, interpretum.

3,71,b. *Cinnæ, qui Romæ rerum potitus eſt*] Κίννα τοῦ μοναρχήσαντος. Vſus eſt hoc vocabulo Plutarchus hîc aliquantulum impropriè. Μονάρχης ſeu μόναρχος pro tyranno, & μοναρχεῖν pro tyrannidẽ gerere, apud Græcos ſæpe dicuntur: vt apud Lucianum Phalaride ſecundo, ᾧ καὶ δῆλον ὅτι προσίεται τὴν τοῦ μονάρχου θυσίαν. Et Polybius ſic libro ſecundo ſæpe eſt loquutus, vt Βούριοι τὸν τύραννον ἀποκτείναντες. mox, ἀπολωλότα τὸν ἐν Βούρᾳ μόναρχον. Nimirum id vocabuli tum eum ſignificat qui ſolus rerum potitur, idque iniuſtè. L. autem Cornelius Cinna non ſolus quidem, ſed cum collegis quatuor conſulatum geſsit: quia tamen ii ferè ab ipſo pendebant, & nutu Cinnæ agebantur omnia, iſque Marianam tyrannidem reſuſcitauerat, nō malè dicitur hic μοναρχήσας. Dictatorẽ quidem fuiſſe (quod interpres habet) rectum non eſt.

3,72, c. *Atque ad Iunium qui cum imperio Aſiam obtinebat*] Ἰούγκον, Iulium interpres. Ego Iuniũ poſui, non tam quòd hoc Græcis literis eſt affinius, quàm Velleium ſequutus Paterculum: apud quem, vbi hæc hiſtoria deſcribitur, proconſul Aſiæ nominatur Iunius, qui tum in Bithynia ageret.

3, 72, d. *Apollonium Molonis*] M. Tullius in Bruto, Suetonius, & alii, Apollonium Molonẽ vocant. Quod autem ſequitur de dimiſſa ab eo prima eloquentiæ gloria, verti coniecturam ſequutus. locus enim eſt mendoſus: & fortaſsis ſanari poſsit ſi ita legatur, τὸ δὲ πρωτεῖον, οὐχ ὅπως τῇ δυνάμει καὶ τοῖς ὅπλοις πρῶτος εἴη μᾶλλον, ὑφεῖναι· ἀλλ' ἀσχοληθεὶς πρὸς ὅπερ, &c. Nihil tamen contendo.

3,73,d. *Vno digito caput ſcabentem*] Hæc in molles dicũtur, à quibus non facilè timẽdum Reip. videtur. Tale eſt etiam de malè cincto Cæſare Syllæ iudicium. Caput autem ſcabere vno digito, de mollibus dici, vel ex Clodianis in Pompeium contumeliis, ex noſtro autore conſtat. Sic & Lucianus de molli & effœminato dicit, ἄκρῳ τῷ δακτύλῳ τὴν κεφαλὴν κνώμενον.

ῥεῖν διδάσκ.

3,74,a. *In honorem quidem magnarum natu fœminarum orationes funebres habere, id moris erat Romani* ] Liuius lib.5, Matronis pro auro ad liberandam à Gallis Romam collato gratiæ actæ, honósque additus vt earum sicut virorum, post mortem solennis esset laudatio.

3,74,b. *Cum vno prætore Vetere*] Βάρτωρι. quod mendosum esse, facilè quiuis viderit. Angelus Tuberonem supposuit. id est augere malum, & historiam deprauare. Sequutus eum est tamen Amiotus. Cæsarē sub Antistio Vetere quæstorem fuisse testatur Velleius Paterculus. Ergo legendum Βέτερι. Quod autem de tertia Cæsaris vxore sequitur, ea filia fuit Q. Pompeii, Syllæ neptis. Primam autor non cōmemorauit, quæ fuit Cossutia, de equestri ordine: qua dimissa Corneliam, Cinnæ filiam, duxit. Suetonius.

3,77,a. *Vicies & ducenties*] Xyl. vertit, *Trecenties sestertiūm*. & annotat, Interpretis erratum hic refellere mitto. summam autem ego hanc posui vt intelligeretur mendum hic esse. quod enim legitur πεντακόσιαι πεντήκοντα, legendum est ἑπτακόσιαι πεντήκοντα. Nā hæc summa per talentorum numerum in vita Catonis expressa est ita, χιλίων διακοσίων καὶ πεντήκοντα ταλάντων, M C C L talentis. quæ si in myriades drachmarū conuertas, erunt D C C L myriades. etenim talenti ea est ad myriadem proportio quæ ternarii ad quinarium: hoc est quinque talenta æquantur tribus myriadibus drachmarum. Item quinquaginta talenta efficiunt duodecies sestertiûm. qua de re hîc non est disserendi locus.

3,83,d. *At illo in bello, &c.* Quæ ante hæc verba interpres habet de equo Cæsaris, in meo Græco non sunt. itaque omisi. Omisit etiam Amiotus. Inuenies autem apud Plinium lib.8, cap.42. & apud Tranquillum.

3, 88, a. *Quadringenta millia* ] Videtur ex Cæsare hoc habere, qui ostendit maximam Germanorum partē occisam: quum quidem numerus eorum fuisset C C C C X X X millium: vt X X X modò millia euasisse videantur. Angelus X L, non C D millia vertit: vt appareat eum pro μυριάδας legisse χιλιάδας. Et quidem probabilior videtur hic numerus.

3,90, b. *Ad Ararim amnem*] Ἀδρίαν. interpres Ararim: quòd & mihi probatur. præsertim quum ne Galliam quidem omnem Vercingetorigis concusserit rebellio, nedum vsque ad sinum Adriaticum iste motus peruaserit.

3,94,a. *Consulibus inuitis*] διὰ τῶν ὑπάτων. Sequutus est hoc Angelus, & hunc Gallicus interpres. quum quidem nullus ita possit esse sensus. Ex historia quæ est apud Dionem initio libri 41, apud Ciceronem multis locis, & apud omnes ferè huius belli scriptores, constat βίᾳ, non διὰ, legendum.

3,98,d. *Succumbit etiam ictibus ferrum*] σίδηρος ὑπείκει. Angelus legisse videtur ὁ μηρὸς, femur. Sed nullus erit sensus. Indicant autem, suis corporibus à Cæsare non parci: quum quidem ferrum etiam & arma assiduo vsu consumantur, lædantur, & nedum corpora hominum eos illæsa labores sustineant. Paulo antè est Νάρικον, pro Νωρικόν: notius mendum quàm vt imponere cuiquam debuerit. & πολεμίων pro πολίμων.

3,100,a. *Radicē quandam*]Charā eam Cæsar lib.3 Bell.ciuil. nominat. De lapsana seu cyma syluestri idem refert Plinius cap.8,lib.19.

3,101,d. *Afranius*]Malè in Græco legitur,Ἀφράνιον δέ: vt Fauonius interrogasse Afranium videatur, quomodo & interpres accepit,quod falsum esse vel ex Pompeii vita deprehenditur. Etenim Afranius ægrè ferebat quòd pecunia potius corruptus quàm Cæsaris vi & peritia superatus, tradito ei exercitu ex Hispania fugisse crederetur: itaque tum pugnam detrectantem Pompeium arguebat, calumniámque inimicis reponebat, quasi si diceret: si non armis sed pecunia vincere Cæsarem, eúmque ab eo,non capi prouincias creditis: quî fit quòd non cum eo confligitis?cur nō experimini eum vt ego sum expertus?

3,102,c. *Cornificium*] Κορφίνιον. nihil planè mihi constat. Legi tamen Cornificium, de quo etiam pòst.

3,108,a. *Fuit prǽterea eius suggillatio Dolabellę furor*] De Amintio hoc nihil habeo. Cornificium iterum posui,qui est in Græco Κορφίνιος:neque tamen magnopere asseuero. L. quendam Cornificium à Cæsaris partibus stetisse bello Pōpeiano, & ab eo fuisse in honore habitum, ex oratione Cic. pro Q. Ligario intelligitur. An de eo hîc dicatur, haud scio. Id quidem ausus sum vt Cornificium(vel quisquis tandem fuit) ante Antonium ponerem. est enim locus interpolatus. Quæ de Pompeii domo dicuntur,satis constat ad Antonium pertinere, cùm ex aliis, & vita Antonii,tum ex Philippica Ciceronis secunda.

## IN PHOCIONEM ANNOTAtiones Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

PHocionem Alexandri Magni æqualem fuisse, eiq; non multum temporis superuixisse,constat. Hæc quoque vita ita fuit à Lapo cōuersa vt ineptæ paraphraseωs potius quàm bonæ versionis nomen mereretur.

3,125,d. *Neque enim audiendus Sophocles est*] In Antigona: verba Ismeniæ ad Creontem.

3,126,b. *Quamobrem dulce poeta θυμοειδής vocauit*]Sæpe est vocabulum hoc apud Homerum.vt Odyss.ε,ὅπλα dicuntur μυροειδέα,& alibi δῶρα,& χάρις μυροειδής.& Odyss. ζ, μυροεντ' ἰδωδήν. θυμὸς enim frequenter pro animo ponitur. hinc illa, -ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο, & similia. Sæpe pro audacia aut feruore animi. vt, Θῆκε μένος καὶ θάρσος--.atque sic in Catone Vticensi ipse Plutarchus vsurpauit: τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πιμπλάμενον ὀργῆς καὶ μένους κατιδών. Mitto quæ de hac voce Græci grammatici tradunt.

3,127,a. *Sed ait eum Cicero*]Locus est epistola prima libri ad Atticum secundi:tametsi nihil ibi de petitione consulatus dicitur, ac ne dici quidem potuit,quum illa epistola scripta sit Afranio & Metello consulibus: Catone in consulatus petitione repulsam passo, Sulpitius & Marcellus sint designati, octo integris pòst annis. Alioqui dubiū non est quin id quod hic ex Cicerone Plutarchus affert,vel v-

nica fuerit causa vt consulatũ non obtineret Cato.

3,129,b. *Quomodo sanè in Chio quoque vitā proiecit*] Historia hæc est apud Diodorum Siculum lib. 16,non longè ab initio. De nauali apud Naxum pugna idem lib. 15, & paucis Xenophon lib. 5 Ἑλληνικῶν,sub finem.

3,132,d.*Cognomen inuenerit Boni*] χρηστοῦ. Lapus Frugi vertit:sed id longè aliud est & à diuersa virtute factum cognomentum. Boni cognomẽ ei cùm alii tum AEmilius etiam Probus disertè tribuit.

3,136,c. *Nouatoribus vrbanis Charidemũ in suggestum trahentibus*] Apparet hunc facilè turbulentissimum ciuem, & belli Macedonici facem fuisse: siquidem solus omnium eorum quos Alexander ab Atheniensibus sibi dedi poposcerat, quum esset ignotum reliquis,solum exilii causa vertere iussus,ad Darium perfugit. Arrianus lib.1 De exped.Alexandri.

3,137,a. *Cur miser intendis, &c.*] Versus est Homericus, de lib. 9 Vlysseæ. Sunt autem verba sociorum ad Vlyssem, qui Cyclopem, cuius violentiam vix dum euaserat,lacessere verbis intendebat.

3,138,b. *Rogauit num eo se arbitrarentur deteriorem*] Xyl. vertit, *Vtrum se quàm illum peius habere putarent*.& annotat,εἰ τούτου χείρονα νομίζοιεν αὑτόν.Lapus,*Num minoris se existiment*. qua versione elegantia loci, & comparationis Phocionis cum illo sene egeno ve nustas deperditur. Non enim virtutis sed vitæ & paupertatis contentio à Phocione instituebatur. & quòd eum bona verba loqui, id est abstinere tam contumeliosa sui cum illo misero collatione,iubebant legati, eò attinebat quòd Phocionem dignissimum splẽdore regio putarẽt: quippe solum de omnibus Atheniesibus bonum virum. de misello isto, videbatur alia res esse.

3,138,d. *Cio,Gergitho*]Cium vrbem Mysiæ non ignobilem,& non geographis modò atque historicis, sed etiam poetis cognitam. Chium Lapus(insula est Ioniæ dicta)fecit, noto & vulgato errore. Γεργίθου per ι,non η, scribendum est:vt patet ex Strabonis lib.13,& Stephano:atque ex Latinis etiam, Plinio l.5, cap.30: Mela & Liuio. meminit enim lib. 38. Vrbs erat Troadis. Mylassa,Cariæ vrbs maritima. Elæa, haud procul Pergamo in littore sita. de Melita quod sequitur, annotauimus in Themistoclem.

3,139,b. *Filio cupienti desultorem certare Panathenæis*] Xyl.vertit,*Filio autem festinitate Panathenaica cupienti desultorio certamine contendere,Phocion obsequutus est*. & annotat, ἀποβάτην ἀγωνίσασθαι. quod genus dicendi est apud Latinos,quum dicimus,Saltauit Antiopam Rutilius: & ille apud Horatium, *Pastorem saltaret vti Cyclopa rogabat*. Quid autem sit ἀποβάτης, video plerosque ignorasse, quando & L. Cælius lib. 21, cap. 21,ignoratione rei locum Dionysii Halicarnassei, quem mox proferam, corrupit. quod dico ne (quod multi stultè faciunt)vno in libro omnia inesse putemus.Lapus noster hîc morem suum seruauit: id est,equestrem ludum vertit,genus pro specie ponens, quod tantùm non omittere est. Qui intelligit quid sit παραβάτης, coniicere potest sanè quid sit ἀποβάτης.nam ἱππικὸν esse ἀγώνισμα, id est Equestre certamen, Varinus etiam annotauit, additque solis in vsu fuisse Atheniensibus &Bœotis.

Dionyſ.in libri ſeptimi fine,(Cælius perperā ex octauo citat) quo loco certamina & ſacrificia priſcorum Latinorum cum Græcis comparat, hæc verba poſuit: ὅταν γὰρ τέλος αἱ τῶν ἱππέων ἅμιλλαι λάβωνται, ἀποπηδῶντες ἀπὸ τῶν ἁρμάτων οἱ παρεχούμενοι τοῖς ἡνιόχοις, οὓς οἱ ποιηταὶ μὲν παραβάτας, Ἀθηναῖοι δὲ ἀποβάτας, (deeſt καλοῦσιν, aut aliquid tale) τὸν σταδιαῖον ἁμιλλῶνται δρόμον αὐτοὶ πρὸς ἀλλήλους, hoc eſt, Equeſtribus enim finitis certaminibus, deſilientes à curribus ii qui vnà cum aurigis vehuntur, (poetæ eos parabatas, Athenienſes apobatas vocant) in ſtadio curſu inter ſe contendunt. Cælius quo dixi loco, contra & veritatem & mentem Dionyſii, aurigas cum parabatis & apobatis eoſdem facit: quod ſtatim ex verbis apparet. Iam quod ipſe Dionyſius eoſdem apobatas cum parabatis facit, id de certaminibus ludicris, non de pugna, intelligendum ſatis conſtat. ne quis putet hoc loco conuelli poſſe quæ de ſignificatione verbi παραβάτης ad vitam AEmilii ex optimorum autorum ſententia & exemplis ſcripſi. Tametſi ſatis etiam ex Iliade Homeri & Virgiliana AEneide liquet, eos qui de curribus pugnarent, ſæpe de iis deſiluiſſe, ac pedeſtri certamine dimicaſſe: ἀποβάτας tamen dictos legere non memini, & haud ſcio an vſquam legatur. In ludicris certaminibus, qualia Dionyſius deſcribit, παραβάτης, is qui vnà cum auriga in curru erat, quòd non pugnabatur, nihil habebat negocii niſi vt deſiliret à curru & curſu decertaret: inde etiam ἀποβάτης idem dici potuit. Eſt enim ἀποβαίνειν deſcēdere, ſeu deſilire, hoc quidem loco: & annotauit Euſtathius, ἀποβαίνειν in hoc genere dici ἀντὶ τοῦ πεζεύειν & καταβῆναι ἅρματος. Neque ego motus ſum nominis tantùm etymo vt deſultorium hîc verterem certamen, τὸν τοῦ ἀποβάτου ἀγῶνα: ſed quia hoc vocabulū bonis Latinis autoribus viderem aut hoc ipſo, aut ſimilimo planè modo vſurpatum. Liuius lib. 44, Mos erat tum, nondum hac effuſione inducta beſtiis omnium gentium circum complendi, varia ſpectaculorum cōquirere genera: nec ſemel quadrigis, ſemel deſultore miſſo, vix vnius horæ tēpus vtrunque curriculum complebat. Quod enim vel Calepinus, vel eius correctores atq; auctores equum deſultorium eum eſſe dicunt, qui eſt κέλης Græcis, quum tamen ab vno duos ſimul eſſe ductos affirment: faciunt nimis imperité. ſaltē verſus eos monuiſſet Odyſſ. ε, —αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς ἀμφ' ἑνὶ δούρατι βαῖνε, κέληθ' ὡς ἵππον ἐλαύνων. Non duo ligna, ex quorum vno in alterum tranſiliretur, ſed vnicum equo celeti cōparat. Tum ex Pindaro notum eſt, & Plinii cap. 5, lib.34, κέλητα currui opponi: at in curribus etiam fuiſſe ἀποβάτας, iam ex Dionyſio dixi. Vocari fortaſsis poſsit ἀποβάτης etiam is qui in certamine ab equo defatigato in alterum integrum tranſiret, quū quidem duos ſecum traheret: quomodo Numidas pugnaſſe, Liuius lib.23 ſcribit. Suetonius in Iulio, cap.39, Circenſibus, inquit, quadrigas bigáſque & equos deſultorios agitauerunt nobiliſsimi iuuenes. Sunt & hæc verba Ciceronis pro L. Murena diligentius expendenda. Neſcio quo pacto mihi videtur prætorius candidatus in conſularem, quaſi deſultorius in quadrigarum curriculum, incurrere. Qui locus à Dionyſii non vi-

detur abludere ſententia. Porrò autem filio Phocionis Phoci, non Phocii nomen fuiſſe, annotandum duxi. nam in hoc libro promiſcuè ſcribitur. Nos confirmet Athenæus, cuius (ne quem alium allegem) hæc ſunt lib. 4, eandem rem exponentis: Διογένης ὁ Βαβυλώνιος ἐν τοῖς περὶ διηγήσεως, Τὸν Φωκίωνος υἱόν (φησι) Φῶκον ἐκ τῶν ὅς ἐκ ἐνίκησεν Ἀθηναίων, &c. vbi quidem quũ de hac ipſa victoria dicitur, eſt νικήσαντος δὲ ἵπποις Παναθηναίοις.

3,140,a. *Aggredienti aliquando Pytheæ*] Locus eſt, vt apparet, mutilus: quem ſi affirmem me ſatis aſſequi, nuger.

3,141,b. *Poſtquam autem Leoſthenes ciuitatem præcipitem in bellum Græcum dictum egit*] Xyl. vertit *Lamiacum*. & annotat, In Græco eſt Ἑλληνικὸν πόλεμον, Græcum bellum: quod expreſſit Amiotus. Lapus, quum rem non teneret, neſcio quid de inferendis Græciæ armis commentus eſt: quum quidem in libertatem aſſerendæ Græciæ cauſa ſit ſuſceptũ, omnéſque ferè exceptis ſolis Bœotis Græci cũ Athenienſibus ſocietatem eius coiuerint. Eſt enim id bellum quod Leoſthene duce geſtum eſt contra Antipatrũ: qui quum ab eo victus Lamicum, Theſſaliæ vrbem, confugiſſet, bello Lamiaci nomen factũ eſt. Deſcribitur perſpicuè à Diodoro lib. 18 Biblioth. & à Pauſania in Atticis, à Iuſtinio lib. 13, & aliis.

3,143,a. *Vbi pedites Antiphilus*] Viden' oſcitantia quid faciat? Lapus oblitus paulo ſuprà Antiphilum hunc nominatũ, qui Leoſtheni ſuccederet, eum & Menonem Theſſalum (cuius etiam alibi meminit Plutarchus) Macedonibus affingit: quum fuerint Græcorum duces. Id vaniſsimum quòd idem Lapus Phocioni eam victoriam adſcribit: quem non interfuiſſe, ex antecedentibus patet. atque hunc errorem tamen quidam ſequuti, idem ad Iuſtini librum 13 annotauerunt.

3,145,a. *Tunc circa dies illos faſciæ quibus myſticos lectos rediminunt*] Xyl. vertit, *Iis verò diebus quũ faſciæ quibus myſticæ ciſtæ innoluuntur*. & annotat, κοῖται. ſic Varinus, κοίτην Atticè vocari τὴν μικρὰν κίστην. & haud ſcio an idem ſint quod λίκνον, de quo annotaui in Alexãdro. Lapus victimas imperité. Statim *Pallidum*, θάψινον eſt in Græco. Neque videre poſſum cur atrum verterit Lapus. Eſt enim vtique θάψινον, Quod thapſi colorem habet. Thapſus quid ſit, non indico. multis ſcio videri eſſe verbaſcum, *vulgò vullzraut*: quæ eſt ſanè pullis foliis prædita herba, flore luteo, odoris violacei. Pallidum autem intelligi τῷ θαψίνῳ, apparet ex Theocriti Pharmaceutria, Καί μευ χρὼς μὲν ὅμοιος ἐγένετο πολλάκι θάψῳ, *Sæpe ego pallebam, thapſi ſuffuſa colorem.* Quæ ibi ſcholiaſtes habet, à nobis ſtant. Sed & Nicander in Alexipharmacis, de palleſcentibus ob epotum ranæ venenum, Τῶν ἤτοι θερέεις μὲν ἐπὶ χλόον, ἠὔτε θάψος. id eſt, vt Scholiaſtes ait, οἱ φαρμακευθέντες ὠχροὶ γένονται· ἡ δὲ θάψος ἐστὶν εἶδος βοτάνης χλωρᾶς. Καθαρὸς λιμένα, an purus ſit, an verò Catharus ſit proprium, non facilè ſuccurrit. Paulo pòſt ἐκπεπολιορκημένοις, *Carcere incluſis* ineptè vertit Lapus.

# IN CATONEM VTICENSEM annotationes Guil. Xylandri & Herm. Cruſerii, interpretum.

HIC Cato, vt à Maiori ſeu Cenſorio diſtingueretur, modò Minor ſeu inferior, modò Vticenſis, à loco in quo mortem oppetiit, dicitur. Plutarchus in Pompeio, & fine Catonis maioris, Philoſophi cognomento eum dignatur. Genealogiam eius ibidem attingit. ſed & locus iſte mancus eſt, & apud Gellium lib. 13, cap. 18, explicatur perſpicuè gentilitas hæc: itaque eam ſuccinctè huc tranſcripſi.

M. Porcius Cato Cenſorius

- M. Cato, qui viuo patre obiit, prætor deſignatus.
  - M. Cato, M. F. M. N. conſul periit in Africa, Anno DCXXXVI.
    - Cato, qui poſt præturam in Gallia Narbonenſi deceſsit.
- M. Cato Salonianus, ex Salonii filia.
  - L. Cato.
  - M. Cato, mortuus in petitione præturæ.
    - M. Porcius Cato, Vticenſis.

In loco Plutarchi quem dixi, verba ſunt confuſa: ita quidem vt niſi ſuo loco reponantur, non modò non pronepos (quod & in confeſſo eſt, & hîc diſertè teſtatur autor) Vticenſis fuiſſe videatur Cenſorii, ſed ne à Salonio quidem ortus. Illum itaque locum emendabis, manentibus iiſdem, ac tantùm alio ordine collocatis verbis, ſic: ὁ δὲ Κάτων α.γ—τελευτήσαντος υἱοῦ. Καὶ Σαλώνιος μὲν ἐτελεύτησε στρατηγῶν· ἦν δὲ πάππος οὗτος. Hæc autem, ὁ δὲ ἐξ αὐτοῦ γενόμενος Μάρκος, ὑπάτευσεν, parẽtheſi includi debent, & quidem pro αὐτοῦ mallem, ἑτέρου aut ἐκείνου. vt intelligatur non ad Saloniũ ſeu (vt Gellius vocat) Salonianum referri, ſed ad eum qui Tertiam AEmilii Pauli filiam in matrimonio habuit. Porrò autem Cato Vticẽſis præter Porciã ſororem, quã vxorem fuiſſe Plutarchus ait L. Domitii, eius qui Cæſari ſucceſſor deſtinatus bello ciuili periit, etiam ex vitrico Seruilio fratrem habuit Cæpionem nomine, & ſorores Seruilias, quarum vna M. Bruti, eius qui Cæſarem necauit, mater fuit, altera L. Luculli vxor, & item tertia Iunii Silani vxor. Non autem Capionem, ſed Cæpionem eſſe legendum, vel ex eo

patet quòd notissimum gẽtis Serviliæ cognomen est Cæpio.

3,153,b. *Apud Liuium Drusum auunculum*] Liuium Drusum auunculum fuisse Catonis huius, satis constat cùm aliunde tum ex Miloniana Ciceronis. ne quis mendum Græci codicis sequatur, vbi legitur, θείῳ μὲν ὄντι τῆς μητρὸς, matris auunculo: quum fit legendum non τῆς, sed πρὸς μητρός.

3,154,a. *Silo Pompedius*] Sic esse legendum, in Mario ostendi. Refert hanc historiam iisdem propè verbis Valerius Maximus lib. 13, cap. 1.

3,157,a. *Inuita Venere*] qui est fortunatissimus talorum iactus. Solebant autem in conuiuiis archiposiam, id est, Magisterium bibendi, talis sortiri. Cuius rei mentio cùm apud alios sit crebra, tum apud Horatium. vt ad Sestium, *Nec regna vini sortiere talis*. Et ad Pompeium: --*Quem Venus arbitrum Dicet bibendi?* Hoc modo etiam partes ciborum fuisse sorte ductas hinc apparet. Reliqua Lapus non rectè.

3,158, b. *Lege lata ne candidati nomenclatores haberent*] ὀνομακτολόγοι. Annotatum erat hoc ad marginem à correctore, quum quidem Lapus rectissimè ita vt nos vertisset. Erat autẽ Nomenclator, seruus qui candidatum sequebatur, eùmque ciuium nomina docebat quos ille compellaret, atque vt sibi fauerent, oraret. Idem Monitor dicebatur: quod ex Mureniana Tullii oratione apparet. Festus etiam Fartorem fuisse dictum scribit, quòd clàm veluti inferciret in aures candidati nomina salutandorum ciuium. De quo accipio etiam Horatii versus ad Numiciũ, de petitione magistratus ita scribentis: *Si fortunatum species & gratia præstant, Mercemur seruum qui dictet nomina--.* & quæ sequuntur. Quod autẽ est in Græco, ἐπιδέσθαι τῷ νόμῳ, καὶ δι' αὐτοῦ: Lapus vertit, eum seruasse illam legem, eíque obtemperasse. Atque hoc opinor imposuit doctissimo cuidã viro vt hoc ipsum etiam in commẽtario Murenianæ orationis scriberet, negari à Plutarcho id quod Cicero obiicit Catoni, nempe eũ opera nomenclatoris vsum. Ego verò hoc ex Cicerone accepisse Plutarchum suspicor, & ab eo nequaquam dissensisse. Certè Græca verba idem habent cum Latinis Tullianis, nisi quòd αὐτοῦ scribendum est, non αὐτοῦ. Nam verbum ἐπιτίθεσθαι cum datiuo, Obsequi aut Obtẽperare nequaquã significat: Adoriri autem, impugnare, resistere, & similia, frequenter apud optimos scriptores. id quod exemplis collectis post Budæum docere, non est operæ.

Ibidem d. *Non formidinem detraxit imperio*] Xyl. vertit, *Non metũ suæ potestatis eis ademit*. & annotat, ὦ τὸν φόβον ἀφεῖλεν. Lapus, *Nõ timore iniecto*: nescio quid sequutus. Nostram quidem lectionem probo. Indicat enim, Catonem nõ pro imperio tantùm militibus mãdasse aliquid, sed & causas simul exposuisse, vt non tam metu potestatis suæ eos cogeret, quàm explicandis factorum rationibus ad officium faciẽdum duceret. id quod fuit consentaneum ingenio Catonis, qui & ipse præceptori suo ita paruisset vt causas singulorum mãdatorũ sibi reddi postularet. Quæ autem paucis interiectis versibus sequũtur, *Omnes qui imperatorum nomẽ, &c.* quum sint perspicua in Græco, & Catonem tum cum militibus, tum cum imperatoribus cõponant, idem Lapus admodum in-

fulſè corrupit. Non enim fuit Catonis, militem adulari, aut imperatoris nomine dignari. Sed refutare apertũ errore, non eſt operæ.

3,160,b. *Ita non gladio ſolùm*] Omiſſa hæc ſunt à Lapo, Cæſaré autem (ni fallor) notat, eiúſque Anticatonem: qui non agendi modò, ſed & ſcribendi quæ vellet, impunem licentiam armis rerum potitus ſibi vendicaret.

Ibidem,d. *Super ſarcinas tacitus ſedens*] Xyl. vertit, *Apud clitellas tacitus ſedens.* & annotat, ἐπὶ τῶν φορτίων, Impedimenta, Sarcinas. Lapus, *ob magnitudinem curarum*: quaſi ſi φροντίδων legiſſet.

3,163,a. *Quum petere quæſturam legitimè poſſet, non antè acceſſit ad petendum, &c.* Xyl. vertit, *Quæſturam non antè ambiit.* & annotat, μετῆλθεν. id autem non eſt inire, ſed petere magiſtratum, quod ſatis notum puto. Senſum totum huius loci Lapus leui momento peruertit.

Ibidem,c. *Alteri teſtamenti ſubiecti formulam intendit*] Xyl. vertit, *Alteri cuidam falſi dicam ſcripſit.* & annotat, ῥᾳδιουργίας. Ego ita propriè exponi puto: alii ſuppoſitioné teſtamenti. qua de ſpecie mihi hîc non ſatis conſtat. Lapus negligenter negligentiam extulit. Sanè in Actis Apoſtolorum, cap. 18, ἀδίκημα & ῥᾳδιούργημα coniunguntur. Apud Xenophontem lib. 2 De dictis & factis Socratis, ſicut & apud alios, ῥᾳδιουργία opponitur virtutis & laboris honeſtæ actioni. quod Euſtathius in δ Homericæ Vlyſſeæ exponit ἀκολασίαν.

3,166,c. *Amnæus*] Ἀμναῖος, ſic eſt in Græco. apud Lapum, Amicus. nobiſcum legit etiam Gallicus interpres: tametſi hoc nomen non ſatis eſt notum. Sanè etiam in Lucullo hoc dictum retulit ita vt à quibuſdam id Catoni ipſi attributum diceret.

3,174,d. *Ex duabus Catonis fratris & ſororis filiabus nubilibus*] Xyl. vertit, *De duabus Catonis neptibus.* annotátque, ἀδελφιδᾶς eſt in Græco. Sed id ambiguum eſt. nam & fratris filia, & ſororis filia intelligi hoc vocabulo poteſt. Et haud ſcio an Cæpionis filiam intelligi hoc loco par ſit, quam vnicam ab eo relictam ſuprà dixit Plutarchus. de altera nihil mihi conſtat. Suprà quidem Seruiliarum, & mox iterum ſororum Catonis fit mentio: vt videri poſſit, ſororis aut vtramque aut alteram harum filiam eſſe. Sed hæc peritiores explicent.

3,175,a. *Quum conſulatum amico cuidam quæreret*] L. Afranio: Plut. Pompeio, & aliis.

3,176,c. *Metelli*] Numidici illius magni. Hiſtoria eſt cum alibi, tum in vita Marii.

3,178,c. *Per Canidium amicum*] Ita hîc ſemper: infrà in Bruto, Caninius.

3,180,b. *Pignora ſe ab ipſo capturum*] ἐνέχυρα λήψεσθαι. Qui intelligere vult quid hæc ſibi verba velint, (eſt autem operæprecium) legat primam Cic. Philippicam, & Præf. libri De oratore tertii.

3,181,c. *Eique præturam extra ordinem decreuit*] ἐξαίρετον στρατηγίαν ſic interpretor. Dio lib. 39 ita explicat vt præturam ei decretam dicat, quæ legibus ei nondum concederetur. Natus tum fuit Cato annos triginta octo: ſiquidem anno V. C. DCCVIII ſeipſum interfecit Vticæ, annos natus (vt Plut. ait) duodequinquaginta. & verò quadrageſimus annus præturæ gerendæ legibus erat definitus, vt alibi oſtenditur. Ergo locum habere Dionis ſententia vi-

detur. nam Valerius Max. lib. 4, cap.1, videtur paulo aliter sentire. Senatus, inquit, relationem interponi iubebat, vt prætoriis comitiis extra ordinem ratio eius haberetur. quod ita videtur intelligendũ esse vt non suffragiis (quod erat moris) sed autoritate senatus nouo exemplo prætor crearetur. Nam subdit Valerius, Catonem id repudiasse, quòd campestrem experiri temeritatem quam curiæ beneficio vti satius duceret. Mihi tamen (vt dicam quod sentio) magis placet Dionis mei sententia, quæ petitionem ei ante tempus legitimum concederet, cætera prætoriis comitiis permitteret: quibus vsurum fuisse secundis, & impetraturum præturam, non erat dubium, populo tanto ipsius munere delinito, ac mirifico eius fauore repleto. neque enim arbitror Senatum, illo in Catonis honorẽ facto decreto, suum populo ius totum adimere voluisse. Atque haud scio an commodè etiam Valerii verba in eandem sententiam exponi possint, vt intelligatur Catonem maluisse suo legitimo tempore totam præturæ petitionẽ populi suffragiis permittere, suóque iure adipisci, quàm tum eam Senatus allato ad populum recenti beneficio deuinctum præiudicio quasi per gratiam consequi.

3,183,b. *Extemplo magistratũ inirent*] Xyl. vertit, *Statim magistratum inirent*. & annotat, In Græco locus est deprauatus mutilatúsque: ἐν ᾧ τοῖς ἀϱχαίϱεσιοι τὸν δῆμον ἤσαν. hic aliquid etiam deest: & quæ sequuntur, confusa sunt. Sensum aperire conabor. Mos erat Romæ vt qui vel consules vel prætores etiam essent designati, non statim magistratum inirent, sed tempus aliquantum consules vel prætores designati manerent. Id verò tempus vt intercederet inter design. tionem & acceptionem magistratus, eò præsertim erat institutum vt inquiri posset qui designati essent, iustène an largitione & emercando suffragia honorem consequuti essent. hoc enim qui commisissent, se comperta legibus ambitus interrogabantur, & pœnas dabant, magistratu arcebantur. Hoc modo animaduersum est in P. Antonium, & P. Syllam coss. designatos: quæ historia describitur a Dione lib. 36: à Salustio in Catilina, à Suetonio in Iulio. Pompeius itaque & Crassus, quũ à prætura excludendi Catonis causa statuissent suos clientes summa largitione & suffragiorum corruptela ad præturam euehere, ac intelligerent fore vt vel Cato vel alius aliquis ambitus eos reos perageret, voluerunt eos inquisitionis & iudicii periculo liberare: itaque statim, vt inirent præturam, illudque tempus inter eorum designationem & magistratum non interueniret, senatusconsulto statuerunt. Hanc puto esse genuinam loci sententiam: verba sine codice restituere non ausim.

3,185,d. *Singuli quingena sestertia*] δεκαδύο ἥμισυ μυϱιάδας δϱαχμῶν. Lapus peruertit, vt solent in hoc genere. Efficiunt autẽ drachmarum 125 millia (hoc est 12½ per decẽ millia multiplicata) 500 millia sestertiorũ nummorum, seu (quod idem est) quingenta sestertia. Quod annotare visum est vt intelligatur hac de re eadẽ loqui Ciceronẽ lib. ad Atticũ 4, epistola de Eutychide. Tribunitii (inquit) cãdidati iurarunt se arbitrio Catonis petituros: apud eum II-S quinquagena deposuerunt; qui à Catone damnatus esset, id perde-

ret, & competitoribus tribueretur. Rei huius etiam meminit obiter in præfatione Naturalis historiæ Plinius.

3,186,b. *Iniustitia præcipuè vt vitio, &c.*] Xyl. vertit, *Eò quòd turpitudo iniustitiæ vt certi atque aperti vitii fugiatur.* & annotat, Locus hic deprauatus est haud dubié: itaque ita diuinaui vt libenter sim meliora & certiora afferenti cessurus.

3,187,a. *Apollodorus*] Meminit huius cùm alibi tum vt qui insanus diceretur, Plato initio Symposii.

Ibidem c. *Collega Fauonii Curio*] Δουρίων malè est in Græco. Lapus nomen omisit. Amiotus Curionem habet, quod probo, & Κουρίων repono.

3,188, d. *Munatio Flacco*] Μουνατίῳ Φλάκκῳ: móxq; iterū Φλάκκος est in Græco: & retinuit Lapus, retinuit Amiotus. Ego tamen minimè dubito quin Plancus sit legendū. Intelligitur enim T. Munatius Plancus, qui tribunus plebis cum Clodiano cadauere curiā incenderat: quo scelere eū damnatum fuisse Dio lib. 40, satis disertè demonstrat, & Cicero ipse Philippica XIII. Sequuntur, inquit, alii tribunitii, T. Plancus in primis: qui si senatum dilexisset, nunquam curiam incendisset: quo scelere damnatus, in eam vrbem rediit armis ex qua excesserat legibus, &c. cuius quidem rei mentio, sed obscurior, extat etiam in sexta Philippica. Est autem Plancus Munatiorum cognomen, nō Flaccus. Cæterùm de reiectione iudicum reo permissa, quia sæpe Cic. & alii meminerunt, éstque res non obscura, explicare supersedeo.

3,191,d. *Primùm nefanda redarguam*] Siquis Bellerophonti libidinem, aut Lucretiæ impudicitiā, aut Vlysſi stoliditatem obiiciat, quum cōstet eos virtutibus horum vitiorum contrariis præstantissimos fuisse, impudenter ac sceleratè mendax videatur meritò, eáque dicere quæ nefas sit loqui, adeò cum veritate pugnātia. Idem Amphitruo Lyco respondet, quum is notissimæ fortitudinis heroē Herculem non erubuisset timidum & meticulosum appellare. Locus est in Hercule furente, apud Euripidem. Legendum autem est τ' ἄῤῥητ', non τὰ ῥητά: quod sensus & exemplaria Eurip. satis docent.

3,194,d. *Appium Varum*] Ἄππιον mendosè, pro Ἄττιον. patet ex Dione.

3,200,d. *Quantumuis dissimularet*] Xyl. vertit, *Ac si nihil tale cogitaret.* & annotat, καίτοι οὐ πάσχοντος. verba vidētur mutila. nisi fortè exponere libeat, *quanquam id ipse non pateretur.* Sed ego minimè hoc quod statuerat, præ se tulisse Catonem iudico.

3,204,c. *Consulam autem quodā modo vobiscum*] Xyl. vertit, *Deliberabo autem etiam vobiscum.* & annotat, Et hic meas coniecturas ac Amioti versionē sequutus sum, Græcis non satis (vt suspicor) integris.

IN DI-

# IN DIONEM ANNOTAtiones Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

DIO Platonis fuit & Dionysiorum Siciliæ tyrannorũ coætaneus. Præclarissimum eius liberatæ insulæ facinus, propè in natales Alexãdri Magni incidit. Vide de eo Diodorum Siculum libro decimosexto.

3,472, a. *Sicut ait Simonides*] Eius versus refertur ab Aristotele primo volumine Rhetoricorum, cap.6: Κορινθίοις δ' οὐ μέμφεται τὸ Ἴλιον. id est, *Neque Ilium Corinthiis irascitur.*

3,474, b. *Vt ipse scribit Plato*] In epistolis ad eius familiares.

3,475, d. *Aretæ fratri eius Thearidi nupsit*] Cuius? Aretæ ne an Dionysii? est enim ambiguum. Posterius placet. nam fratres Aretæ Hipparinum & Nyseum vocat AEmilius Probus: qui quidem has nuptias præterit.

3,477, b. *Pernicaciam, tanquam solitudinis contubernalem, vt declinaret*] τὴν αὐθάδειαν, ἐρημίᾳ ξυνοικοῦσαν. Extat Platonis locus in epistola ad Dionem, quæ est in ordine quarta. ἐνθυμοῦ δὲ, inquit, καὶ ὅτι δοκεῖς τισὶν ἐνδεέστερος τοῦ προσήκοντος θεραπευτικὸς εἶναι. μὴ οὖν λανθανέτω σε ὅτι διὰ τοῦ ἀρέσκειν τοῖς ἀνθρώποις καὶ τὸ πράττειν ἐστίν· ἡ δ' αὐθάδεια, ἐρημίᾳ ξύνοικος. Hunc locum sæpe citat noster Plutarchus. Verba autem Platonis satis ostendunt, αὐθάδειαν παρὰ τὸ αὐτὸς & ἁδεῖν esse dictum vitium, quum quis sibi nimium ipse placet, neque curat quid alii de ipso sentiant. Ego arrogantiam atq; etiã contumaciã Latinè verti posse censeo: tametsi nonnihil in hoc Græco, vt & sæpe in aliis, amplius quàm in Latino inesse videatur. Est autem vitium in quod ferè etiam boni incidunt, qui optima freti conscientia, non cogitant aliquando inter quos agant homines. quo nomine Catonem philosophum, vtpote Stoicum, reprehendere haud iniuria videtur Cicero. Illa altera, malorum planè & famæ contemptorum est, arrogantia, πάνυ ὀλιγώρως ἐχόντων περὶ τοῦ ἄλλοις ἀρέσκειν, qui nihil famam curant, neque quidquam eos pudet: in quos est illud Tullii 1 Offic. Negligere quid de se quisque sentiat, non solùm arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti.

3,483, d. *Ita venisse tertiò se Plato in fretum Siculum refert*] Est & hic locus in epistola ad necessarios Dionis, prolixa illa, quæ est numero epistolarum septima: sicut & bona pars harũ narrationũ inde est à Plutarcho desumpta. Cæterùm versus qui sequitur, ibidem extat, iisdem quibus est apud Homerum Vlyssea lib.12. verbis, vt non possim cogitare vnde vox ἐξελασθρώσασθε hoc loco irrepserit, pro Homerica ἀναμετρήσασθε. Siquidem à Plutarcho mutata est persona: illa autem mẽdosa vox neque sensum habet, & versum vitiat.

3,485, d. *Senectutem Dionis*] γῆρας in Græco ambiguè. Amiotus ad Dionem retulit, quod & mihi videbatur.

3,487, d. *Vecti sunt Dionis milites nauibus duabus onerariis*] στρόγγυλον Græcis rotundum significat, aut verius teres. itaque puto hoc genus nauigiorũ lõgis nauibus opponi. Exemplo tamẽ grauissimo-

rum autorum, qui in similib' idem fecerunt, malui Græcam vocē retinere quam nō satis perspicuam pro ea ponere.

3,488,d. *Carthaginensium præfectus Synalus*] apud Diodorum in huius narratione rei, Paralus nominatur.

3,490,c. *Ab obuiis malè mulctati*] Xyl. vertit, *Verberibus cæsi.* & annotat, τυμπανιζόμενοι. Guarinus vertit, *Virgis enim cæsos excoriarūt*: sequutus (opinor) Suidā, cui τυμπανίζεσθαι est nō modò ξύλῳ πλήττεσθαι, sed ἐκδέρεσθαι etiam, & κρεμᾶσθαι, suspendi. quod si libet sequi, in crucem actos vertamus. est enim planè consentaneū, supplicio illos corycæos acerbissimo affectos. Interpres Aristophanis in Pluto, ad versum, ὦ τύμπανα καὶ κύφωνες οὐκ ἀρήξετε; baculos quibus damnati feriretur, ait fuisse tympana. quem sequutus sum. Est etiam in epistola ad Hebræos vox ἐτυμπανίσθησαν, cap. 11. Antiquus & Erasmus verterūt, Distēti sunt: Castalio, Cruciati. Dicitur & ἀποτυμπανίζεσθαι, apud nostrum in Galba, & verò apud Aristotelem 2 Rhet. cap. 6, de Antiphonte à Dionysio supplicio affecto. Eustathius in 5 Vlyss. ex Euphorione Chalcidensi & Athenæo tradit, ἀποτυμπανισθῆναι esse τὴν κεφαλὴν πελέκει ἀποκοπῆναι. vt in tanta interpretum varietate liceat quod vis sequi.

3,491,b. *Solarium*] ἡλιοτρόπιον. Est autem ferè solarium, vt ex Cicerone & Varronis l. 5 De lingua Latina percipimus, horologium in quo ex vmbra gnomonis in sole horæ possunt cognosci: quomodo Græcam vocem grammatici & Plutarchi interpretes acceperūt. tametsi haud scio quàm absurdè pro suggesto vel tribunali in sole posito accipere possimus, secunda etymologia: quomodo apud Athenienses ἡλιαίαν dictam aiunt. nisi quòd sequentia ostendunt, de horologio fieri verba.

3,497,a. *Quin omnium hominum studiosissimus fuerit tyrannorum*] αὐτὸς αὐτὸν οὐ δυνάσται, &c. refertur hoc ad Ephorum, si Græca sequimur: qui sanè an tyrannis tantopere & eorum vitæ instituto fauerit, non scio: neque memini ea de re quicquam legisse, neque ego arbitror tamen eum talem fuisse. Guarinus ad Philistum retulit, quasi illius vitia nulla oratione potuerit Ephorus diluere: quod ego consentaneum puto, & probaui, vt loco etiam huic (quicunque fuerit Ephori de tyrannide sensus) conueniens. Legendum ergo esset αὐτὸς ἑαυτόν. in voce αὐτὸς, vt sit emphasis, ad facundiam eius & vitia tegendi calliditatem respiciens.

3,504,b. *Syracusanis imperat singulis vallum cędere, & prope murum proiicere*] Xyl. vertit, *Singulis Syracusanorum singulos vallos cædere, & ibi deponere iussit.* & annotat, ἕκαστον ἐκέλευσεν ἕνα κόψαντας τάφρον ἐγγὺς καταβάλλειν. Qui verba hæc consideret, facilè intelliget interpretes errasse, dum ita exponunt quasi Dio Syracusanos iusserit singulas fossas prope ruinas muri agere. quid enim erit κόψαντας & καταβάλλειν? quæ sanè fossæ nihil congruūt, quam cædi non propriè dicimus, multo minus deiici, vel deponi. Consequēs est vt aut τάφρος vallus sit, aut vocabulum mendosum. Posterius verum est, (nam τάφρος fossa est, non vallum) & procliuis fuit ad mendam lapsus. scripserat enim autor κόψαντα σταυρόν. (aliâs κόψαντας si κατὰ σύνθεσιν accipias, etiam σταυροὺς debebat dixisse) litera σ ad

vocis præcedentis finem ab oscitante librario est translata, & πα-φορὸν idē scripsit, υ in φ (vt vitiosa pronunciandi ratione est receptum) deinde mutata. Hæc menda interpretibus peruertendi sententiā loci huius ansam præbuit.

3,507,c. *Vt ait Plato*] Locus est lib. 8 De repub. quasi confusum aliquid, & in quo omnium formarum reipub. exempla in promptu sint, per παντοπώλιον, seu nundinas, intelligit.

3,509,a. *Per dolorem aliquem animi & iram ex parua & puerili ortam occasione*] Apud AEmilium Probum legitur ea, sed quidem satis seria: nempe quòd hactenus luxuriose & dissolutè quū vixisset, patre rerum potito, & eū ad temperantiam reuocante, mutationem non ferret.

# IN M. BRVTVM ANNOTAtiones Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

QVòd initio statim affirmat Plutarchus, & postea Posidonio teste videtur confirmare, M. Brutum à Iunio Bruto qui primus eiectis Tarquiniis cōsul fuit Romæ, genus traxisse: id & Dionysius Halicarnasseus libro quinto pernegat, autor grauissimus, & Dio lib. 44, scriptor Romanarum rerum minime oscitans. Sed id viderint alii. Illud nobis annotandum fuit, quo loco est in Græco statim tertio principii versu, ψυχηλάτα τῷ ξιφῶν, vertisse Guarinū, *ensem fulmineum*: quàm appositè, nemo non videt. Continent autem ea verba non illepidam comparationem. Quippe & gladii quales nos exposuimus, facilè nimiam ob rigiditatem franğūtur: & nimia huiusmodi ac prædura ingenia, ferè sibi causa mali sunt. quomodo iste Iunius & liberis sese & vita priuauit. Mox ingenium vertit graue & humile, non animaduertens, πρᾷον τῷ ἐμβριθεῖ minimè esse contrarium, sed quasi consequēs, (aliâs absurdè contraria eidem tribueremus, quod ille fecit) & placidum seu pacatum significare, non temerarium aut inquietum. Sic infrà in Cicerone de Terentia, τὸ πρᾷον & ἄτολμον coniunguntur.

3,511,a. *A Seruilio Hala*] Seruilium plerique antiquas inscriptiones sequuti AHALAM scribunt, vulgo HALAM. Ego puto ALAM etiam rectissimè scribi posse, idq; multo esse quàm HALAM verius. Nam cognomen est à parte corporis quæ axilla (quod & ipsum cognomē Seruiliorum est) & concise ala dicitur. Ex Cicerone patet hoc. is in lib. ad Brutum, qui Orator inscribitur: Quomodo (inquit) vester Axilla (loquitur de Seruilio Axilla: & cur vestrum vocet, ex hoc Plutarchi loco patet) Ala factus est, nisi fuga literæ vastioris, &c. Ergo apparet H aspirationē inter duo A A interiectam quòd ea syllaba esset longa, & ex concisione vocabuli orta, inq; pronunciando circūflecteretur. vnde fortassis Græci Ἄλας sumpserunt: vt Latinius, hoc est, magis recepta Latinorum consuetudine, nos ALAM quàm AHALAM scripturos videatur.

Sed hæc scire quàm mutare, tutius est. Quod Plutarchus porrò scribit, Seruilium gladium sub axilla seu ala ad SP. Mælium obtrūcandum detulisse, cogitationem inijcit, fortè inde cognomen hoc ortum. Sed hoc est opinari. Historia est cum alibi, tum apud Liuiū lib. ab V. C. 1111. Pro Μάνλιον, scribe Μαίλιον. Guarinus ab Ahala in forū tractum, nescio quid sequutus, Mælium vertit.

3,512,a. *Sed plebeium hunc Bruti dispensatoris fuisse filium*] Bruti dispensatoris, οἰκονόμου Βρούτου. intelligo, qui dispensator fuisset. neque enim Bruti ad illum priscum posse referri videtur, neque etiam deberi: vtcunque id interpretes ausi sint. Græca enim verba neque mendosa videtur, & ab eorum sententia abhorrent: nisi υἱὸν exponas αὐτὶ ἀπογόνου. Sed & Βρούτου non erat Plutarch. sine pronomine ἐκείνου, aut simili particula, positurus, si quidem priscum illum voluisset intelligi.

Ibidem d. *Latinè fuit Brutus ad castrensem & forensem dictionem satis exercitatus*] Xyl. vertit, *Romano quidē sermone Brutus ad excursiones & contentiones orationum sufficienter exercitatus fuit.* & annotat, Ad militarem hæc facundiam Guarinus non rectè applicat.

Ibidem, d. *Fateamini nos læsisse*] ὁμολογεῖτε ἀδικεῖν με. ita legitur in epistolis Bruti, ab Aldo cum aliis impressis, rectius quàm in nostro, ὁμολογεῖτε. Ibidem epistola ad Samios citra interrogationem legitur. Tertia est ad Lycios. in fine scribitur ἐλέσθαι, quod etiā citra aliud exemplar patebat legendum. Res ipsæ ex sequentibus historiis patebunt.

3,513,b. *Præmiserat iam amicum quendam Caninium*] In vita Catonis & huius ipsius rei narratione constanter Canidius legitur. Haud facilè dixerim vtra in parte sit mēdum. nam vtrunque est nomen Romanum.

Ibidem c. *Nam pater eius antè fuerat per Pompeium interfectus*] M. Brutum, huius patrem, Lepidi sectatorē, à Pompeio interfectum, & suprà autor in huius vita & tota illius belli historia docet, & Liuius epit. 90.

3,515,a. *Et verò etiam Afrorum regem defendens premebatur magnitudine criminum*] Est in Græco, τῷ τῶν Λιβύων βασιλεῖ, regi Africæ. quod si rectè legeretur, esset nimirum de Iuba intelligendum. Sed ego Brutum apud Cæsarem pro hoc intercessisse ne suspicor quidem. Et video vtrunque interpretem sequutum Græca: sed ego mēdum suspicor, & de Deiotaro loqui Plutarchum. Quod etsi eo durius videri alicui poterit, quia Λιβύων vox neque cum Γαλατῶν, neque cum Ἀρμενίων (nam Armeniæ minoris regem Deiotarum fuisse, Hircius ait: Gallogræciæ, quæ est Galatia, tetrarcham. sed & hos cōstat reges dici aliquando) quicquā affine habeat: tamen duobus nitor argumentis, an coniecturis? Vna est, quòd pro Deiotaro intercessisse apud Cæsarem, Brutum, ex prima Ciceronis ad Atticum libri 14, epistola, apparet: altera, quòd hoc dictum Cæsaris de Bruto ibidem refertur. Iam Deiotarum parte sui regni mulctatū fuisse, ex quadragesimo libro Dionis, quin & ex Cicerone & aliis, constat. De Iuba nihil tale legi puto vsquam. Propria autem nomina absurdissimè in Græcis sæpe corrupta esse, ita vt vestigia vix leuia superent, notius mihi est quàm voluissem. Si tamen cui hæc non pla-

cent, *ἁμάρτημα μνημονικὸν* Plutarchi annotet.

3, 515, b. *Nam impudenter obsecrantibus succũbere*] Locus in Græco est subobscurus, ac nequaquam à Guarino intellectus. Continet autem hanc sentẽtiam, Nõnulli importunitate petentiũ amicorũ vincũtur, & se verecũdiæ nomine excusant: quòd scilicet puduerit eos amicis quidquam negare. *καλοῦσι δυσωπίαν*: vocãt vel appellãt hanc suam *ἧτταν* & concessionem, verecundiam. At eam Brutus turpissimam magno viro iudicabat. neque enim eum debere quiduis precibus suorum dare, sed interdum negare. Est autem *δυσωπῖσθαι*, Verecundia alicuius moueri, & quasi non ferre vultum eius, ob repulsam indignantis. Sic in Coriol. de petitione consulatus, de vulgo, *ἐδυσωποῦντο τὴν ἀρετὴν*, Virtutis Coriolani verecundia animos eorum mouebat.

3,516,d. *Quid vobis, inquit, ánne Brutus videtur hoc corpusculum expectaturus?*] Xyl. vertit, *An vobis, inquit, videtur Brutus hanc caruncularn non expectaturus?* & annotat, In Cæsare hoc aliter refertur: nempe Cæsarem, qui imperandi causa Brutum nequaquam impium in se (à quo tot esset beneficiis affectus) fore putaret, dixisse, *ἀναμένει τοῦτο τὸ δέρμα Βροῦτον*, Hæc cutis expectat Brutum. Quãquam malim & ibi legi ita, vt cũ hoc consentiret, *Βροῦτος* recto, nõ quarto casu, quasi diceret Brutum post se rerum potiturum, & expectaturum mortem ipsius.

3,518, c. *Quidã Q. Ligarius, Pompeii amicus*] X. vertit, *C. Ligarius*. & annotat, Frater, opinor, Q. Ligarii eius quem à Tuberone accusatum Cicero defendit. nisi fortè Quintus legẽdũ sit. paulo pòst Statilius socius Bruti dicitur. malim enim legere Statiliũ quàm *Στάλλιον*, Stallium. nisi fortè aliquis alius fuit.

3,525, d. *Cinna verò quidam poeta*] Xyl. vertit, *Cinna vir non postremæ in ciuitate dignitatis*. & annotat, in Græco est, *Κίννας ποιητικὸς ἀνήρ*. *Πολιτικὸς* legendum esse putabam, id est In rebus versatus. Fuit enim is C. Heluius Cinna trib. plebis, vt patet ex Dione libro 44, extremo: ex Appiani lib. 2 Ciuil. ex Valerii Maximi lib. 9, cap. 9. Non sum nescius, Cinnam hunc à quibusdam summis viris pro eo poeta accipi qui Smyrnam poema condiderit, sitque à Catullo laudatus: qui fortassis hoc ipso loco ducti ita censuerunt. Sed quia tam multi fuerunt Cinnæ, non temerè, nisi alia accedant argumenta, id affirmarim.

3,526, c. *Scenicos ipse Neapolim profectus*] Guarinus indoctè, Bacchi cultoribus. *οἱ περὶ Διόνυσον τεχνῖται* vocantur histriones. Vide Plutarchi quæst. Rom.

3,527, a. *Non dominum grauari Ciceronem, &c.*] Extant in hanc sententiam etiamnum epistolæ Bruti ad Ciceronem.

Ibidem, b. *Quemadmodum prosequuta sit Hectorem Andromache*] Totus hic locus ex libro sexto Iliadis Homericæ desumptus est.

3,528, b. *Perdidit at fatum me, &c.*] Latoides Apollo, Latonæ filius. verba sunt apud Hom. l. Iliad. decimosexto, Patrocli ab Apolline & Hectore & Euphorbo cæsi. Valerius Maximus refert hoc libro 1, cap. De ominib': sed Apollinem non à Bruto, verùm Cæsare & Antonio signo datum ait.

Ibidem, c. *Vicies I I-S.*] Guarinus valde imperitè, Quingẽta millia æris. Mille æris esse idem quod minam, id est centum drachmas,

Dionys. in libri septimi fine, (Cælius perperã ex octauo citat) quo loco certamina & sacrificia priscorum Latinorum cum Græcis comparat, hæc verba posuit: ὅταν γδ τέλος αἱ τῶν ἱππέων ἅμιλλαι λάβωνται, ἀποπηδῶντες ἀπὸ τῶν ἁρμάτων οἱ παροχούμενοι τοῖς ἡνιόχοις, οὓς οἱ ποιηταὶ μὲν παραβάτας, Ἀθηναῖοι δὲ ἀποβάτας, (deest καλοῦσιν, aut aliquid tale) τὸν σταδιαῖον ἁμιλλῶνται δρόμον αὐτοὶ πρὸς ἀλλήλους, hoc est, Equestribus enim finitis certaminibus, desilientes à curribus ii qui vnà cum aurigis vehuntur, (poetæ eos parabatas, Athenienses apobatas vocant) in stadio cursu inter se contendunt. Cælius quo dixi loco, contra & veritatem & mentem Dionysii, aurigas cum parabatis & apobatis eosdem facit: quod statim ex verbis apparet. Iam quod ipse Dionysius eosdem apobatas cum parabatis facit, id de certaminibus ludicris, non de pugna, intelligendum satis constat. ne quis putet hoc loco conuelli posse quæ de significatione verbi παραβάτης ad vitam AEmilii ex optimorum autorum sententia & exemplis scripsi. Tametsi satis etiam ex Iliade Homeri & Virgiliana AEneide liquet, eos qui de curribus pugnarent, sæpe de iis desiluisse, ac pedestri certamine dimicasse: ἀποβάτας tamen dictos legere non memini, & haud scio an vsquam legatur. In ludicris certaminibus, qualia Dionysius describit, παραβάτης, is qui vnà cum auriga in curru erat, quòd non pugnabatur, nihil habebat negocii nisi vt desiliret à curru & cursu decertaret: inde etiam ἀποβάτης idem dici potuit. Est enim ἀποβαίνειν descẽdere, seu desilire, hoc quidem loco: & annotauit Eustathius, ἀποβαίνειν in hoc genere dici ἀντὶ τοῦ πεζεύειν & καταβῆναι ἅρματος. Neque ego motus sum nominis tantùm etymo vt desultorium hîc verterem certamen, τὸν τοῦ ἀποβάτου ἀγῶνα: sed quia hoc vocabulũ bonis Latinis autoribus viderem aut hoc ipso, aut similimo planè modo vsurpatum. Liuius lib. 44, Mos erat tum, nondum hac effusione inducta bestiis omnium gentium circum complendi, varia spectaculorum cõquirere genera: nec semel quadrigis, semel desultore misso, vix vnius horæ tẽpus vtrunque curriculum complebat. Quod enim vel Calepinus, vel eius correctores atq; auctores equum desultorium eum esse dicunt, qui est κέλης Græcis, quum tamen ab vno duos simul esse ductos affirment: faciunt nimis imperité. saltẽ versus eos monuisset Odyss. ε, —αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς ἀμφ' ἑνὶ δούρατι βαῖνε, κέληθ' ὡς ἵππον ἐλαύνων. Non duo ligna, ex quorum vno in alterum transiliretur, sed vnicum equo celeti cõparat. Tum ex Pindaro notum est, & Plinii cap. 5, lib. 34, κέλητα currui opponi: at in curribus etiam fuisse ἀποβάτας, iam ex Dionysio dixi. Vocari fortassis possit ἀποβάτης etiam is qui in certamine ab equo defatigato in alterum integrum transiret, quũ quidem duos secum traheret: quomodo Numidas pugnasse, Liuius lib. 23 scribit. Suetonius in Iulio, cap. 39, Circensibus, inquit, quadrigas bigásque & equos desultorios agitauerunt nobilissimi iuuenes. Sunt & hæc verba Ciceronis pro L. Murena diligentius expendenda. Nescio quo pacto mihi videtur prætorius candidatus in consularem, quasi desultorius in quadrigarum curriculum, incurrere. Qui locus à Dionysii non vi-

detur abludere sententia. Porrò autem filio Phocionis Phoci, non Phocii nomen fuisse, annotandum duxi. nam in hoc libro promiscuè scribitur. Nos confirmet Athenæus, cuius (ne quem alium allegem) hæc sunt lib. 4, eandem rem exponentis: Διογένης ὁ Βαβυλώνιος ἐν τοῖς περὶ ἀγωγείας, Τὸν Φωκίωνος υἱὸν (φησι) Φῶκον ἐκ λῶ ὃς ἐκ ὁμίσει Ἀθηναίων, &c. vbi quidem quũ de hac ipsa victoria dicitur, est νικήσαντος δὲ ἵπποις Παναθηναίοις.

3,140,a. *Aggredienti aliquando Pythea*] Locus est, vt apparet, mutilus: quem si affirmem me satis assequi, nuger.

3,141,b. *Postquam autem Leosthenes ciuitatem præcipitem in bellum Græcum dictum egit*] Xyl. vertit *Lamiacum*. & annotat, In Græco est Ἑλληνικὸν πόλεμον, Græcum bellum: quod expressit Amiotus. Lapus, quum rem non teneret, nescio quid de inferendis Græciæ armis commentus est: quum quidem in libertatem asserendæ Græciæ causa sit susceptũ, omnésque ferè exceptis solis Bœotis Græci cũ Atheniensibus societatem eius coiuerint. Est enim id bellum quod Leosthene duce gestum est contra Antipatrũ: qui quum ab eo victus Lamicum, Thessaliæ vrbem, confugisset, bello Lamiaci nomen factũ est. Describitur perspicuè à Diodoro lib. 18 Biblioth. & à Pausania in Atticis, à Iustinio lib. 13, & aliis.

3,143,a. *Vbi pedites Antiphilus*] Viden' oscitantia quid faciat? Lapus oblitus paulo suprà Antiphilum hunc nominatũ, qui Leosthenei succederet, eum & Menonem Thessalum (cuius etiam alibi meminit Plutarchus) Macedonibus affingit: quum fuerint Græcorum duces. Id vanissimum quòd idem Lapus Phocioni eam victoriam adscribit: quem non interfuisse, ex antecedentibus patet. atque hunc errorem tamen quidam sequuti, idem ad Iustini librum 13 annotauerunt.

3,145,a. *Tunc circa dies illos fasciæ quibus mysticos lectos rediminunt*] Xyl. vertit, *Iis verò diebus quũ fasciæ quibus mysticæ cistæ inuoluuntur*. & annotat, κοίτας. sic Varinus, κοίτην Atticè vocari τὴν μικρὰν κίστην. & haud scio an idem sint quod λίκνον, de quo annotaui in Alexãdro. Lapus victimas imperité. Statim *Pallidum*, θάψινον est in Græco. Neque videre possum cur atrum verterit Lapus. Est enim vtique θάψινον, Quod thapsi colorem habet. Thapsus quid sit, non indico. multis scio videri esse verbascum, vnullz raut: quæ est sanè pullis foliis prædita herba, flore luteo, odoris violacei. Pallidum autem intelligi τοῦ θαψίνου, apparet ex Theocriti Pharmaceutria, Καί μευ χρὼς μὲν ὁμοῖος ἐγίνετο πολλάκι θάψῳ, *Sæpe ego pallebam, thapsi suffusa colorem.* Quæ ibi scholiastes habet, à nobis stant. Sed & Nicander in Alexipharmacis, de pallescentibus ob epotum ranæ venenum, Τῶν ἤτοι ξηρόεις μὲν ἀχλὺς χλόον, ἠύτε θάψος. id est, vt Scholiastes ait, οἱ φαρμακωθέντες ὠχροὶ γίνονται· ἡ δὲ θάψος ξύλον εἶδος βοτάνης χλωρᾶς. Καθαρὸς λιμὴν, an purus sit, an verò Catharus sit proprium, non facilè succurrit. Paulo pòst ἐκπεπολιορκημένοις, *Carcere inclusis* ineptè vertit Lapus.

# IN CATONEM VTICENSEM

## annotationes Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

HIC Cato, vt à Maiori seu Censorio distingueretur, modò Minor seu inferior, modò Vticensis, à loco in quo mortem oppetiit, dicitur. Plutarchus in Pompeio, & fine Catonis maioris, Philosophi cognomento eum dignatur. Genealogiam eius ibidem attingit. sed & locus iste mancus est, & apud Gellium lib. 13, cap. 18, explicatur perspicuè gentilitas hæc: itaque eam succinctè huc transcripsi.

M. Porcius Cato Censorius

- M. Cato, qui viuo patre obiit, prætor designatus.
  - M. Cato, M.F. M.N. consul periit in Africa, Anno DCXXXVI.
    - Cato, qui post præturam in Gallia Narbonensi decessit.
- M. Cato Salonianus, ex Salonii filia.
  - L. Cato.
  - M. Cato, mortuus in petitione præturæ.
    - M. Porcius Cato, Vticensis.

In loco Plutarchi quem dixi, verba sunt confusa: ita quidem vt nisi suo loco reponantur, non modò non pronepos (quod & in confesso est, & hîc disertè testatur autor) Vticensis fuisse videatur Censorii, sed ne à Salonio quidem ortus. Illum itaque locum emendabis, manentibus iisdem, ac tantùm alio ordine collocatis verbis, sic: ὁ δὲ Κάτων α.γ— τελευτήσαντος υἱοῦ. Καὶ Σαλώνιος μὲν ἐτελεύτησε στρατηγῶν· ἦν δὲ πάππος οὗτος. Hæc autem, ὁ δὲ ἐξ αὐτοῦ γενόμενος Μάρκος, ὑπάτευσεν, parenthesi includi debent, & quidem pro αὐτοῦ mallem, ἑτέρου aut ἐκείνου. vt intelligatur non ad Saloniū seu (vt Gellius vocat) Salonianum referri, sed ad eum qui Tertiam AEmilii Pauli filiam in matrimonio habuit. Porrò autem Cato Vticēsis præter Porciā sororem, quā vxorem fuisse Plutarchus ait L. Domitii, eius qui Cæsari successor destinatus bello ciuili periit, etiam ex vitrico Seruilio fratrem habuit Cæpionem nomine, & sorores Seruilias, quarum vna M. Bruti, eius qui Cæsarem necauit, mater fuit, altera L. Luculli vxor, & item tertia Iunii Silani vxor. Non autem Capionem, sed Cæpionem esse legendum, vel ex eo

patet quòd notißimum gētis Seruiliæ cognomen est Cæpio.

3,153,b. *Apud Liuium Drusum auunculum*] Liuium Drusum auunculum fuisse Catonis huius, satis constat cùm aliunde tum ex Miloniana Ciceronis. ne quis mendum Græci codicis sequatur, vbi legitur, θείῳ μὲν ὄντι τῆς μητρὸς, matris auunculo: quum sit legendum non τῆς, sed πρὸς μητρός.

3,154,a. *Silo Pompedius*] Sic esse legendum, in Mario ostendi. Refert hanc historiam iisdem propè verbis Valerius Maximus lib. 13, cap. 1.

3,157,a. *Inuita Venere*] qui est fortunatißimus talorum iactus. Solebant autem in conuiuiis archiposiam, id est, Magisterium bibendi, talis sortiri. Cuius rei mentio cùm apud alios sit crebra, tum apud Horatium. vt ad Sestium, *Nec regna vini sortiere talis*. Et ad Pompeium: -- *Quem Venus arbitrum Dicet bibendi*? Hoc modo etiam partes ciborum fuisse sorte ductas hinc apparet. Reliqua Lapus non rectè.

3,158, b. *Lege lata ne candidati nomenclatores haberent*] ὀνομακτολόγοι. Annotatum erat hoc ad marginem à correctore, quum quidem Lapus rectißimè ita vt nos vertisset. Erat autē Nomenclator, seruus qui candidatum sequebatur, eúmque ciuium nomina docebat quos ille compellaret, atque vt sibi fauerent, oraret. Idem Monitor dicebatur: quod ex Mureniana Tullii oratione apparet. Festus etiam Fartorem fuisse dictum scribit, quòd clàm veluti infercitet in aures candidati nomina salutandorum ciuium. De quo accipio etiam Horatii versus ad Numiciū, de petitione magistratus ita scribentis: *Si fortunatum species & gratia præstant, Mercemur seruum qui dictet nomina--*. & quæ sequuntur. Quod autē est in Græco, ἐπείθετο τῷ νόμῳ, καὶ δι' αὐτοῦ: Lapus vertit, eum seruasse illam legem, eíque obtemperasse. Atque hoc opinior imposuit doctißimo cuidā viro vt hoc ipsum etiam in commētario Murenianæ orationis scriberet, negari à Plutarcho id quod Cicero obiicit Catoni, nempe eū opera nomenclatoris vsum. Ego verò hoc ex Cicerone accepisse Plutarchum suspicor, & ab eo nequaquam dissensisse. Certè Græca verba idem habent cum Latinis Tullianis, nisi quòd αὐτοῦ scribendum est, non αὐτοῦ. Nam verbum ἐπιτίθεσθαι cum datiuo, Obsequi aut Obtēperare nequaquā significat: Adoriri autem, impugnare, resistere, & similia, frequenter apud optimos scriptores. id quod exemplis collectis post Budæum docere, non est operæ.

Ibidem d. *Non formidinem detraxit imperio*] Xyl. vertit, *Non metū suæ potestatis eis ademit*. & annotat, ὡς τὸν φόβον ἀφεῖλεν. Lapus, *Nō timore iniecto*: nescio quid sequutus. Nostram quidem lectionem probo. Indicat enim, Catonem nō pro imperio tantum militibus mādasse aliquid, sed & causas simul exposuisse, vt non tam metu potestatis suæ eos cogeret, quàm explicandis factorum rationibus ad officium faciēdum duceret. id quod fuit consentaneum ingenio Catonis, qui & ipse præceptori suo ita paruisset vt causas singulorum mādatorū sibi reddi postularet. Quæ autem paucis interiectis versibus sequūtur, *Omnes qui imperatorum nomē, &c.* quum sint perspicua in Græco, & Catonem tum cum militibus, tum cum imperatoribus cōponant, idem Lapus admodum in-

ſulſè corrupit. Non enim fuit Catonis, militem adulari, aut imperatoris nomine dignari. Sed refutare apertũ errorẽ, non eſt operæ.

3,160,b. *Ita non gladio ſolùm*] Omiſſa hæc ſunt à Lapo, Cæſarẽ autem (ni fallor) notat, eiúſque Anticatonem: qui non agendi modò, ſed & ſcribendi quæ vellet, impunem licentiam armis rerum potitus ſibi vendicaret.

Ibidem,d. *Super ſarcinas tacitus ſedens*] Xyl. vertit, *Apud clitellas tacitus ſedens*. & annotat, ἐπὶ τῶν φορτίων, Impedimenta, Sarcinas. Lapus, *ob magnitudinem curarum*: quaſi ſi φροντίδων legiſſet.

3,163,a. *Quum petere quæſturam legitimè poſſet, non antè acceſſit ad petendum, &c.* Xyl. vertit, *Quæſturam non antè ambiit.* & annotat, μετελθεῖν. id autem non eſt inire, ſed petere magiſtratum, quod ſatis notum puto. Senſum totum huius loci Lapus leui momento peruertit.

Ibidem,c. *Alteri teſtamenti ſubiecti formulam intendit*] Xyl. vertit, *Alteri cuidam falſi dicam ſcripſit.* & annotat, ῥᾳδιουργίας. Ego ita propriè exponi puto: alii ſuppoſitionẽ teſtamenti. qua de ſpecie mihi hîc non ſatis conſtat. Lapùs negligenter negligentiam extulit. Sanè in Actis Apoſtolorum, cap. 18, ἀδίκημα & ῥᾳδιούργημα coniunguntur. Apud Xenophontem lib. 2 De dictis & factis Socratis, ſicut & apud alios, ῥᾳδιουργία opponitur virtutis & laboris honeſtæ actioni. quod Euſtathius in Homericæ Vlyſſeæ exponit εὐκολίαν.

3,166,c. *Amnæus*] Ἀμναῖος, ſic eſt in Græco. apud Lapum, Amicus. nobiſcum legit etiam Gallicus interpres: tametſi hoc nomen non ſatis eſt notum. Sanè etiam in Lucullo hoc dictum retulit ita vt à quibuſdam id Catoni ipſi attributum diceret.

3,174,d. *Ex duabus Catonis fratris & ſororis filiabus nubilibus*] Xyl. vertit, *De duabus Catonis neptibus*. annotátque, ἀδελφιδᾶς eſt in Græco. Sed id ambiguum eſt. nam & fratris filia, & ſororis filia intelligi hoc vocabulo poteſt. Et haud ſcio an Cæpionis filiam intelligi hoc loco par ſit, quam vnicam ab eo relictam ſupra dixit Plutarchus. de altera nihil mihi conſtat. Suprà quidem Seruiliarum, & mox iterum ſororum Catonis fit mentio. vt videri poſſit, ſororis aut vtramque aut alteram harum filiam eſſe. Sed hæc peritiores explicent.

3,175,a. *Quum conſulatum amico cuidam quæreret*] L. Afranio: Plut. Pompeio, & aliis.

3,176,c. *Metelli*] Numidici illius magni. Hiſtoria eſt cum alibi, tum in vita Marii.

3,178,c. *Per Canidium amicum*] Ita hîc ſemper: infrà in Bruto, Caninius.

3,180,b. *Pignora ſe ab ipſo capturum*] ἐνέχυρα λήψεσθαι. Qui intelligere vult quid hæc ſibi verba velint, (eſt autem operæpretium) legat primam Cic. Philippicam, & Præf. libri De oratore tertii.

3,181,c. *Eique præturam extra ordinem decreuit*] ἐξαίρετον ςρατηγίαν ſic interpretor. Dio lib. 39 ita explicat vt præturam ei decretam dicat, quæ legibus ei nondum concederetur. Natus tum fuit Cato annos trigintaocto: ſiquidem anno V. C. DCCVIII ſeipſum interfecit Vticæ, annos natus (vt Plut. ait) duodequinquaginta. & verò quadrageſimus annus præturæ gerendæ legibus erat definitus, vt alibi oſtenditur. Ergo locum habere Dionis ſententia vi-

detur. nam Valerius Max. lib. 4, cap.1, videtur paulo aliter sentire. Senatus, inquit, relationem interponi iubebat, vt praetorius comitiis extra ordinem ratio eius haberetur. quod ita videtur intelligendū esse vt non suffragiis (quod erat moris) sed autoritate senatus nouo exemplo praetor crearetur. Nam subdit Valerius, Catonem id repudiasse, quòd campestrem experiri temeritatem quàm curiae beneficio vti satius duceret. Mihi tamen (vt dicam quod sentio) magis placet Dionis mei sententia, quae petitionem ei ante tempus legitimum concederet, caetera praetorius comitiis permitteret: quibus vsurum fuisse secundis, & impetraturum praeturam, non erat dubium, populo tanto ipsius munere delinito, ac mirifico eius fauore repleto. neque enim arbitror Senatum, illo in Catonis honorē facto decreto, suum populo ius totum adimere voluisse. Atque haud scio an commodè etiam Valerii verba in eandem sententiam exponi possint, vt intelligatur Catonem maluisse suo legitimo tempore totam praeturae petitionē populi suffragiis permittere, suóque iure adipisci, quàm tum eam Senatus allato ad populum recenti beneficio deuinctum praeiudicio quasi per gratiam consequi.

3,183,b. *Extemplo magistratū inirent*] Xyl. vertit, *Statim magistratum inirent*. & annotat, In Graeco locus est deprauatus mutilatúsque: *ἐν ᾧ τοῖς δικάσωσι τὸν δῆμον ἦσαν*. hic aliquid etiam deest: & quae sequuntur, confusa sunt. Sensum aperire conabor. Mos erat Romae vt qui vel consules vel praetores etiam essent designati, non statim magistratum inirent, sed tempus aliquantum consules vel praetores designati manerent. Id verò tempus vt intercederet inter design tionem & acceptionem magistratus, eò praesertim erat institutum vt inquiri posset qui designati essent, iustene an largitione & emercando suffragia honorem consequuti essent. hoc enim qui commisissent, se comperta legibus ambitus interrogabantur, & poenas dabant, magistratu arcebantur. Hoc modo animaduersum est in P. Antonium, & P. Syllam coss. designatos: quae historia describitur a Dione lib. 36: à Salustio in Catilina, à Suetonio in Iulio. Pompeius itaque & Crassus, quū a praetura excludendi Catonis causa statuissent suos clientes summa largitione & suffragiorum corruptela ad praeturam euehere, ac intelligerent fore vt vel Cato vel alius aliquis ambitus eos reos perageret, voluerunt eos inquisitionis & iudicii periculo liberare: itaque statim, vt inirent praeturam, illudque tempus inter eorum designationem & magistratum non interueniret, senatusconsulto statuerunt. Hanc puto esse genuinam loci sententiam: verba sine codice restituere non ausim.

3,185,d. *Singuli quingena sestertia*] *δεκαδύο ἥμισυ μυριάδας δραχμῶν*. Lapus peruertit, vt solent in hoc genere. Efficiunt autē drachmarum 125 millia (hoc est 12½ per decē millia multiplicata) 500 millia sestertiorū nummorum, seu (quod idem est) quingenta sestertia. Quod annotare visum est vt intelligatur hac de re eadē loqui Ciceronē lib. ad Atticū 4, epistola de Eutychide. Tribunitii (inquit) cādidati iurarunt se arbitrio Catonis petituros: apud eum II-S quinquagena deposuerunt; qui à Catone damnatus esset, id perde-

# IN DIONEM ANNOTAtiones Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

DIO Platonis fuit & Dionysiorum Siciliæ tyrannorũ coætaneus. Præclarissimum eius liberatæ insulæ facinus, propè in natales Alexãdri Magni incidit. Vide de eo Diodorum Siculum libro decimosexto.

3, 472, a. *Sicut ait Simonides*] Eius versus refertur ab Aristotele primo volumine Rhetoricorum, cap. 6: Κορινθίοις δ' οὐ μέμφεται τὸ Ἴλιον. id est, *Neque Ilium Corinthiis irascitur.*

3, 474, b. *Vt ipse scribit Plato*] In epistolis ad eius familiares.

3, 475, d. *Aretę fratri eius Thearidi nupsit*] Cuius? Aretæ ne an Dionysii? est enim ambiguum. Posterius placet. nam fratres Aretæ Hipparinum & Nyseum vocat AEmilius Probus: qui quidem has nuptias præterit.

3, 477, b. *Pernicaciam, tanquam solitudinis contubernalem, vt declinares*] τὴν αὐθάδειαν, ἐρημίᾳ ξύνοικον οὖσαν. Extat Platonis locus in epistola ad Dionem, quæ est in ordine quarta. ἐνθυμοῦ δὲ, inquit, καὶ ὅτι δοκεῖς τισὶν ἐνδεέστερος τοῦ προσήκοντος θεραπευτικὸς εἶναι. μὴ οὖν λανθανέτω σε ὅτι διὰ τοῦ ἀρέσκειν τοῖς ἀνθρώποις καὶ τὸ πράττειν ἔστιν· ἡ δ' αὐθάδεια, ἐρημίᾳ ξύνοικος. Hunc locum sæpe citat noster Plutarchus. Verba autem Platonis satis ostendunt, αὐθάδειαν παρὰ τὸ αὐτὸς & ἁδεῖν esse dictum vitium, quum quis sibi nimium ipse placet, neque curat quid alii de ipso sentiant. Ego arrogantiam atq; etiã contumaciã Latinè verti posse censeo: tametsi nonnihil in hoc Græco, vt & sæpe in aliis, amplius quàm in Latino inesse videatur. Est autem vitium in quod ferè etiam boni incidunt, qui optima freti conscientia, non cogitant aliquando inter quos agant homines. quo nomine Catonem philosophum, vtpote Stoicum, reprehendere haud iniuria videtur Cicero. Illa altera, malorum planè & famæ contemptorum est, arrogantia, πάνυ ὀλιγώρως ἐχόντων περὶ τοῦ ἄλλοις ἀρέσκειν, qui nihil famam curant, neque quidquam eos pudet: in quos est illud Tullii 1 Offic. Negligere quid de se quisque sentiat, non solùm arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti.

3, 483, d. *Ita venisse tertiò se Plato in fretum Siculum refert*] Est & hic locus in epistola ad necessarios Dionis, prolixa illa, quæ est numero epistolarum septima: sicut & bona pars harũ narrationũ inde est à Plutarcho desumpta. Cæterùm versus qui sequitur, ibidem extat, iisdem quibus est apud Homerum Vlysseæ lib. 12, verbis, vt non possim cogitare vnde vox ἐξαλεσθεὶς hoc loco irrepserit, pro Homerica αἰαμενήσῃς. Siquidem à Plutarcho mutata est persona: illa autem mẽdosa vox neque sensum habet, & versum vitiat.

3, 485, d. *Senectutem Dionis*] γῆρας in Græco ambiguè. Amiotus ad Dionem retulit, quod & mihi videbatur.

3, 487, d. *Vecti sunt Dionis milites nauibus duabus onerariis*] στρόγγυλον Græcis rotundum significat, aut verius teres. itaque puto hoc genus nauigiorũ lõgis nauibus opponi. Exemplo tamẽ grauissimo-

rum autorum, qui in similib' idem fecerunt, malui Græcam vocē retinere quàm nō satis perspicuam pro ea ponere.

3,438,d. *Carthaginensium præfectus Synalus*] apud Diodorum in huius narratione rei, Paralus nominatur.

3,490,c. *Ab obuiis malè mulctati*] Xyl. vertit, *Verberibus cæsi*. & annotat, τυμπανιζόμενοι. Guarinus vertit, *Virgis enim cęsos excoriarūt*: sequutus (opinor) Suidā, cui τυμπανίζεσθαι est nō modò ξύλῳ πλήττεσθαι, sed ἐκδέρεσθαι etiam, & κρεμᾶσθαι, suspendi. quod si libet sequi, in crucem actos vertamus. est enim plane consentaneū, supplicio illos corycæos acerbissimo affectos. Interpres Aristophanis in Pluto, ad versum, ὦ τύμπανα καὶ κύφωνες οὐκ ἀρήξετε; baculos quibus damnati ferirētur, ait fuisse tympana. quem sequutus sum. Est etiam in epistola ad Hebræos vox ἐτυμπανίσθησαν, cap. 11. Antiquus & Erasmus verterūt, Distēti sunt: Castalio, Cruciati. Dicitur & ἀποτυμπανίζεσθαι, apud nostrum in Galba, & verò apud Aristotelem 2 Rhet. cap. 6, de Antiphonte à Dionysio supplicio affecto. Eustathius in 5 Vlyss. ex Euphorione Chalcidensi & Athenæo tradit, ἀποτυμπανισθῆναι esse τὴν κεφαλὴν πελέκει ἀποκοπῆναι. vt in tanta interpretum varietate liceat quod vis sequi.

3,491,b. *Solarium*] ἡλιοτρόπιον. Est autem fere solarium, vt ex Cicerone & Varronis l. 5 De lingua Latina percipimus, horologium in quo ex vmbra gnomonis in sole horæ possunt cognosci: quomodo Græcam vocem grammatici & Plutarchi interpretes acceperūt. tametsi haud scio quàm absurdè pro suggesto vel tribunali in sole posito accipere possimus, secunda etymologia: quomodo apud Athenienses ἡλιαίαν dictam aiunt. nisi quòd sequentia ostendunt, de horologio fieri verba.

3,497,a. *Quin omnium hominum studiosissimus fuerit tyrannorum*] αὐτὸς αὐτὸν οὐ δυνάσθαι, &c. refertur hoc ad Ephorum, si Græca sequimur: qui sanè an tyrannis tantopere & eorum vitæ instituto fauerit, non scio: neque memini ea de re quicquam legisse, neque ego arbitror tamen eum talem fuisse. Guarinus ad Philistum retulit, quasi illius vitia nulla oratione potuerit Ephorus diluere: quod ego consentaneum puto, & probaui, vt loco etiam huic (quicunque fuerit Ephori de tyrannide sensus) conueniens. Legendum ergo esset αὐτὸς αὐτόν. in voce αὐτός, vt sit emphasis, ad facundiam eius & vitia tegendi calliditatem respiciens.

3,504,b. *Syracusanis imperat singulis vallum cędere, & prope murum proiicere*] Xyl. vertit, *Singulis Syracusanorum singulos vallos cædere, & ibi deponere iussit*. & annotat, ἕκαστον ἐκέλευσεν ἕνα κόψαντας τάφρον ἐγγὺς καταβάλλειν. Qui verba hæc considerct, facilè intelliget interpretes errasse, dum ita exponunt quasi Dio Syracusanos iusserit singulas fossas prope ruinas muri agere. quid enim erit κόψαντας & καταβάλλειν? quæ sanè fossæ nihil congruūt, quam cædi non propriè dicimus, multo minus deiici, vel deponi. Consequēs est vt aut τάφρος vallus sit, aut vocabulum mendosum. Posterius verum est, (nam τάφρος fossa est, non vallum) & procliuis fuit ad mendam lapsus. scripserat enim autor κόψαντα σταυρόν. (aliâs κόψαντας si κατὰ σύνθεσιν accipias, etiam ταφρεὺς debebat dixisse) litera σ ad

vocis præcedentis finem ab oscitante librario est translata, & ταφεῶν idē scripsit,υ in φ (vt vitiosa pronunciandi ratione est receptum)deinde mutata. Hæc menda interpretibus peruertendi sententiā loci huius ansam præbuit.

3,507,c. *Vt ait Plato*] Locus est lib.8 De repub.quasi confusum aliquid, & in quo omnium formarum reipub. exempla in promptu sint, per παντοπώλιον, seu nundinas,intelligit.

3,509,a. *Per dolorem aliquem animi & iram ex parua & puerili ortam occasione*] Apud AEmilium Probum legitur ea, sed quidem satis seria: nempe quòd hactenus luxuriosè & dissolutè quū vixisset,patre rerum potito, & eū ad temperantiam reuocante, mutationem non ferret.

## IN M. BRVTVM ANNOTAtiones Guil.Xylandri & Herm.Cruserii,interpretum.

QVòd initio statim affirmat Plutarchus,& postea Posidonio teste videtur confirmare, M. Brutum à Iunio Bruto qui primus eiectis Tarquiniis cō. sul fuit Romæ, genus traxisse: id & Dionysius Halicarnasseus libro quinto pernegat, autor grauissimus,& Dio lib. 44, scriptor Romanarum rerum minime oscitans. Sed id viderint alii. Illud nobis annotandum fuit, quo loco est in Græco statim tertio principii versu, ψυχήλατα τῷ ξιφῶν, vertisse Guarinū, *ensem fulmineum*: quàm appositè, nemo non videt. Continent autem ea verba non illepidam comparationem. Quippe & gladii quales nos exposuimus, facilè nimiam ob rigiditatem frangūtur:& nimia huiusmodi ac prædura ingenia, ferè sibi causa mali sunt. quomodo iste Iunius & liberis sese & vita priuauit. Mox ingenium vertit graue & humile, non animaduertens, πρᾶον τῷ ἐμβριθεῖ minimè esse contrarium, sed quasi consequēs, (aliàs absurdè contraria eidem tribueremus, quod ille fecit) & placidum seu pacatum significare, non temerarium aut inquietum. Sic infrà in Cicerone de Terentia, τὸ πρᾶον & ἄτολμον coniunguntur.

3,511,a. *A Seruilio Hala*] Seruilium plerique antiquas inscriptiones sequuti AHALAM scribunt, vulgo HALAM. Ego puto ALAM etiam rectißimè scribi posse. idq; multo esse quàm HALAM verius.Nam cognomen est à parte corporis quæ axilla(quod & ipsum cognomē Seruiliorum est) & concise ala dicitur. Ex Cicerone patet hoc. is in lib. ad Brutum,qui Orator inscribitur:Quomodo(inquit)vester Axilla(loquitur de Seruilio Axilla: & cur vestrum vocet, ex hoc Plutarchi loco patet )Ala factus est, nisi fuga literæ vastioris,&c.Ergo apparet H aspirationē inter duo A A interiectam quòd ea syllaba esset longa,& ex concisione vocabuli orta, inq; pronunciando circūflecteretur. vnde fortaßis Græci Ἄλας sumpserunt: vt Latinius, hoc est,magis recepta Latinorum consuetudine, nos ALAM quàm AHALAM scripturos videatur.

[z.iii.

cent, ἁμάρτημα μνημονικὸν Plutarchi annotet.

3, 515, b. *Nam impudenter obsecrantibus succũbere*] Locus in Græco est subobscurus, ac nequaquam à Guarino intellectus. Continet autem hanc sentẽtiam, Nõnulli importunitate petentiũ amicorũ vincũtur, & se verecũdiæ nomine excusant: quòd scilicet puduerit eos amicis quidquam negare. καλοῦσι δυσωπεῖσθαι: vocãt vel appellãt hanc suam ἧτταν & concessionem, verecundiam. At eam Brutus turpissimam magno viro iudicabat. neque enim eum debere quiduis precibus suorum dare, sed interdum negare. Est autem δυσωπεῖσθαι, Verecundia alicuius moueri, & quasi non ferre vultum eius, ob repulsam indignantis. Sic in Coriol. de petitione consulatus, de vulgo, ἐδυσωποῦντο τὴν ἀρετὴν, Virtutis Coriolani verecundia animos eorum mouebat.

3,516,d. *Quid vobis, inquit, ánne Brutus videtur hoc corpusculum expectaturus?*] Xyl. vertit, *An vobis, inquit, videtur Brutus hanc caranculam non expectaturus?* & annotat, In Cæsare hoc aliter refertur: nempe Cæsarem, qui imperandi causa Brutum nequaquam impium in se (à quo tot esset beneficiis affectus) fore putaret, dixisse, ἀναμένει τοῦτο τὸ δέρμα Βροῦτον, Hæc cutis expectat Brutum. Quãquam malim & ibi legi ita, vt cũ hoc consentiret, Βροῦτος recto, nõ quarto casu, quasi diceret Brutum post se rerum potiturum, & expectaturum mortem ipsius.

3,518,c. *Quidã Q. Ligarius, Pompeii amicus*] X. vertit, C. *Ligarius.* & annotat, Frater, opinor, Q. Ligarii eius quem à Tuberone accusatum Cicero defendit. nisi fortè Quintus legẽdũ sit. paulo pòst Statilius socius Bruti dicitur. malim enim legere Statiliũ quàm Στάλλιον, Stallium. nisi forte aliquis alius fuit.

3,525,d. *Cinna verò quidam poeta*] Xyl. vertit, *Cinna vir non postremæ in ciuitate dignitatis.* & annotat, in Græco est, Κίννας ποιητικὸς ἀνήρ. Πολιτικὸς legendum esse putabam, id est In rebus versatus. Fuit enim is C. Heluius Cinna trib. plebis, vt patet ex Dione libro 44, extremo: ex Appiani lib. 2 Ciuil. ex Valerii Maximi lib. 9, cap. 9. Non sum nescius, Cinnam hunc à quibusdam summis viris pro eo poeta accipi qui Smyrnam poema condiderit, sitque à Catullo laudatus: qui fortassis hoc ipso loco ducti ita censuerunt. Sed quia tam multi fuerunt Cinnæ, non temerè, nisi alia accedant argumenta, id affirmarim.

3,526,c. *Scenicos ipse Neapolim profectus*] Guarinus indoctè, Bacchi cultoribus. οἱ περὶ Διόνυσον τεχνῖται vocantur histriones. Vide Plutarchi quæst. Rom.

3,527,a. *Non dominum grauari Ciceronem, &c.*] Extant in hanc sententiam etiamnum epistolæ Bruti ad Ciceronem.

Ibidem, b. *Quemadmodum prosequuta sit Hectorem Andromache*] Totus hic locus ex libro sexto Iliadis Homericæ desumptus est.

3,528, b. *Perdidit at fatum me, &c.*] Latoides Apollo, Latonæ filius. verba sunt apud Hom. l. Iliad. decimosexto, Patrocli ab Apolline & Hectore & Euphorbo cæsi. Valerius Maximus refert hoc libro 1, cap. De ominib⁹: sed Apollinem non à Bruto, verùm Cæsare & Antonio signo datum ait.

Ibidem, c. *Vicies* I I-S.] Guarinus valde imperitè, Quingẽta millia æris. Mille æris esse idem quod minam, id est centum drachmas,

facilè poteſt demonſtrari. in Græco autem hîc eſt πεντήκοντα μυριάδας, quinquaginta myriades, nimirum drachmarum. At in vna myriade, centum ſunt minæ. Ergo hæc ſumma efficiet non quingentas minas, ſed quinque minarum millia: vel, quod idem eſt, millium æris quinque millia: ſummam ſcilicet Guarinianæ decuplam. Latinius hoc dicitur vicies ſeſtertiûm: & ipſe in Antonio Plutarchus oſtendit, vigintiquinque (cuius duplum hîc eſt) myriades, Latinè decies vocari.

3,529,b. *De quibus alio loco diſputauimus latius*] Xyl. vertit, *Qua de re alio loco diſputatum eſt latius*. & annotat, ὑπὲρ ὧν ἐν ἑτέροις μᾶλλον ἠπόρηται. Guarinus, *Hæc in cæteris animalibus dubia magis ſunt*. nimis quàm imprudenter. Quòd autē alio loco ſe hanc quæſtionem ait tractaſſe, id eſt in libro Conuiualium quæſtionum ſexto, cap. 8.

3,530,c. *P. Silicio*] Sicilius Coronâs Dioni dicitur lib. 46.

3,535,d. *Voce inimica pronuntians carmina quibus Neſtorē vtentem cecinit Homerus*] In rixa Achillis cum Agamemnone ſedanda libro I Iliadis.

3,537,b. *Noſtra eſt hęc, inquit, Brute, doctrina*] ἡμέτερος οὗτος εἶπεν, legendum eſt: non ὑμέτερος. Epicureorum enim ſententia refertur, nō Platonicorum. Caſſium autem Epicureum fuiſſe, id quod hîc dicitur, etiam ex Ciceronis ad eum epiſtolis ipſiúſque reſcriptis apparet, quæ ſunt lib. 15 ad familiares.

3,538,a. *Circa Symbolon*] Mons eſt apud Philippos Pangæo monti occurrens. Locorum deſcriptio eſt ſatis perſpicua apud Dionē, in huius hiſtoriæ narratione, lib. 47.

Ibidem. *Cui ex aduerſo Brutus, Caſſio Antonius caſtra poſuit*] Xyl. vertit, *Ita vt Brutus contra Cęſarem, Caſsius contra Antonium collocaretur*. & annotat, Καὶ κατεστρατοπέδευσεν Ἀντωνίου Βρούτος, Κάσσιος δὲ Ἀντωνίου. Mendū eſt perſpicuum: & hiſtoria docet pro Ἀντώνιον eſſe αὐτὸν legendum, vt ad Cæſarem referatur, cuius caſtris Brutus oppoſitus fuit. hæc tamen Guarinus non ſenſit.

3,539,c. *Fuiſſe etiam in poſterum diem ſe, qui natalis ipſius erat, ad cœnam inuitatum*] Xyl. vertit, *Fuiſſe etiam Caſsium à ſe in craſtinum vocatum ad cœnam, quę dies ſibi natalis eſſet*. Hæc autem in hunc locum annotat: Græca videntur nōnihil ambigua eſſe, & interpretes quidem ita acceperunt quaſi dies natalis non Meſſalæ eſſet, ſed Caſſii futura. id quod mihi ſecus videtur ſanè. & illud εἰπὼν eo eſt obſcurius quòd ſtatim tranſitur ad accuſatiuum: neque antecedentia verba Meſſala, ſed Caſsius fecerat: quo fit vt ἀσπάσασθαι τὸν Κάσσιον exponam quaſi Caſsius hæc ad Meſſalam loquutus, eum ſalutauerit: & εἶ) κεκλημένον accipiā vt ad Caſsium referatur, à Meſſāla inuitatum. Si Caſsij fuit natalis dies, periit ſuo natali, ſicut & Pōpeius & Attalus: quæ in Camillo exempla Plutarchus referens, videtur ne hoc quidem neglecturus fuiſſe ſi ita ſenſiſſet.

3,540,a. *Propter quam alteram liberam duxi & claram*] Locus eſt mutilus. id quod aſteriſco notare, quàm incertū aliquid aſſuere, tutius duxi.

3,541,b. *Id docuit occaſio victos*] ὁ καιρός. ſic enim legendum puto, non ὁ Καῖσαρ: quod falſum eſſe, ſequentia demonſtrant. Adſtipulatur etiam Amiotus.

3,543,c. *Quos nominabat Brutus Brigas* ] De hoc vocabulo nonnihil Varinus ex Hesychio. Eustathius in primum Vlyssea, ex Pausania refert, ita vocatos barbaros. videntur autem fuisse manumissi ad ferenda arma & militandũ serui: nisi quis lixas & calones intelligere malit.

3,548,b. *Ne huius mali te fallat autor, Iupiter*] Vltionem diuinitus imprecatur ei qui causa præsentis mali & oppressæ libertatis esset. Appianus idem referens, de Antonio exponit, qui quum posset patriæ libertatẽ vnà cum Bruto (qui hoc ipsum sperans ei pepercerat) asserere, maluit se cum Cæsare cõiungere, à quo deinde est pessũdatus. Cæterùm versiculus est ex Eurip. Medea, quæ Iasonis in caput execratur, à quo prodita erat.

3,550,a. *Valerius Maximus*] Libro 4, cap. 6.

# IN DEMOSTHENEM ANNOtationes Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

Philippi & Alexandri magni ætate vixisse Demosthenem Atheniensem oratorẽ, neque multo post huius obitum tempore periisse, res est non obscura.

3,294,d. *Delphinis hic in continente cursus est* ] Posterior est pars senarii versus. Continet autẽ prouerbium. Nã delphinus piscis est præualidus, & qui in mari plurimum possit: in terra nihil valet. Ita inquit Plutarchus se fortassis haud parum in rebus Ciceronis & Demosthenis gestis posse iudicandis: de facundia autem minimè valere iudicio, cuius rei causas attulit. Possumus vti hoc versiculo quoties rem nobis inauditã ea ratione recusamus quòd ad eã peragendam vires nobis aut peritia desit: aut ea à natura nostra vel instituto sit aliena. Non abludit ab adagione apud Liuiũ relato, Cantherium in fossa.

3,295,b. *Ex optimatibus*] τῶν καλῶν κἀγαθῶν. καλοὶ κἀγαθοὶ ciues apud Athenienses erant ii quales Romani vocant optimates, à plebe seiuncti, & in repub. priores. Sic sæpe Thucydides, sæpe Plutarch. præsertim in Pericle. Quod dico vt intelligas nõ tam vitæ hîc quàm ordinis in repub. rationem indicari. Cic. lib. 1 De officiis videtur optimũ quenque vocare eũ qui hîc est καλὸς κἀγαθός. Ex quo (inquit) euenit vt alii populares, alii studiosi optimi cuiusque videantur, pauci vniuersorum. Locus AEschinis qui mox citatur, est in nobili illa aduersus Ctesiph. orat.

3,296,c. *Platonis Demosthenem auditorem*] Hoc idem grauissimus autor Cicero affirmat, non vno loco: vt in præfatione Officiorum, & initio Oratoris, in Bruto, & primo De oratore libro.

3,299,a. *Lamachus Myrinæus*] In Græco enim est, Μυῤῥιναίου. malim, vt alibi legitur, Μυῤῥιναίῳ, aut potius Μυῤῥιναίου. Est autem Myrrhine, Μυῤῥίνη, vrbs AEolidis. Myrrhenã nullã, neque Mirrhenam noui. itaque non habeo quod statuam.

3,299,c. *Rhopoperperethram*] ῥωποπερπερήθραν est in Græco libro, atque ita video ab omnibus legi.

Sed vt ea vox exponi poſsit, nondum video: mihi enim faſciculi iſti non probantur vel verborum vel ſarmentorum. Sequor autem Varinum, qui oſtendit, ἀπὸ τοῦ ῥωποπερπερεύς factum eſſe vocabulū ῥωποπερπερήθρα, ſicut à δάκτυλος fit δακτυλήθρα. Idémque, Euſtathium ſcilicet ſequutus, exponit ῥωποπερπερίαν ſignificare inanes & futiles nugas. Nota ſunt πέρπερος, περπερεία & περπερεύεσθαι. ῥῶποι, inutiles & viles res ſeu merces ſignificantur: quales vulgò multæ circunferuntur, non ad inſtruendos aliqua vtilitate, ſed emungendos pecunia homines, leues præſertim & curioſos, paratæ. Et ῥωπικὰ etiam in Lycurgo Plutarchus eodem modo dixit. éſtque venuſtum Eraſiſtrati dictum, τὴν φύσιν οὐδὲν ἔχειν ῥωπικόν. itaque ἐκ τῶν ῥώπων καὶ πέρπερον componitur ῥωποπερπερὴ, eleganti tranſlatione inanem loquacitatem ac temerariam explicans: (quo in genere comici ſolebant ludere, & quale notum illud κομποφακελλοῤῥήμων) atque ab eo παραγωγῇ fit ῥωποπερπερήθρα: quomodo hîc legendum omnino puto. quando & Euſtath. in ν Iliad. hoc ipſo vocabulo notari futiles & garrulos teſtatur, inquiens: ἐκ τούτου δὲ ῥωποπερπερήθρα τις προσεῤῥήθη, (nimirum Demoſthenes) ἐπὶ χυδαιότητι καὶ φλυαρίᾳ σκωπτόμενος. Simile huius eſt illud ῥωποστωμυλήθρα, obiectum Eubulidæ Mileſio, Euclidis ſectatori, à quodam comico apud Diogenem Laertium lib. 2. Apud Suidam eſt ῥομβοστωμυλήθρα.

3, 300, b. *Mearum ſecuris orationum exurgit*] Apparet in Græco eſſe iambicum ſenarium hocquidem loco. nam in Phocionis vita pro ἀνίσταται legitur πάρεστιν: atque ita verſus ratio tollitur. Itaq; vt ſatiſfacerem & iis qui verſum eſſe iudicant, & iis quibus aliter videbitur, verſu reddidi, ſed qui in oratione ſtare poſsit.

3, 300, d. *AEſiona*] Pro AEſionē legitur Appionē in vita Demoſthenis hac, cū Demoſthene impreſſa.

3, 305, c. *Præterea Daochum Theſſalū, & Thraſydæū*] Ita legit & Aretinus, & Amiotus. Hieronymus Vuolfius, vir doctiſsimus, & quem amicitiæ honoriſque cauſa nomino, in huius vitæ verſione locum hunc aſteriſco notauit, quòd particula δὲ poſt Μακεδόνας, omnino aliquid diuerſi videatur ſignificare: id quod tamen verba non explicent, loco ſcilicet mutilo. Cuius ego coniecturam eatenus probo quatenus Daocho & reliquis epitheton deeſſe cenſuit: Theſſalos autem Daochum & Thraſydæum affirmare non poſſum. Hiſtoriam (vt obiter moneam) qui plenius & expreſsius legere cupit huius belli, Diodorum Siculum, vel Gemiſti paralipomena cum Herodoto Baſileæ impreſſa euoluat.

3, 307, a. *Demoſthenes Demoſthenis*] Iambicum trimetrum, & alterius caput verba Græca efficiunt: atque in Græco etiam ita diſtinguenda ſunt vt carminis ratio appareat. ὑποκρούειν ego accipio Mēſurā carminis, vel man⁹ vel (quod huic magis quadrat) pedum motu exprimere. quod nos vulgò, *die menſur ſchlagen*, dicimus.

3, 309, a. *Puerum vocans & margitem*] inertem & nullius precii ſtolidúmque hominem. Meminit eius ex Homero Ariſtoteles, atque Clemens Alexandrinus. Vide Eraſmi Chiliad. de Margite.

3, 312, b. *Phylarchus*] Φύλαρχος, alibi: & in hac vita aliàs cum Demoſthene impreſſa Φίλαρχος. Sed hoc rectius eſt: Aretinus Phale-

reum legit. Idem γάλα ὤνειον vertit venale, quasi si idem essent ὤνειον & ὤνιον.

3,312,d. *Eluserunt legem*] Xyl. vertit, *Commento illuserunt*. & annotat, ἐψηφίσαντο πρὸς τὸν νόμον. ἐσοφίσαντο legendum, non ex altero modò exemplari, sed palàm ex sensu constat.

3,313,c. *Calauria*] Hæc aliquando Καλαβρία scribitur, ob affinitatem literarum, vt αὔρα & ἄβρα. nam vitiosa pronunciatio hæc inuexit: sicut id quoque quod β ferè in scriptis libris figura nostro u simili exprimitur.

# IN CICERONEM ANNOTAtiones Guil. Xylandri, & Herm. Cruserii, interpretum.

3,316, a. *Ciceronis matrem tradunt Heluiam*] Ὀλβίαν καὶ γεγονέναι καὶ καλῶς βεβιωκέναι. ὄλβον, opes, ὄλβιον diuitem esse scio. Cæterùm hîc mihi metui ne si verterē quomodo vterque interpres, negligentior meritò iudicarer. Puto autem scriptum esse à Plutarcho, Κικέρωνος δὲ τὴν μὲν μητέρα λέγουσιν Ἐλβίαν καὶ γεγονέναι καλῶς, καὶ βεβιωκέναι. Primùm ipsa traiectio particularum Ὀλβίαν καὶ, locum mihi fecit suspectum. Deinde quum Græci loco v consonātis τοῦ βῆτα vtantur, cogitaui quā Plutarchus siue Ἐλβίαν, siue Ἑλβίαν dixisset, eam à librariis postea Ὀλβίαν perperam scriptam, proprio in appellatiuum commutato. Nam Eusebius quoque Heluiam Ciceronis matrem nominat, sequutus eosdem (opinor) autores: & Heluii Romæ fuerunt, Cinnæ cognomento. Denique vix mihi persuadebitur, si autor matrem Ciceronis (cuius nomen omittere non, puto, voluit) diuitem voluisset affirmare, ὀλβίαν scripturum fuisse. Dixi quod sentio, cæterorum saluo iudicio.

Ibidē. *Alii ad Appium Tullium*] In Græco est Τύλλιον Ἄππιον, quod interpretes parum de his rebus soliciti retinuerunt. Est autem legendum Τύλλον Ἄττιον. loquitur enim de Tullo Attio Volscorum rege, ad quem exul Coriolanus confugit. Liuius lib. 2, Dionysius libro 8, initio, & in Coriolani vita noster.

Ibidem. *Verùm is qui huius gentis Cicero princeps est cognominatus*] A cultura ciceris hoc cognomē Plin. lib. 18, c. 3, ortum ait, sicut Lentuli, & similia.

Ibidem e. *Tertio nonas Ianuarias*] ἡμέρα τρίτῃ τῶν νέων καλανδῶν. Hunc suum natalem diem Cicero ad Atticum etiam notat, lib. 7, epist. 5. Ita, inquit, ad vrbem 3 Non. (patet autem ex superioribus loqui de Ianuario) natali meo. Et lib. 13, epistola, Venit ille: Sed heus tu, inquit, diem meum scis esse III Non. Ianuar. aderis igitur. Gellius lib. 15, cap. 28, ait: Q. Cæpione & C. Serrano Coss. ante diem III Nonas Ianuarii, natus est M. Cicero. fuit hoc anno V.C. DCXLVIII. Latinus interpres Bochius, III Kalen. Ian. vitiosè extulit. quem errorem, vt persæpe alios, sequutus est Amiotus. Locū autem doctè, vt omnia, in sua quæstura Corradus explicauit.

3,317, a. *Qualem esse Plato vult*]

Diſputat ea de re cùm aliâs, tum principio libri De repub. ſexti.

3,317, c. *Viginti millibus æris*] Xyl. vertit, *Octo millibus nummûm*. & annotat, Ita quidem eſt in Græco. nam duo millia drachmarum hoc efficiunt, quũ quatuor nummi ſeſtertii ſint in denario. At apud Ciceronẽ in hac pro Sex. Roſcio Amerino oratione ita legitur: Bona patris huiuſce Sex. Roſcii quæ ſunt ſexagies, de viro clariſsimo & fortiſsimo L. Sylla, quem honoris cauſa nomino, duobus millibus nummûm ſe dicit emiſſe adoleſcens vel potentiſsimus hoc tempore noſtræ ciuitatis, L. Cornelius Chryſogonus. Neque verò diſſenſiſſe à Cicerone Plutarchum credo: multo minus autẽ ignoraſſe vt hæc ſumma Græcè efferretur, aut lapſum fuiſſe ea in re. Itaque niſi mendum libri ſit (quod ipſum affirmare durum eſt) vel apud Ciceronem, vel apud Plutarchum, lapſum hunc memoria hoc loco dicendum eſt. Sanè illud *Sexagies* accuratè & rotundo ducentorum ac quinquaginta talentorum numero expreſſit. Etenim talentum conſtat minis LX, mina centum drachmis, ſeu denariis: in denario quatuor ſunt, vt diximus, ſeſtertii nummi. quo fit vt in ſingula talẽta ſex denariorum, vel XXIIII nummorum, millia computentur. Ergo de CCL talentis, MD millia drachmarũ, ſexies millena millia nũmorum redigentur. Hæc iam ad centena millia (nam quoties ſeſtertiûm vel dicitur, vel dici intelligitur, vt in hoc loco Ciceronis ſexagies, & alibi decies, ac ſimilia omiſſo vocabulo ſeſtertiûm ponũtur, toties centena millia nummorum indicantur) reuocabimus: erũt ſexagies cẽtena millia nummûm, hoc eſt ſexagies ſeſtertiûm. Id obiter annotare non abs re duxi. In vita Antonii infrà ſimilis locus Ciceronis referetur.

3,319, b. *Neque honore erat in vllo, appellabántque eum* Gr. &c.] παρημελεῖτο. Hoc paſsiuũ eſt verbum vtique, non actiuum: & negligi ſignificat, nó negligere. Malè hæc interpres extulit, ſicut & γελαστικόν: quod vocabulum hodie pro Latino vſurpatum, codẽ modo apud nos ſolet ignominiæ loco eruditis & ſimplicibus hominibus, ab auaris hominibus ac ſuperbis bellorũ cauponib⁹ obiici.

3,320, a. *Contra diſciplinã militarem*] In Græco eſt ἀταξίας: quod qui ad deſertos ordines referunt, ſpeciem pro genere non ſatis prudenter arripiunt. Multa enim alia hoc vocabulo comprehenduntur, non tantùm λειποτάξιον. Non ſanè conſtat mihi qualis ἀταξία obiecta iuuenibus illis Romanis fuerit: ſed hoc ſcio ἀτακτεῖν Græcis eſſe quicquid fit contra diſciplinã militarem. Sic in vita Pompeii, ἀκούων τοὺς στρατιώτας ἐν ταῖς ὁδοιπορίαις ἀτακτεῖν. & alibi.

3,320, a. *Quiddam ſibi accidiſſe ridiculum ipſe ait*] Locus eſt in oratione pro Cn. Plancio, tametſi paulo aliter rẽ narrat Cicero: ita quidem vt ad ſummã negocii aut nihil aut parum interſit.

3,321, a. *Cæcilius*] Q. Cæcilius Niger, domo Siculus, & quæſtor Verris, cõtra quem Diuinatio ſeu prima Verrina Ciceronis eſt. vide Aſconium. Suibus autem abſtinere Iudæos, (quæ ioci eſt materia) notiſsimum eſt.

Ibid. c. *Villam amœnã Arpini*] Ἀρποις. Ciceronis patria fuit Arpinum, vnde Arpinâs dictus eſt. fuit autẽ in Campania, vt & Neapolis, & Pompeii. quod vel ex

Plinio lib. 3, cap. 5 intellexeris. Arpi autem vrbs est Apuliæ, in diuersa Italiæ parte: vt planè huc non quadret. Nisi Arpinum fortè Græcis Ἄρποι dictum sit, quod credere est durum.

3,322,b. *Fama est Licinium Macrum*] C. Macer ille est, cuius l.1, Ep.3, ad Atticum meminit. Aliter narratur hæc res à Valerio Max. lib.9, cap.12.

Ibidem, c. *Non habeo tantũ collum*] τηλικοῦτον τράχηλον. Guttur verterunt Bochius & Corradus: non sanè ita vt sensus requirit. neque verò τράχηλος guttur est. est autem vernacula etiam nostra lingua vsitatum vt homines impudentes & in dicendo præsertim temerarios, valido collo præditos dicamus. Atque ita etiam Marius (vt refert Plutarchus) in senatu respondit: Non ita latum sibi esse collum vt de tanta re quicquam affirmare ausit, de lege Saturniniana loquens. Eò alludẽs Cicero, strumas Vatinii eleganti dicto notauit. Pòst in Græco ἐλαύνεσθαι est, quod non video quàm commodè legatur. Sicut & illud διαγαγόντων ἐπὶ βῆμα κραυγαζόντων. Sed sententiæ sunt planæ.

3,324,b. *Hinc illi qui per leges Cornelias ab honoribus petendis arcebantur*] Proscriptorum filii. Vide Corradum & alios. Plin. lib.7, cap. 30, in eulogio Ciceronis: Te orante proscriptorum liberos honores petere puduit. Meminit ipse lib.2, Ep.1, ad Atticum.

3,325,b.M. *Otho prætor*] Ita hæc vt in Græco sunt retuli: nisi quòd animaduerti etiam aliàs στρατηγεῖν vocabulum pro quouis magistratu poni, minus propriè. (Quod viderat multo antè Polybius, στρατηγοῦ vocem prætoris nomine ampliorem: itaque hunc aliâs ἑξαπέλεκυν vocat. Etiam in Lucullo ea de re annotaui) Nisi quis erratum vel à Plutarcho vel à librario (quod malim) dicat: vt δημάρχων legatur. Autor enim legis theatralis fuit tribunusplebis: quod & disertè Liuius lib.99 tradit, vt ex Epitoma intelligitur, & apud Dionem libro 36 perspicuè docetur. Fuit autem is tribunusplebis, L. Roscius Otho. Prænomen L. est & apud Ciceronem in Mureniana, & apud Liuium ac Dionem quibus dixi locis, & apud Asconium Pædianum in oratione pro C. Cornelio, & apud Acronem in 4 Epod. Horatii: vt M. à Plutarcho dici mirer. quanquã mendum potius, aut μνημονικὸν esse ἁμάρτημα suspicor. Porrò autem Roscius nomẽ fuit, Otho cognomen. Id quod quum pridem Dionem vertissemus, in eúmque annotationes scriberemus, festinantes & parum solicitè circumspicientes fefellit. Itaque ibi putauimus Dionem & Liuium à Plutarcho & Horatio & Iuuenali dissentire. quod falsum esse, vel vnus Horatius nos poterat docere. Cuius enim ex quarto Epodon versus citauimus de Mena, Pompeii liberto, auso in XIIII ordinibus sedere, *Sedilibúsque magnus in primis eques Othone contempto sedet:* idem in prima ad Mæcenatem epistola legem de ordinibus Rosciam dixit, eo loco, *Roscia dic sodes melior lex, &c.* Sane statueramus Dionem nostrũ & emendatum pluribus in locis & politum denuo edere, quum typographus in Gallia insciis planè nobis priorem editionem recoxit: qui opera nostra vti, & melius de nobis & Dione studiosísq; mereri potuisset, si voluisset. Sed quid facias hominibus etiam cum damno & dedecore aliorũ lucrum sibi ca-

ptatibus. Nos vel correctũ(vt dixi)breui dabimus :vel,ſi id cõmodius videbitur,ſeorſim caſtigationes noſtras & annotationes edemus. Nũc vt finem faciam,vim Roſciæ legis ſcribam.Quatuordecim gradus in theatro proximos poſt patricios ſecreuit Roſcius, in quibus equites ſpectarent, plebe excluſa. Porphyrio & Acro ex his primos pro tribuniciis ſeruatos fuiſſe ſcribunt.Plinius libro 7, cap.30, Te ſuadente ( ad Ciceronem conuerſa eſt oratio)tribus Roſcio theatralis legis autori ignouerunt, notatáſque ſe diſcrimine ſedis æquo animo tulerunt. Erat autem certus præſcriptus cenſus equeſtri ordini, quem qui non expleret,iis ſpectãdi locus in XIIII ordinibus non dabatur. Quod non modò ex Satyris Iuuenalis, tertia & decimaquarta,apparet, ſed Horatius diſertè oſtendit fuiſſe quadraginta millia nummorum, id eſt CCCC ſeſtertia, ibi, *Si quadringentis ſeptem ſex millia deſunt, Plebs eris, &c.* Quod idem ex Suetonio & aliis colligi poteſt. Plinius lib.33,cap.2, docet hoc caput repetitum ſub Tiberio. quem locum conſule,nos aliò vocamur.

3,326, d. *Ipſi Craſſo vnam ſine nomine*]Quòd hoc loco calumniatur Plutarchum Corradus , quaſi in vita Craſſi diuerſum ſcripſerit, iniquè mihi videtur facere . Nam profectò ibi nequaquam dixit,epiſtolam illã fuiſſe à Catilina ſcriptam , ſed de Catilina fuiſſe ſcripta quædam iſtis in literis: à quo, non additur,vt optimè cum eo cõueniat quòd hîc ἀδέσποτος epiſtola dicitur. Eſt enim ibi , ἐπιςολὰς κομίζοντα περὶ τοῦ Κατιλίνα , καὶ ζητοῦντα φίλον. Quæ duo poſtrema vocabula mendũ continent,ſed quod nullo modo potuerit Corradum in Plutarchum armare.

3,333,a. *Qui illorũ actionibus pari præditus poteſtate*]Tribb.plebis qui Cæſaris inſtinctu Ciceronẽ vexabant. ἐκείνου in Græco ad Cæſarẽ refertur,ſcilicet autorem conſiliorum quorum adminiſtri erant δήμαρχοι. Sic enim legendum,non χιλίαρχοι,ſatis conſtat:neque librariis nouum crimen obiicitur. Calumniari autem Plutarchum hîc planè nihil attinebat,quaſi prætoris & trib. plebis poteſtatem eandem putaſſet.Neque mei eſt inſtituti Plutarchum defendere , qui ſeipſum ſatis defendit. Nam quæ Ciceroni obiicit vitia,excuſare hu manum eſt:negare qui velit , ipſi etiam Ciceroni,nedum Plutarcho & aliis etiã Latinis ſcriptoribus , omnem fidem deroget.

3,335,a. *Axium quendam*]Mentio Axii fœneratoris eſt apud Ciceronem epiſt.10,lib.1,ad Atticũ. interpretationem ioci coactus ſum addere de meo : quia, vt pleraque id genus,in Latinum transfuſus amittit vim & lepôrem ſuum.

3,336,a. *Relicto aliquando tribunatu plebis*]Id factum eſt Silano & Murena Coſſ.proximo poſt Ciceronem anno. Hiſtoria eſt apud Dionẽ perſcripta, lib.37. In Græco ἀπολιπὼν ἄρρῳ , ſed ſcribatur ἄφνω.

Ibidem,c. *Adraſtum*] Notum eſt hunc duobus exulibus, Tydeo & Polynici,duas filias nuptum dediſſe.alter qui ſequitur verſiculus, notus eſt de Laio.

Ibidem, d. *Qui proclamarunt*] καὶ ἀπεφωνηκότων. non ſatis hoc aſſequor:niſi proclamator fortaſſis, vel præco dicatur eſſe, aut ab eo genitus.nam illa officia ſordida ac parũ digna ingenuis habebantur.

Ibidem. *Bonorũ auctionem proſcripſiſſe*]Xyl. vertit,*Bona quadam*

*proscripsisset*. & annotat, ἁμαρτίαν περιέγραψεν. Vereor ne hic sit ἁμαρτία librarii, & aliquid aliud legendum. non enim video quid sit vitium vel peccatum proscribere, nisi forte se decoxisse & soluendo non esse præscripsit ipse. quod an fuerit moris nescio: neque memini me legere. Viderint doctiores.

Cr. hic annotat, Ἀπάρτιον habet Plutar. in Apophth.

3,337,b. *Cum qua ingressus fuerat*] ᾗ συνῆλθεν. Neque hoc statim obscœnum est verbum, vt ne apud Latinos quidem Congredi, & similia: & magis tamen placet συνεισῆλθεν legi, vt in Cæsare est, & videtur legisse Amiotus. Aura ancilla in Cæsare ἄβρα dicitur: quomodo etiam Calauria & Calabria, pro insula, variè & promiscuè scribuntur.

Ibidem, c. *Ac nomen Clodii de violatis sacris detulit*] Xyl. vertit, *Clodiũ postulauit*.* & annotat, Cur asteriscũ adiecerim, nõ est obscurũ. quis enim nõ videat, accusatoris nomẽ, hoc est, nominatiuũ qui ad ἀπεγράψατο pertinet, deesse? Tantũ enim abest vt Cæsar eũ accusauerit, vt ne testimonium quidẽ dicere voluerit. A tribuno plebis postulatum Clodium, est in vita Cæsaris.

Ibidem, d. *Interprete vti Tullo quodam*] Τούλλου. Τούλλιδος malim. vt libertus aliquis Ciceronis intelligatur.

3,338, d. *Colluuiem inopum ad cœpta sua decuriauit*] Bochii interpretatio, itémque Amioti, nõ tam à verbis Græcis quàm à veritate videtur aliena. & πολίτευμα significare frequenter conatum aliquẽ certæ rei in ciuitate conficiendæ, (vnde & πολιτεύεσθαι eodem modo deductum) notum est.

3,340,c. *Sed locum ostendit ei se designaturum in agro*] τὸ χωρίον δὲ καταγράψειν. Bochius, *illicò eum in crimen delaturum asseruit*. sed ferè pleraque ab eo sunt negligenter versa. Sic ex Fabrûm magistro ædilem proximo versu fecerat. Corradi versionẽ nõ habeo cur probẽ: *ex ipsa regione se milites in eum conscripturum denunciauit*. καταγράφειν scio aliquando esse Militem scribere: sed quid χωρίον? Deinde si talis aliquis sensus his verbis subesset, nõ videtur particulis μὲν & δὲ vsurus fuisse, quum posterius membrum priori esset atrocius. sed dixisset fortassis, οὐ μόνον οὐκ ἐδέξατο οἰκίᾳ, ἀλλὰ καὶ χωρίον, &c. nunc illud δὲ priori aliquid dissimile videtur ostendere. Itaque intelligo, Vibium domo eum recipere non ausum, ob metum edicti Clodiani: partem tamen aliquam in agro suo vel prædio designasse, vbi lateret. alibi nihil memini me de Vibio isto legisse. Sanè Amiot⁹ nobiscum sentit. Quid vel hic vel Corradus legerint, non satis scio. C. Virgilium pro Vergino posui, ex oratione pro Cn. Plancio.

3,341,a. *Atqui mirificam vim habet gloria*] Mirum quàm planè diuersam à Plutarchi verbis sententiã Bochius & Corradus hîc protulerint: non videntes forsitan nomen δεινὴ (quod illi τῇ δόξᾳ tanquam adiectiuum attribuentes, omnia conturbarunt) ad verbum ἀποκλύσαι & ἀναμόρξασθαι pertinere. Est enim ea oratio qua non Græci modò, sed & poetæ Latini Græcorum imitatione crebrò vtuntur: vt in vulgato illo, Δεινοὶ γὰρ εὑρεῖν μηχανὰς Αἰγύπτιοι. Horatius sæpissimé: — *testudo resonare septem Callida neruis*. & De luna: — *celerémque pronos Voluere menses*. Et de ipso Horatio Persius, *Callidus excusso populum suspendere naso*

*pendere naso*. Sed quid opus exemplis in re nota?

3,342,a. *Quod iactarit postea Cicero* ] In oratione post reditum in senatu.

Ibidem d. *Vt concedere illi videretur*] ἐνδιέστερος αὐτῷ, vt ad Hortensium referatur. Ego ad ipsum mallem, & αὐτοῦ legi. Corradus videtur legisse μὴ φαίνωμαι, sed non cohærente sensu. res non est magni momenti.

3,343, c. *Nulla preterea pœna imposita*]Rectè hæc Bochius, vel saltem cõuenienter Plutarchi verbis reddidit. Corradus autẽ, quod & aliàs ei accidit, locum, quasi si difficilimus esset, peruertit, ita vt intelligere nemo possit quid dicat, nedum vt Plutarchi verba exprimat. Quid est enim hoc? *Et eos qui nihil soluerent, & illo plus acciperent, sine infamia conseruauit.* Quòd si ei labi communi hominũ sorte euenit, in re præsertim tam aperta, & quam ipse deinde verbis Cic. ex v i ad Atticum referat: æquior profectò Plutarcho erit qui eum sæpe indignè, crebrò quidem ab illo reprehendi & vexari viderit. Neque ego hæc dico vt de Corradi gloria quicquam detractum cupiam, quem admiror hercle: & fateor me, si adesset, libenter inter eius discipulos futurum: sed vt ostendant, non omnes nos ab vnius alicuius autoritate pendere debere.

3,343, d. *Cælio oratorio*] Vide epistolas Cic. famil. lib. 2, & 8.

3,345, c. *Cato qui magnas copias & classem habebat Dyrrhachii*] En tibi æquũ Plutarchi censorẽ Corradum. Hic dicitur, Catonem copias Dyrrhachii habuisse: in vita Catonis, Corcyræ Ciceroni ab eo oblatum imperium. Ergo (inquit Corradus) de loco secum Plutarchus, vt sæpe, pugnat. Quasi verò non potuerit milites habere Dyrrhachii idẽ, & Corcyræ Ciceronem conuenire. Paulo antè de aquilis legi, & legendum omnino puto, λελεῖφθαι, non λελῆφθαι.

3,348, a. *Apud Lentulum* ] Lentulus hic pro Dolabella positus à Plutarcho. Cr.

3,350, d. *Vsqueadeo enim subiit eum adolescens*] ὑπήει πρὸς τὸ μειράκιον αὐτόν. πρὸς particula abundat, id quod quiuis viderit. Corradus hæc verba, quibus perspicuè dicitur Octauium Ciceroni se insinuasse, & submittendo se blanditum esse, falsè ad Ciceronẽ detorsit, vt haberet quod in Plutarcho reprehenderet. *Nam sic*, inquit, *adolescenti se subiecit*. atq; hoc deinde refutat, quum Plutarchus non dixerit. id est nimirum cum laruis luctari.

3,352, d. *Ad Capuam*] Καπύας. Bochius Capuam reddidit: & sic est apud Appianum lib. 4 ἐμφυλ. quæ vrbs tamen non in ora est sita. sed intelligi tamen vtcunque possunt prædia haud longissimè ab vrbe ea distantia, ex Liuii libro 120, cuius extat fragmentum de obitu Ciceronis. Videtur Caieta legendum.

3,353, b. *Popilius* ] Scribendum in Græco Ποπίλλιος, non Πίλλιος, iampridem ad x l v i i librum Dionis docui.

3,353, c. *Quatuor & sexaginta*] Liuius dicit 63. Cr.

# IN DEMETRIVM ANNOTAtiones Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

PYrrhi æqualis hic fuit, filius & successor Antigoni magni, à quo regnum Macedoniæ vsque ad Perseum à morte Alexandri durauit.

3, 364, d. *Ex Antigoni posteris*] Necauit autem Demetrium, Persei calumniis inductus. Historia copiosè est & eleganter à Liuio descripta libro 44. Donatus imperitè locum peruerterat, & Antigoni filium Philippum nominauerat. nam quòd priuignus fuit, excusare eius oscitantiam nequit. Vide genealogiam quam apud AEmilii vitam descripsimus.

3, 369, d. *Abrogatoque vetere magistratu Archonte, à quo denominabatur in fastis annus*] Xyl. vertit, *Eponymo magistratu sublato*. & annotat, De hoc supra in Aristidam annotauimus. Interpres ridiculè, *qui certo quodam nomine appellari consueuerat*. Idem contra & verba sententiámque Plutarchi, & veritatem rei, regis nomen à solis successoribus Alexandri hactenus vsurpatum fuisse scribit: quasi sub eorum numero non comprehenderetur Antigonus & Demetrius. Sed & paulo antè nescio quam Lamiacensium pugnam dixit. Verum ista persequi omnia est molestum.

3, 372, b. *Abhorrēti dicitur in aurem hoc Euripideū insusurrasse*] Euripidis nobilem versiculum (quem nos ipsum quoque perspicuitatis causa integrum in versionem nostram transtulimus) nemo eruditorum est ferè qui non sæpe viderit, aut audierit: Ὅπου τὸ κέρδος, παρὰ φύσιν δουλευτέον, Antigonus ita immutauit, & ab obsequio ad nuptias detorsit, vt ὁμοιόπτωτον elegantem allusionem contineret, pro δουλευτέον reposito γαμητέον. Quod minimè obseruans Acciaiolus, omnem loci venustatem interuertit, & abs re de seruiendo mulieri mentionem intulit. Idem supra, quū Dromoclides Sphettius (Sphettia curia est, seu δῆμος, Atticæ) nominatur, nescio quid tribui (si diis placet) Sphettiæ ab eo iniunctum commentus est. Philam vnico l scribo, sequutus Diodorū & alios.

3, 375, d. *Sed Thasius an Chius fuit fluor*] Elegans est & facetus planè iocus. nam quod affluxui (ita enim liceat exponere vocem ῥεῦμα) Demetrius humoris alicuius, seu pituitæ imputabat: id vini abundanti affusioni Antigonus adscribit. Nobilissima vina sunt Chium & Thasium: de quibus præter alios, Plinius lib. 14, cap. 7, & deinde, atque Athenæus libro 1. Hunc iocum varie etiam Germani, neque minus scitè vsurpant. nam & eū qui in itinere diutius moratus, eluuie aquarum se impeditum minus concinnè causatur, potuisse quod ad aquā pergere dicimus ioco, nisi vinum (cui nō item pontes insternuntur) obstitisset. & vino deditiores, ac de catarrhis cōquerentes, simili planè modo notamus, quū dicimus, si velint efficere ne tanto affluxu infestentur, ab assumendo (nimirum vino) esse temperandum.

3, 377, b. *Pondo vterque quadragenûm*] ὁλκῆς ἑκάτερος μ΄. deest autem μνῶν, vt puto, id est libras vel

minas (Mina Attica non ita multum à libra Romana differt. nimirum drachmis quatuor. de qua re Budæus & alii) quadraginta: quomodo & interpretes acceperunt.

3,379,1. *Lamia, Demo* ] Δημοῖ Hæc apud Athenæum libro decimotertio Δημώ, Demo, dicitur. & sic etiam infrá.

Ibid. d. *Laconensis* ] Λακωνδὶς. Spartiatā Donatus, Amiotus cognomento ita dictum. mihi neutrū probatur, & patriam aut verò curiam Atticam vel pagum designare id vocabuli puto. Λακωνδὶς quidem Spartanus non dicitur.

3,381, c. *Demochares Solius Demetrium Fabulam appellauit, quòd ei Lamia quoque esset* ] Apparet Lamias in fabulis, vt & Sphingas, Satyros, & alia id genus aliquem habuisse locum: atque ideo Demetrium, qui Lamiam meretricem, monstro illi cognominem, secum haberet, ostentarétque, dramati seu fabulæ (nam hîc μῦθον dixit Plutarchus, quod pro scenico figmento vsurpari vix puto) similem esse. Sanè in scena Lamias aliquando vel productas, vel saltem commemoratas, ex Horatii arte poetica apparet. Tametsi etiam ita exponi posse videtur hic locus (est enim obscurus) vt fabulosum hominem diceret Demochares Demetrium, qui præter alia inania, etiam Lamiam meretricē secum haberet, non malè ex fabulis notarum istarum Lamiarum respondentem titulis. Quæ de Lamiis apud Philostratum in Apollonii Tyanei libro quarto leguntur, vt ille Lamiæ tali monstro seu spectro Menippum philosophum Corinthi eripuerit, (quo loco eædem esse Empusæ, Lamiæ, & Mormolycia ostenduntur, in id intentæ vt re venerea illectos homines deuorent) prolixiora sunt quàm vt huc commodè inseri possint. Aristophanis interpres in Vespis & Pace ex Duri & aliis scribit, Lamiam Beli & Africæ filiam à Ioue constupratam, filios eius à Iunone interfectos: ipsámque tetra forma ob mœrorem, aliorum partus rapuisse, interfecisséque: & cætera quæ inde etiam Varinus trāstulit. Lyncei de cœna Lamiæ scriptum citat aliquoties etiam Athenæus.

3,385, d. *Qui violatos putans ex Demetrii descensione fines &c.* ] Corruperunt hîc historiam interpretes, & ad Selenam iuisse Plutarchum dixerūt, qui ad fratrem Casandrum accusandi Demetrii caussa profectus scribitur. Iidem Quinda (de quibus in Eumene facta mentio) in Cynda nimis subtiliter verterunt. quasi verò Cilices barbari, non barbara etiam locorum nomina retinuissent. Quæ paucis pòst versibus de Cilicia, Tyro, Sidone, & cætera referuntur, planè diuerso sensu protulit Donatus.

3,389, a. *Ad Dion* ] In Græco περὶ Δῖον: Donatus Diū, Amiotus nescio quale Demon. Ego, qui Diū esse Macedoniæ vrbem infra Pydnam in ora maritima sinus Thermaici, & scirē, & omnibus eruditis cognitum putarem, facilè id cū Donato reposui. Verùm ille corrector ne nihil diceret, præclarè meritum se & de autore & de interprete & de lectoribus putauit, si annotaret Δῖον vrbem esse Eubœæ, ex Stephano & Strabone. apposité scilicet: quasi vnicum tantùm Dium Stephanus & alii geographi notassent. Sed erat omnino talis, quicunque fuit, vt libenter fumos venderet.

3, 390, c. *Medicus Erasistratus* ] Simile quoque de se Galenus prædicat

dicat. Cr.

3,390,d. *Illa Sapphûs in eo omnia existerent,&c.*] In nobilissima illa oda (nisi vehementer fallor) quam insignis venustas iniuriæ edacitatique temporum exemptam, nostro quoque tempore in lucem retulit, & quam Catullus Sapphico versu elegantissimè depinxit. Extat impressa cum Anacreontis reliquiis & Dionysio Longino, & Mureti in Catullum commentario.

3,397,d. *Non illepidè Euripidis versus vsurpauit*] De Bacchis sunt desumpti.

# IN ANTONIVM ANNOTAtiones Guil. Xylandri, & Herm. Cruserii, interpretum.

3, 404, a. *Pater Creticus dictus Antonius*] In Græco est Criticus, (vt Aretinus reliquit: & Amiotus explicauit iudiciarium) κριτικός: sed mendosè pro Κρητικός. Critici cognomen ego tribui huic posse non puto: Creticum vocari à bello contra Cretenses gesto arbitror, argumento eorum quæ apud Florum lib. 3, cap. 7, in Epitoma Liuiana XCVII, & alibi leguntur.

3,405,a. *Sexagies II-S*] πεντήκοντα καὶ διακοσίων ταλάντων, CCL talentorum. Cicero Philippica secunda hanc rem ita describit: Recordare tempus illud quum pater Curio mœstus iacebat in lecto, filius se ad pedes meos prosternẽs, lacrymans te mihi commendabat: orabat vt te contra suum patrem, si II-S sexagies peteret, defenderem. tantum enim pro te intercessisse dicebat, &c. Ciceronis verbis in summa hac expriméda Latinè malui vti, quàm talenta ponere. Idem verò esse CCL talenta & sexagies sestertiûm, ostendimus in vita Cic.

3,409,a. *Cuius naues circumiecit multis paruis acatiis*] πολλὰ τ λ.ακ.τ.τ. αὐτοῦ περιεστήσας. non περιστήσας. Interpres ἐναλλαγὴν fecit, nõ enim Antonii triremes fuerunt, sed Libonis. Totum stratagema describit ipse Cæsar venustè, lib. 3 Belli ciuilis.

Ibidem. *In abruptos scopulos atq; altos sinus maris*] ἀγχιβαθεῖς φάραγγας. *Præceps & scopulosum littus*, interpres. φάραγξ inter alia hiatum seu fissuram terræ significat, quæ aquam incidentem absorbeat. Varinus. Voce ἀγχιβαθὴς (rectius enim legitur hoc modo quàm ἀγχιβαθὴς) etiam Homerus vsus est Vlyss. υ, Ἀγχιβαθὴς δὲ θάλασσα, καὶ οὔπως ἔστι πόδεσσι Στήμεναι ἀμφοτέροισι, καὶ ἐκφυγέειν κακότητα. Quod exponit Eustathius Littus vbi altum sit mare.

Ibidem, c. *Antonium tribunum plebis fecit, misitque eum Romam*] Xyl. vertit, *Magistrum equitum Romam mittit.* * *est autem, &c.* & annotat, De hoc loco quod statuã, non habeo. Ἀντώνιον δήμαρχον ἑλόμενος εἰς Ῥώμην ἔπεμψεν, *Antonium tribunum plebis, &c.* Et verò quæ de tribunicia potestate sequuntur, vera per se sunt, & historiæ Romanæ non rudibus cognita. Sed adduci vt credam Plutarchũ hoc loco ab omnibus aliis autoribus dissensisse, vix potero. Nihil est enim notius quàm Cæsare iterum dictatore, Antonium magistrum

equitum (ἵππαρχον, non δήμαρχον) ei adiunctum fuisse. Id ostẽdit copiosè Dio, & apertè in huius historiæ luculẽta narratione, lib. 42, contẽtionẽ etiam eius cum Dolabella persequens stylo. Idẽ in Philippica secũda Ciceronis est. Denique cur Antonium eo tempore Romã trib. pleb. mitteret, ne causam quidem fuisse existimo. nihil enim istis artibus & tumultibus tribuniciis Cæsari ad id quod volebat opus erat, sed iis quæ erant in Antonio maxima, insolẽtia, & quæ cõstituendæ stabiliendæq; tyrannidi conduceret, iniusta & legibus contraria dominatione. qualẽ tum fuisse Antonii magistri equitũ, ex Dione apparet. Quid ergo (inquies) Plutarchus hæc de tribb. plebis potestate hoc loco commemorat, si ἵππαρχον, vt tu vis, nõ δήμαρχον, est legendum? Dicam. Suspicor intercidisse aliquot versus post hæc verba: εἰς Ῥώμην ἔπεμψεν. Illis autem versibus descriptã fuisse ἀναρχίαν ipsam & confusionẽ quæ tum Romæ fuit quũ Cæsare iterum populi, & Antonio, equitum magistro creato, neq; consul esset neq; prætor: vti perspicuè est à Dione nostro explicatũ. His deinde malis accessisse tribunicias illas cõtẽtiones & turbas, quæ veluti vnguis essent in vlcere. Causam autẽ redditam obiter à Plutarcho, cur tribunis plebis licuerit quicquã moliri dictatore creato, & magistro equitũ præsente: reliquis magistratibus abolitis. Cætera interpretari, & de tribb. pl. potestate cõmentari, nõ est huius operæ. Hanc autem medicinam puto adhiberi huic Plutarchiano loco posse, atq; haud scio an nullam aliam. Quòd siquis integrum locum esse putat, ipse viderit: modò ne in cũ finẽ cõtẽdat vt optimum & minimè imperitum auctorem calumniandi occasionem captet. Sanè in vita Ciceronis quoque χιλίαρχοι legitur pro δήμαρχοι. quã cauillandi ansam arripuit Corradus.

3, 410, c. *Hanc vrbes peragrans circumducebat lecticâ*] ὁ δὲ, ad Sergium mimum refert: Cicero ad mimam in secunda Philippica. Interpres non aduertit.

3, 411, d. *A tergo Brutum Albinum*] In Græco sunt duo insignia menda, Λαβῖνος pro Ἀλβῖνος, & ἀδελφῆς pro ἀδελφιδῆς. De quibus apud Dionem monuimus. Albinus rectè in Cæsare legitur.

3, 412, d. *His abrogauit Cæsar magistratum*] Καίσαρα δὲ τῆς ἀρχῆς ἀπέστησαν. insigne mendum, & historiæ contrarium: quod & Aretinus senserat. Legendum est, Καῖσαρ δὲ τῆς ἀρχῆς ἀπέστησεν, nempe illos tribb. plebis. Historia est apud nostrum in Cæsare, apud Dionem lib. 44, apud Suetonium & alios.

3, 416, a. *Munatium Plancum*] Is est L. Munatius Plancus ad quẽ extant libro decimo familiarium multæ Ciceronis epistolæ: etsi in plerisque libris vitiosè Cn. pro L. legitur, vt hîc Φλάκκος pro Πλάγκος. quod & alibi annotatum est.

Ib. b. *Cotylonẽ*] Is est quẽ L. Variũ Cotylã Ciceroni in Philippicis quinta & octaua dictum deprehendimus. Apparet à potando cognomentum esse effictum. est enim cotyla genus mensuræ.

3, 418, a. *Quum oblatum cuidam eius amico fuisset somnium*] Actorii scilicet medici. Dio lib. 47, & Valerius lib. I, cap. 7, & alii.

Ibidem, b. *Hortensium super illius monumentum præcepit interfici*]

Xyl. vertit, *Illum ad sepulcrum fratris iugulauit.* & annotat, Hortensium scilicet. Interpres hoc non tam omisit quàm peruertit. In Græco mendum est, sed non difficile animaduersu, ἐπισφάξαι pro ἐπίσφαξε. Cur autem Hortensius in culpa cædis C. Antonii fuerit, ex Plutarchi Bruto & Dione patet. De morte eius Hortensii est apud Velleium, & in Epitoma Liuiana CXXIIII.

Ibidem, d. *Et ruinosa*] σαθρόν. Aretinus Disiecta. quasi σκεδρὸν legisset, quod & Amiotus habet.

3,419, a. *Italicas pestes*] τὰς ἀπὸ τῆς Ἰταλίας κῆρας. Sic vocat mimos, tibicines, præstigiatores & alios eius farinæ homines, quibus impensè delectatum deditumque iam olim fuisse Antonium, nemo nescit. κῆρας autem, sicut & ὄλεθρον & similia, Græci dicunt vt Latini pestem, scelus, pro pestilentibus & scelerosis hominibus: éstque perusitata dictio. Aretinus quum id non recordaretur, insultatum calamitatibus Italicis, nullo autore, & magno errore dixit. Sophoclis locus est initio OEdipi regis.

3,420, c. *Vt ait Homerus*] Alludit ad locum qui est de Circe, Vlyssem lib. 12, redeunti ab inferis Vlyssi occurrente: --ἀλλὰ μάλ' ὦκα Ἦλθ' ἐντυναμένη. Quod exponit Eustathius ἐπαγωγότερον ὁπλίσασα, εἴπως ἀρέσει τῷ Ὀδυσσεῖ. aut similem aliquem, qui nunc non occurrit.

3,421, a. *Cydno fluuio*] In Græco Κύανον est pro Κύδνον, malé. quanquam illud Amiotus retinuerit.

3,422, b. *Circa Mesopotamiam*] Ex his quæ deinceps sequuntur, cōfecta est posterior pars Parthici libri, qui in amissi (ita enim opinor) locum Appiano Alexandrino est subsarcinatus, cui' prior pars est ex nostri autoris Crasso decerpta. Quæ ad Antonium præcipuè, non ad rem Parthicam pertinent, omissa sunt in isto centone: cætera ad verbum propè descripta.

Ibidem, d. *Inter clientes se fuisse filii Antonii natu maximi*] Xyl. vertit, *In numerum assectarum Antonii.* & annotat, ἐν τοῖς θεραπεύουσι τὸν. Aretinus peruertit totum locum, satis alioquin & elegantem & apertum: transtulítque ad alias alia personas. Locus Platonis qui paulo pòst citatur, est in Gorgia.

3,425, a. *Hic post eã ex Accia fuerat genitus*] Ἀττίας legendum, non Τατίας, satis ex iis quæ apud Dionem diximus, apparet. sicque in Ciceronis vita legitur. Suetonius in Cæsare Iulio cap. 27, Attia Octauiam natam videtur dicere. Ad retinendam (inquit) Pompeii necessitudinem ac voluntatem, Octauiam, sororis suæ neptem, quæ C. Marcello nupta erat, conditione ei detulit.

3,425, d. *Hexere*] sex remigum nauis est. Cr.

3,426, d. *Regis Herodis*] Xyl. habet Orodis. & annotat, Ἡρώδου. Quod sequutus est, sed imprudenter, Aretinus: & Amiotus etiam. in Crasso Ὑρώδης legitur: falsum & hoc. Ὀρώδης enim, Orodes, rex Parthorum fuit dictus, quòd notissimum est.

3, 427, a. *Aqua ex clepsydra*] Fons est in arce Attica, Clepsydræ nomine: sic dictus quòd clepsydræ in morē modò amittat aquam, modò recipiat. Impletur enim flantibus etesiis, vacuus aquæ est iis cessantibus, exemplo Nili. Hæc & plura Scholiast. Aristoph. ὄρνισι.

Sed vt ea vox exponi posſit, nondum video: mihi enim faſciculi iſti non probantur vel verborum vel ſarmentorum. Sequor autem Varinum, qui oſtendit, ἀπὸ τοῦ ῥωποπερπέρου factum eſſe vocabulū ῥωποπερπερήθρα, ſicut à δάκτυλος fit δακτυλήθρα. Idémque, Euſtathium ſcilicet ſequutus, exponit ῥωποπερπερήθραν ſignificare inanes & futiles nugas. Nota ſunt πέρπερος, περπερεία & περπερεύεσθαι. ῥῶποι, inutiles & viles res ſeu merces ſignificantur: quales vulgò multæ circunferuntur, non ad inſtruendos aliqua vtilitate, ſed emungendos pecunia homines, leues præſertim & curioſos, paratæ. Et ῥωπικὸν etiam in Lycurgo Plutarchus eodem modo dixit. éſtque venuſtum Eraſiſtrati dictum, τὴν φύσιν οὐδὲν ἔχειν ῥωπικόν. itaque ἐκ τῶν ῥώπων καὶ περπέρου componitur ῥωποπερπερή, eleganti tranſlatione inanem loquacitatem ac temerariam explicans: (quo in genere comici ſolebant ludere, & quale notum illud κομποφακελλορρήμων) atque ab eo παραγωγῇ fit ῥωποπερπερήθρα: quomodo hìc legendum omnino puto. quando & Euſtath. in 2 Iliad. hoc ipſo vocabulo notari futiles & garrulos teſtatur, inquiens: ἐκ τούτου δὲ ῥωποπερπερήθρα τις προσερρήθη, (nimirum Demoſthenes) ὅτι χυδαιότητι καὶ φλυαρίᾳ σκωπτόμενος. Simile huius eſt illud ῥωποστωμυλήθρα, obiectum Eubulidæ Mileſio, Euclidis ſectatori, à quodam comico apud Diogenem Laertium lib. 2. Apud Suidam eſt ῥωμβοστωμυλήθρα.

3,300,b. *Mearum ſecuris orationum exurgit*] Apparet in Græco eſſe iambicum ſenarium hoc quidem loco. nam in Phocionis vita pro ἀνίσταται legitur πάρεστιν: atque ita verſus ratio tollitur. Itaq; vt ſatiſfacerem & iis qui verſum eſſe iudicant, & iis quibus aliter videbitur, verſu reddidi, ſed qui in oratione ſtare poſsit.

3,300,d. *AEſiona*] Pro AEſionē legitur Appionē in vita Demoſthenis hac, cū Demoſthene impreſſa.

3,305,c. *Præterea Daochum Theſſalū, & Thraſydæū*] Ita legit & Aretinus, & Amiotus. Hieronymus Vuolfius, vir doctiſsimus, & quem amicitiæ honoríſque cauſa nomino, in huius vitæ verſione locum hunc aſteriſco notauit, quòd particula δὲ poſt Μακεδόνας, omnino aliquid diuerſi videatur ſignificare: id quod tamen verba non explicent, loco ſcilicet mutilo. Cuius ego coniecturam eatenus probo quatenus Daocho & reliquis epitheton deeſſe cenſuit: Theſſalos autem Daochum & Thraſydæum affirmare non poſſum. Hiſtoriam (vt obiter moneam) qui plenius & expreſsius legere cupit huius belli, Diodorum Siculum, vel Gemiſti paralipomena cum Herodoto Baſileæ impreſſa euoluat.

3,307,a. *Demoſthenes Demoſthenis*] Iambicum trimetrum, & alterius caput verba Græca efficiunt: atque in Græco etiam ita diſtinguenda ſunt vt carminis ratio appareat. ὑποκρούειν ego accipio Menſurā carminis, vel man⁹ vel (quod huic magis quadrat) pedum motu exprimere. quod nos vulgò, *die menſur ſchlagen*, dicimus.

3,309,a. *Puerum vocans & margitem*] inertem & nullius precii ſtolidúmque hominem. Meminit eius ex Homero Ariſtoteles, atque Clemens Alexandrinus. Vide Eraſmi Chiliad. de Margite.

3,312,b. *Phylarchus*] Φύλαρχος, alibi: & in hac vita aliàs cum Demoſthene impreſſa Φίλαρχος. Sed hoc rectius eſt. Aretinus Phale-

reum legit. Idem *γάλα ὄνειον* vertit venale, quasi si idem essent ὄνειον & ὤνιον.

3,312,d. *Eluserunt legem* ] Xyl. vertit, *Commento illuserunt*. & annotat, *ἐψηφίσαντο πρὸς τὸν νόμον*. *ἐσοφίσαντο* legendum, non ex altero modò exemplari, sed palàm ex sensu constat.

3,313,c. *Calauria*] Hæc aliquando *Καλαβρία* scribitur, ob affinitatem literarum, vt *αὔρα* & *ἄβρα*. nam vitiosa pronunciatio hæc inuexit: sicut id quoque quod β ferè in scriptis libris figura nostro u simili exprimitur.

# IN CICERONEM ANNOTATIONES Guil. Xylandri, & Herm. Cruserii, interpretum.

3,316, a. *Ciceronis matrem tradunt Heluiam* ] Ὀλβίαν *καὶ γεγονέναι καὶ καλῶς βεβιωκέναι*. ὄλβος, opes, ὄλβιον diuitem esse scio. Cæterùm hîc mihi metui ne si verterē quomodo vterque interpres, negligentior meritò iudicarer. Puto autem scriptum esse à Plutarcho, *Κικέρωνος δὲ τὴν μὲν μητέρα λέγουσιν Ἑλβίαν καὶ γεγονέναι καλῶς, καὶ βεβιωκέναι*. Primùm ipsa traiectio particularum Ὀλβίαν *καὶ*, locum mihi fecit suspectum. Deinde quum Græci loco v consonātis τοῦ βῆτα vtantur, cogitaui quā Plutarchus siue Ἑλβίαν, siue Ἐλβίαν dixisset, eam à librariis postea Ὀλβίαν perperam scriptam, proprio in appellatiuum commutato. Nam Eusebius quoque Heluiam Ciceronis matrem nominat, sequutus eosdem (opinor) autores: & Heluii Romæ fuerunt, Cinnæ cognomento. Denique vix mihi persuadebitur, si autor matrem Ciceronis (cuius nomen omittere non, puto, voluit) diuitem voluisset affirmare, ὀλβίαν scripturum fuisse. Dixi quod sentio, cæterorum saluo iudicio.

Ibidē. *Alii ad Appium Tullium*] In Græco est Τύλλιον Ἄππιον, quod interpretes parum de his rebus soliciti retinuerunt. Est autem legendum Τύλλον Ἄττιον. loquitur enim de Tullo Attio Volscorum rege, ad quem exul Coriolanus confugit. Liuius lib. 2, Dionysius libro 8, initio, & in Coriolani vita noster.

Ibidem. *Verùm is qui huius gentis Cicero princeps est cognominatus*] A cultura ciceris hoc cognomē Plin. lib. 18, c. 3, ortum ait, sicut Lentuli, & similia.

Ibidem c. *Tertio nonas Ianuarias*] *ἡμέρᾳ τρίτῃ τῶν νέων καλανδῶν*. Hunc suum natalem diem Cicero ad Atticum etiam notat, lib. 7, epist. 5. Ita, inquit, ad vrbem 3 Non. (patet autem ex superioribus loqui de Ianuario) natali meo. Et lib. 13, epistola, Venit ille: Sed heus tu, inquit, diem meum scis esse III Non. Ianuar. aderis igitur. Gellius lib. 15, cap. 28, ait: Q. Cæpione & C. Serrano Coss. ante diem III Nonas Ianuarii, natus est M. Cicero. fuit hoc anno V. C. DCXLVIII. Latinus interpres Bochius, III Kalen. Ian. vitiosè extulit. quem errorem, vt persæpe alios, sequutus est Amiotus. Locū autem doctè, vt omnia, in sua quæstura Corradus explicauit.

3,317, a. *Qualem esse Plato vult*]

Disputat ea de re cùm aliâs, tum principio libri De repub. sexti.

3,317, c. *Viginti millibus æris* ] Xyl. vertit, *Octo millibus nummûm*. & annotat, Ita quidem est in Græco. nam duo millia drachmarum hoc efficiunt, quū quatuor nummi sestertii sint in denario. At apud Ciceronē in hac pro Sex. Roscio Amerino oratione ita legitur: Bona patris huiusce Sex. Roscii quæ sunt sexagies, de viro clarissimo & fortissimo L. Sylla, quem honoris causa nomino, duobus millibus nummûm se dicit emisse adolescens vel potentissimus hoc tempore nostræ ciuitatis, L. Cornelius Chrysogonus. Neque verò dissensisse à Cicerone Plutarchum credo: multo minus autē ignorasse vt hæc summa Græcè efferretur, aut lapsum fuisse ea in re. Itaque nisi mendum libri sit (quod ipsum affirmare durum est) vel apud Ciceronem, vel apud Plutarchum, lapsum hunc memoria hoc loco dicendum est. Sanè illud *Sexagies* accuratè & rotundo ducentorum ac quinquaginta talentorum numero expressit. Etenim talentum constat minis LX, mina centum drachmis, seu denariis: in denario quatuor sunt, vt diximus, sestertii nummi. quo fit vt in singula talēta sex denariorum, vel XXIIII nummorum, millia computentur. Ergo de CCL talentis, MD millia drachmarū, sexies millena millia nūmorum redigentur. Hæc iam ad centena millia (nam quoties sestertiûm vel dicitur, vel dici intelligitur, vt in hoc loco Ciceronis sexagies, & alibi decies, ac similia omisso vocabulo sestertiûm ponūtur, toties centena millia nummorum indicantur) reuocabimus: erūt sexagies cētena millia nummûm, hoc est sexagies sestertiûm. Id obiter annotare non abs re duxi. In vita Antonii infrà similis locus Ciceronis referetur.

3,319, b. *Neque honore erat in vllo, appellabántque eum Gr.* &c.] παρημελεῖτο. Hoc passiuū est verbum vtique, non actiuum: & negligi significat, nō negligere. Malè hæc interpres extulit, sicut & σχολαστικόν: quod vocabulum hodie pro Latino vsurpatum, eodē modo apud nos solet ignominiæ loco eruditis & simplicibus hominibus, ab auaris hominibus ac superbis bellorū cauponib' obiici.

3,320, a. *Contra disciplinā militarem*] In Græco est ἀταξίας: quod qui ad desertos ordines referunt, speciem pro genere non satis prudenter arripiunt. Multa enim alia hoc vocabulo comprehenduntur, non tantùm λειποτάξιον. Non sanè constat mihi qualis ἀταξία obiecta iuuenibus illis Romanis fuerit: sed hoc scio ἀτακτεῖν Græcis esse quicquid fit contra disciplinā militarem. Sic in vita Pompeii, ἀκούων τοὺς στρατιώτας ἐν ταῖς ὁδοιπορίαις ἀτακτεῖν. & alibi.

3,320, a. *Quiddam sibi accidisse ridiculum ipse ait*] Locus est in oratione pro Cn. Plancio, tametsi paulo aliter rē narrat Cicero: ita quidem vt ad summā negocii aut nihil aut parum intersit.

3,321, a. *Cæcilius*] Q. Cæcilius Niger, domo Siculus, & quæstor Verris, cōtra quem Diuinatio seu prima Verrina Ciceronis est. vide Asconium. Suibus autem abstinere Iudæos, (quæ ioci est materia) notissimum est.

Ibid. c. *Villam amœnā Arpini* ] Ἄρποις. Ciceronis patria fuit Arpinum, vnde Arpinâs dictus est. fuit autē in Campania, vt & Neapolis, & Pompeii. quod vel ex

Plinio lib. 3, cap. 5 intellexeris. Arpi autem vrbs eſt Apuliæ,in diuerſa Italiæ parte: vt planè huc non quadret. Niſi Arpinum fortè Græcis Ἄρποι dictum ſit, quod credere eſt durum.

3,322,b. *Fama eſt Licinium Macrum*] C. Macer ille eſt, cuius l.1, Ep.3,ad Atticum meminit. Aliter narratur hæc res à Valerio Max. lib.9,cap.12.

Ibidem,c. *Non habeo tantũ collum*] τηλικοῦτον τράχηλον. Guttur verterunt Bochius & Corradus: non ſanè ita vt ſenſus requirit. neque verò τράχηλος guttur eſt. eſt autem vernacula etiam noſtra lingua vſitatum vt homines impudentes & in dicendo præſertim temerarios, valido collo præditos dicamus. Atque ita etiam Marius (vt refert Plutarchus) in ſenatu reſpondit: Non ita latum ſibi eſſe collum vt de tanta re quicquam affirmare auſit, de lege Saturniniana loquens. Eò alludẽs Cicero,ſtrumas Vatinii eleganti dicto notauit. Pòſt in Græco ἐλαύνεσθαι eſt, quod non video quàm commodè legatur. Sicut & illud διαγαγόντων ἐπὶ βῆμα καλούντων. Sed ſententiæ ſunt planæ.

3,324,b. *Hinc illi qui per leges Cornelias ab honoribus petendis arcebantur*] Proſcriptorum filii. Vide Corradum & alios. Plin.lib.7, cap. 30, in eulogio Ciceronis: Te orante proſcriptorum liberos honores petere puduit. Meminit ipſe lib.2,Ep.1,ad Atticum.

3,325,b.M. *Otho prętor*] Ita hæc vt in Græco ſunt retuli: niſi quòd animaduerti etiam aliâs στρατηγεῖν vocabulum pro quouis magiſtratu poni, minus propriè. (Quod viderat multo antè Polybius, στρατηγοῦ vocem prætoris nomine ampliorem: itaque hunc aliâs ἑξαπέλεκυν vocat. Etiam in Lucullo ea de re annotaui) Niſi quis erratum vel à Plutarcho vel à librario (quod malim) dicat: vt δημαρχῶν legatur. Autor enim legis theatralis fuit tribunusplebis: quod & diſertè Liuius lib.99 tradit, vt ex Epitoma intelligitur, & apud Dionem libro 36 perſpicuè docetur. Fuit autem is tribunusplebis, L. Roſcius Otho. Prænomen L. eſt & apud Ciceronem in Mureniana,& apud Liuium ac Dionem quibus dixi locis,& apud Aſconium Pædianum in oratione pro C. Cornelio,& apud Acronem in 4 Epod. Horatii: vt M. à Plutarcho dici mirer. quanquã mendum potius, aut μνημονικὸν eſſe ἁμάρτημα ſuſpicor. Porrò autem Roſcius nomẽ fuit, Otho cognomen. Id quod quum pridem Dionem vertiſſemus, in eúmque annotationes ſcriberemus, feſtinantes & parum ſolicitè circumſpicientes fefellit. Itaque ibi putauimus Dionem & Liuium à Plutarcho & Horatio & Iuuenali diſſentire. quod falſum eſſe, vel vnus Horatius nos poterat docere. Cuius enim ex quarto Epodωn verſus citauimus de Mena, Pompeii liberto, auſo in XIIII ordinibus ſedere, *Sedilibúſque magnus in primis eques Othone contempto ſedet:* idem in prima ad Mæcenatem epiſtola legem do ordinibus Roſciam dixit, eo loco, *Roſcia dic ſodes melior lex,&c.* Sanè ſtatueramus Dionem noſtrũ & emendatum pluribus in locis & politum denuò edere, quum typographus in Gallia inſciis planè nobis priorem editionem recoxit: qui opera noſtra vti, & melius de nobis & Dione ſtudioſíſq; mereri potuiſſet, ſi voluiſſet. Sed quid facias hominibus etiam cum damno & dedecore aliorũ lucrum ſibi ca-

ptātibus. Nos vel correctū(vt dixi)breui dabimus :vel,si id cōmodius videbitur,seorsim castigationes nostras & annotationes edemus. Nunc vt finem faciam,vim Rosciæ legis scribam.Quatuordecim gradus in theatro proximos post patricios secreuit Roscius, in quibus equites spectarent, plebe exclusa. Porphyrio & Acro ex his primos pro tribuniciis seruatos fuisse scribunt.Plinius libro 7, cap.30, Te suadente ( ad Ciceronem conuersa est oratio)tribus Roscio theatralis legis autori ignouerunt, notatásque se discrimine sedis æquo animo tulerunt. Erat autem certus præscriptus census equestri ordini, quem qui non expleret,iis spectādi locus in XIIII ordinibus non dabatur. Quod non modò ex Satyris Iuuenalis, tertia & decimaquarta,apparet, sed Horatius disertè ostendit fuisse quadraginta millia nummorum, id est CCCC sestertia , ibi, *Si quadringentis septem sex millia desunt, plebs eris, &c.* Quod idem ex Suetonio & aliis colligi potest. Plinius lib.33,cap.2, docet hoc caput repetitum sub Tiberio. quem locum consule,nos aliò vocamur.

3,326, d. *Ipsi Crasso vnám sine nomine*]Quòd hoc loco calumniatur Plutarchum Corradus , quasi in vita Crassi diuersum scripserit, iniquè mihi videtur facere . Nam profectò ibi nequaquam dixit,epistolam illā fuisse à Catilina scriptam , sed de Catilina fuisse scripta quædam istis in literis: à quo, non additur,vt optimè cum eo cō ueniat quòd hîc ἀδέσποτος epistola dicitur. Est enim ibi , ἐπιστολὴν κομίζοντα περὶ τοῦ Κατιλίνα , καὶ ζητουμένων. Quæ duo postrema vocabula mendū continent,sed quod nullo modo potuerit Corradum in Plutarchum armare.

3,333,a. *Qui illorū actionibus pari preditus potestate*]Tribb.plebis qui Cæsaris instinctu Ciceronē vexabant. ἐκείνου in Græco ad Cæsarē refertur,scilicet autorem consiliorum quorum administri erant δήμαρχοι. Sic enim legendum,non χιλίαρχοι,satis constat:neque librariis nouum crimen obiicitur. Calumniari autem Plutarchum hîc planè nihil attinebat,quasi prætoris & trib. plebis potestatem eandem putasset.Neque mei est instituti Plutarchum defendere , qui seipsum satis defendit. Nam quæ Ciceroni obiicit vitia,excusare humanum est:negare qui velit , ipsi etiam Ciceroni,nedum Plutarcho & aliis etiā Latinis scriptoribus , omnem fidem deroget.

3,335,a. *Actium quendam*]Mentio Axii fœneratoris est apud Ciceronem epist.10,lib.1,ad Atticū. interpretationem ioci coactus sum addere de meo : quia, vt pleraque id genus,in Latinum transfusus amittit vim & lepôrem suum.

3,336,a. *Relicto aliquando tribunatu plebis*]Id factum est Silano & Murena Coss.proximo post Ciceronem anno. Historia est apud Dionē perscripta, lib.37. In Græco ἀπολιπὼν ἄρρῳ , sed scribatur ἄφρω.

Ibidem,c. *Adrastum* ] Notum est hunc duobus exulibus, Tydeo & Polynici,duas filias nuptum dedisse.alter qui sequitur versiculus, notus est de Laio.

Ibidem, d. *Qui proclamarunt*] ἀναπεφωνηκότων. non satis hoc assequor:nisi proclamator fortassis, vel præco dicatur esse, aut ab eo genitus.nam illa officia sordida ac parū digna ingenuis habebantur.

Ibidem. *Bonorū auctionem proscripsisse*]Xyl. vertit,*Bona quædam*

*proscripsisset.* & annotat, *ἀμαρτίαν προγέγραφεν.* Vereor ne hic sit *ἁμαρτία* librarii, & aliquid aliud legendum. non enim video quid sit vitium vel peccatum proscribere, nisi forte se decoxisse & soluendo non esse præscripsit ipse. quod an fuerit moris nescio: neque memini me legere. Viderint doctiores.

Cr. hic annotat, *Ἀπάρτιον* habet Plutar. in Apophth.

3, 337, b. *Cum qua ingressus fuerat*] *ἢ συνῆλθεν.* Neque hoc statim obscœnum est verbum, vt ne apud Latinos quidem Congredi, & similia: & magis tamen placet *συνεισῆλθεν* legi, vt in Cæsare est, & videtur legisse Amiotus. Aura ancilla in Cæsare *ἅβρα* dicitur: quomodo etiam Calauria & Calabria, pro insula, variè & promiscuè scribuntur.

Ibidem, c. *Ac nomen Clodii de violatis sacris detulit*] Xyl. vertit, *Clodiũ postulauit.** & annotat, Cur asteriscũ adiecerim, nõ est obscurũ. quis enim nõ videat, accusatoris nomẽ, hoc est, nominatiuũ qui ad *ἀπεγράψατο* pertinet, deesse? Tantũ enim abest vt Cæsar eũ accusauerit, vt ne testimonium quidẽ dicere voluerit. A tribuno plebis postulatum Clodium, est in vita Cæsaris.

Ibidem, d. *Interprete vti Tullo quodam*] Τούλλου. Τούλλιος malim. vt libertus aliquis Ciceronis intelligatur.

3, 338, d. *Colluuiem inopum ad cœpta sua decuriauit*] Bochii interpretatio, itémque Amioti, nõ tam à verbis Græcis quàm à veritate videtur aliena. & *πολίτευμα* significare frequenter conatum aliquẽ certæ rei in ciuitate conficiendæ, (vnde & *πολιτεύεσθαι* eodem modo deductum) notum est.

3, 340, 6. *Sed locum ostendit eis designaturum in agro*] *τὸ χωρίον δὲ καταγράψειν.* Bochius, *illicò eum in crimen delaturum asseruit.* sed ferè pleraque ab eo sunt negligenter versa. Sic ex Fabrûm magistro ædilem proximo versu fecerat. Corradi versionẽ nõ habeo cur probẽ: *ex ipsa regione se milites in eum conscripturum denunciauit.* *καταγράφειν* scio aliquando esse Militem scribere: sed quid *χωρίον*? Deinde si talis aliquis sensus his verbis subesset, nõ videtur particulis *μὲν* & *δὲ* vsurus fuisse, quum posterius membrum priori esset atrocius. sed dixisset fortassis, *οὐ μόνον οὐκ ἐδέξατο οἰκίᾳ, ἀλλὰ καὶ χωρίον,* &c. nunc illud *δὲ* priori aliquid dissimile videtur ostendere. Itaque intelligo, Vibium domo eum recipere non ausum, ob metum edicti Clodiani: partem tamen aliquam in agro suo vel prædio designasse, vbi lateret. alibi nihil memini me de Vibio isto legisse. Sanè Amiot⁹ nobiscum sentit. Quid vel hic vel Corradus legerint, non satis scio. C. Virgilium pro Vergino posui, ex oratione pro Cn. Plancio.

3, 341, a. *Atqui mirificam vim habet gloria*] Mirum quàm planè diuersam à Plutarchi verbis sententiã Bochius & Corradus hìc protulerint: non videntes forsitan nomen *δεινὴ* (quod illi *τῇ δόξα* tanquam adiectiuum attribuentes, omnia conturbarunt) ad verbum *ἀποκλύσαι* & *ἀναμόρξασθαι* pertinere. Est enim ea oratio qua non Græci modò, sed & poetæ Latini Græcorum imitatione crebrò vtuntur: vt in vulgato illo, *Δεινοὶ γὰρ εὑρεῖν μηχανὰς Αἰγύπτιοι.* Horatius sæpissimè: -- *testudo resonare septem Callida neruis.* & De luna: -- *celerémque pronos Voluere menses.* Et de ipso Horatio Persius, *Callidus excusso populum suspendere naso*

# IN DEMETRIVM ANNOTAtiones Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

PYrrhi æqualis hic fuit, filius & successor Antigoni magni, à quo regnum Macedoniæ vsque ad Perseum à morte Alexandri durauit.

3,364,d. *Ex Antigoni posteris*] Ne cauit autem Demetrium, Persei calumniis inductus. Historia copiosè est & eleganter à Liuio descripta libro 44. Donatus imperitè locum peruerterat, & Antigoni filium Philippum nominauerat. nam quòd priuignus fuit, excusare eius oscitantiam nequit. Vide genealogiam quam apud AEmilii vitam descripsimus.

3,369,d. *Abrogatoque vetere magistratu Archonte, à quo denominabatur in fastis annus*] Xyl. vertit, *Eponymo magistratu sublato*. & annotat, De hoc supra in Aristidam annotauimus. Interpres ridiculè, *qui certo quodam nomine appellari consueuerat*. Idem contra & verba sententiámque Plutarchi, & veritatem rei, regis nomen à solis successoribus Alexandri hactenus vsurpatum fuisse scribit: quasi sub eorum numero non comprehenderētur Antigonus & Demetrius. Sed & paulo antè nescio quam Lamiacensium pugnam dixit. Verum ista persequi omnia est molestum.

3,372,b. *Abhorrēti dicitur in aurem hoc Euripideū insusurrasse*] Euripidis nobilem versiculum (quem nos ipsum quoque perspicuitatis causa integrum in versionem nostram transtulimus) nemo eruditorum est ferè qui non sæpe viderit, aut audierit: Ὅπου τὸ κέρδος, παρὰ φύσιν δουλευτέον, Antigonus ita immutauit, & ab obsequio ad nuptias detorsit, vt ἐμμελῶς elegantem allusionem contineret, pro δουλευτέον reposito γαμητέον. Quod minime obseruans Acciaiolus, omnem loci venustatem interuertit, & abs re de seruiendo mulieri mentionem intulit. Idem supra, quū Dromoclides Sphettius (Sphettia curia est, seu δῆμος, Atticæ) nominatur, nescio quid tribui (si diis placet) Sphettiæ ab eo iniunctum commentus est. Philam vnico l scribo, sequutus Diodorū & alios.

3,375,d. *Sed Thasius an Chius fuit fluor*] Elegans est & facetus plane iocus. nam quod affluxui (ita enim liceat exponere vocem ῥεῦμα) Demetrius humoris alicuius, seu pituitæ imputabat: id vini abundanti affusioni Antigonus adscribit. Nobilissima vina sunt Chium & Thasium: de quibus præter alios, Plinius lib. 14, cap. 7, & deinde, atque Athenæus libro 1. Hunc iocum varie etiam Germani, neque minus scitè vsurpant. nam & eū qui in itinere diutius moratus, eluuie aquarum se impeditum minus concinnè causatur, potuisse quod ad aquā pergere dicimus ioco, nisi vinum (cui nō item pontes insternuntur) obstitisset. & vino deditiores, ac de catarrhis cōquerentes, simili planè modo notamus, quū dicimus, si velint efficere ne tanto affluxu infestentur, ab assumendo (nimirum vino) esse temperandum.

3,377,b. *Pondo vterque quadragenūm*] ὁλκῆς τεσσαράκοντα μ΄. deest autem μνῶν, vt puto, id est libras vel

dicat. Cr.

3,390,d. *Illa Sapphûs in eo omnia exiſterent, &c.*] In nobiliſsima illa oda (niſi vehementer fallor) quam inſignis venuſtas iniuriæ edacitatíque temporum exemptam, noſtro quoque tempore in lucem retulit, & quam Catullus Sapphico verſu elegantiſsimè depinxit. Extat impreſſa cum Anacreontis reliquiis & Dionyſio Longino, & Mureti in Catullum commentario.

3,397,d. *Non illepidè Euripidis verſus vſurpauit*] De Bacchis ſunt deſumpti.

# IN ANTONIVM ANNOTATIONES Guil. Xylandri, & Herm. Cruſerii, interpretum.

3,404,a. *Pater Creticus dictus Antonius*] In Græco eſt Criticus, (vt Aretinus reliquit: & Amiotus explicauit iudiciarium) κριτικός: ſed mendoſè pro Κρητικός. Critici cognomen ego tribui huic poſſe non puto: Creticum vocari à bello contra Cretenſes geſto arbitror, argumento eorum quæ apud Florum lib. 3, cap. 7, in Epitoma Liuiana XCVII, & alibi leguntur.

3,405,a. *Sexagies II-S*] πεντήκοντα καὶ διακοσίων ταλάντων, CCL talentorum. Cicero Philippica ſecunda hanc rem ita deſcribit: Recordare tempus illud quum pater Curio mœſtus iacebat in lecto, filius ſe ad pedes meos proſternẽs, lacrymans te mihi commendabat: orabat vt te contra ſuum patrem, ſi II-S ſexagies peteret, defenderem. tantum enim pro te interceſsiſſe dicebat, &c. Ciceronis verbis in ſumma hac exprimẽda Latinè malui vti quàm talenta ponere. Idem verò eſſe CCL talenta & ſexagies ſeſtertiûm, oſtendimus in vita Cic.

3,409,a. *Cuius naues circumiecit multis paruis acatiis*] πολλὰ τ λ.ακ.τ.τ. αὐτοῦ περιεσχίσας. non περισχίσας. Interpres ὑπαλλαγὴν fecit, nõ enim Antonii triremes fuerunt, ſed Libonis. Totum ſtratagema deſcribit ipſe Cæſar venuſtè, lib. 3 Belli ciuilis.

Ibidem. *In abruptos ſcopulos atq; altos ſinus maris*] ἀγχιβαθεῖς φάραγγας. *Præceps & ſcopuloſum littus*, interpres. φάραγξ inter alia hiatum ſeu fiſſuram terræ ſignificat, quæ aquam incidentem abſorbeat. Varinus. Voce ἀγχιβαθὴς (rectius enim legitur hoc modo quàm ἀγχιβαθεῖς) etiam Homerus vſus eſt Vlyſſ. υ, Ἀγχιβαθὴς δὲ θάλασσα, καὶ οὔπως ἐστὶ πόδεσσι Στήμεναι ἀμφοτέροισι, καὶ ἐκφυγέειν κακότητα. Quod exponit Euſtathius Littus vbi altum ſit mare.

Ibidem, c. *Antonium tribunum plebis fecit, miſitque eum Romam*] Xyl. vertit, *Magiſtrum equitum Romam mittit.* * *eſt autem, &c.* & annotat, De hoc loco quod ſtatuã, non habeo. Ἀντώνιον δήμαρχον ἀποδειξάμενος εἰς Ῥώμην ἔπεμψεν, *Antoniũ tribunum plebis, &c.* Et verò quæ de tribunicia poteſtate ſequuntur, vera per ſe ſunt, & hiſtoriæ Romanæ non rudibus cognita. Sed adduci vt credam Plutarchũ hoc loco ab omnibus aliis autoribus diſſenſiſſe, vix potero. Nihil eſt enim notius quàm Cæſare iterum dictatore, Antonium magiſtrum

equitum(ἵππαρχον,non δήμαρχον) ei adiunctum fuisse.Id ostẽdit copiose Dio, & apertè in huius historiæ luculẽta narratione, lib.42, contẽtionẽ etiam eius cum Dolabella persequens stylo. Idẽ in Philippica secũda Ciceronis est. Denique cur Antonium eo tempore Romã trib.pleb. mitteret,ne caussam quidem fuisse existimo. nihil enim istis artibus & tumultibus tribuniciis Cæsari ad id quod volebat opus erat, sed iis quæ erant in Antonio maxima,insolẽtia,& quæ cõstituendæ stabiliendæq; tyrannidi conduceret,iniusta & legibus contraria dominatione. qualẽ tum fuisse Antonii magistri equitũ, ex Dione apparet. Quid ergo (inquies) Plutarchus hæc de tribb. plebis potestate hoc loco commemorat,si ἵππαρχον, vt tu vis,nõ δήμαρχον,est legendum? Dicam.Suspicor intercidisse aliquot versus post hæc verba: εἰς Ῥώμην ἔπεμψεν.Illis autem versibus descriptã fuisse ἀναρχίαν ipsam & confusionẽ quæ tum Romæ fuit quũ Cæsare iterum populi,& Antonio,equitum magistro creato,neq; consul esset neq; prætor:vti perspicuè est à Dione nostro explicatũ. His deinde malis accessisse tribunicias illas cõtẽtiones & turbas,quæ veluti vnguis essent in vlcere.Caussam autẽ redditam obiter à Plutarcho, cur tribunis plebis licuerit quicquã moliri dictatore creato, & magistro equitũ præsente: reliquis magistratibus abolitis.Cætera interpretari,& de tribb.pl.potestate cõmentari, nõ est huius operæ.Hanc autem medicinam puto adhiberi huic Plutarchiano loco posse,atq; haud scio an nullam aliam. Quod siquis integrum locum esse putat,ipse viderit:modò ne in eũ finẽ cõtẽdat vt optimum & minimè imperitum auctorem calumniandi occasionem captet. Sanè in vita Ciceronis quoque χιλίαρχοι legitur pro δήμαρχοι. quã cauillandi ansam arripuit Corradus.

3,410,c. *Hanc vrbes peragrans circumducebat lectica*] ὁ δὲ,ad Sergium mimum refert:Cicero ad mimam in secunda Philippica. Interpres non aduertit.

3,411,d. *A tergo Brutum Albinum*] In Græco sunt duo insignia menda,Ἀλβῖνος pro Ἀλβῖνον,& ἀδελφῆς pro ἀδελφιδῆς. De quibus apud Dionem monuimus.Albinus rectè in Cæsare legitur.

3,412,d. *His abrogauit Cæsar magistratum*] Καίσαρα δὲ τὴν ἀρχὴν ἀπέστησαν.insigne mendum,& historiæ contrarium: quod & Aretinus senserat. Legendum est, Καῖσαρ δὲ τῆς ἀρχῆς ἀπέστησεν, nempe illos tribb. plebis. Historia est apud nostrum in Cæsare,apud Dionem lib. 44, apud Suetonium & alios.

3,416,a. *Munatium Plancum*] Is est L.Munatius Plancus ad quẽ extant libro decimo familiarium multæ Ciceronis epistolæ: etsi in plerisque libris vitiosè Cn.pro L. legitur,vt hic Φλάκκος pro Πλάγκος.quod & alibi annotatum est.

Ib.b.*Cotylonẽ*]Is est quẽ L.Variũ Cotylã Ciceroni in Philippicis quinta & octaua dictum deprehendimus. Apparet à potando cognomentum esse effictum.est enim cotyla genus mensuræ.

3,418,a. *Quum oblatum cuidam eius amico fuisset somnium*] Actorii scilicet medici.Dio lib.47,& Valerius lib.1,cap.7,& alii.

Ibidem,b. *Hortensium super illius monumentum præcepit interfici*]

Xyl. vertit, *Illum ad sepulcrum fratris iugulauit.* & annotat, Hortensium scilicet. Interpres hoc non tam omisit quàm peruertit. In Græco mendum est, sed non difficile animaduersu, ἐπισφάξαι pro ἐπέσφαξε. Cur autem Hortensius in culpa cædis C. Antonii fuerit, ex Plutarchi Bruto & Dione patet. De morte eius Hortensii est apud Velleium, & in Epitoma Liuiana CXXIIII.

Ibidem, d. *Et ruinosa*] σαπρόν. Aretinus Disiecta. quasi σαθρὸν legisset, quod & Amiotus habet.

3,419,a. *Italicas pestes*] τὰς ἀπὸ τῆς Ἰταλίας κῆρας. Sic vocat mimos, tibicines, præstigiatores & alios eius farinæ homines, quibus impensè delectatum deditumque iam olim fuisse Antonium, nemo nescit. κῆρας autem, sicut & ὄλεθρον & similia, Græci dicunt vt Latini pestem, scelus, pro pestilentibus & scelerosis hominibus: éstque perusitata dictio. Aretinus quum id non recordaretur, insultatum calamitatibus Italicis, nullo autore, & magno errore dixit. Sophoclis locus est initio OEdipi regis.

3,420,c. *Vt ait Homerus*] Alludit ad locum qui est de Circe, Vlyssеæ lib. 12, redeunti ab inferis Vlyssi occurrente: --ἀλλὰ μάλ' ὦκα Ἦλθ' ἐντυναμένη. Quod exponit Eustathius ἐπαγωγότερον ὁπλισαμένη, εἴπως ἀρέσοι τῷ Ὀδυσσεῖ. aut similem aliquem, qui nunc non occurrit.

3,421,a. *Cydno fluuio*] In Græco Κύανον est pro Κύδνον, malé. quanquam illud Amiotus retinuerit.

3,422,b. *Circa Mesopotamiam*] Ex his quæ deinceps sequuntur, cōfecta est posterior pars Parthici libri, qui in amissi (ita enim opinor) locum Appiano Alexandrino est subfarcinatus, cui⁹ prior pars est ex nostri autoris Crasso decerpta. Quæ ad Antonium præcipuè, non ad rem Parthicam pertinent, omissa sunt in isto centone: cætera ad verbum propè descripta.

Ibidem, d. *Inter clientes se fuisse filii Antonii natu maximi*] Xyl. vertit, *In numerum assectarum Antonii.* & annotat, ἐν τοῖς θεραπεύουσι τόν. Aretinus peruertit totum locum, satis alioquin & elegantem & apertum: transtulítque ad alias alia personas. Locus Platonis qui paulo pòst citatur, est in Gorgia.

3,425,a. *Hic post eā ex Accia fuerat genitus*] Ἀττίας legendum, non Τατίας, satis ex iis quæ apud Dionem diximus, apparet. sicque in Ciceronis vita legitur. Suetonius in Cæsare Iulio cap. 27, Attia Octauiam natam videtur dicere. Ad retinendam (inquit) Pompeii necessitudinem ac voluntatem, Octauiam, sororis suæ neptem, quæ C. Marcello nupta erat, conditione ei detulit.

3,425,d. *Hexere*] sex remigum nauis est. Cr.

3,426,d. *Regis Herodis*] Xyl. habet *Orodis*. & annotat, Ὑρώδου. Quod sequutus est, sed imprudenter, Aretinus: & Amiotus etiam. in Crasso Ὑρώδης legitur: falsum & hoc. Ὀρώδης enim, Orodes, rex Parthorum fuit dictus, quòd notissimum est.

3,427,a. *Aqua ex clepsydra*] Fons est in arce Attica, Clepsydræ nomine: sic dictus quòd clepsydræ in morē modò amittat aquam, modò recipiat. Impletur enim flantibus etesiis, vacuus aquæ est iis cessantibus, exemplo Nili. Hæc & plura Scholiast. Aristoph. ὄρνισι.

3,427,d. *Antonio & Cæsare*] In Græco deest copula καὶ: quam tamen & interpres & Appiani codices habent, & sensus requirit. Interpres porrò ex Sosio Casiũ finxit, haud leui historiæ detrimēto. Res gestæ C. Sosii & Canidii sunt apud Dionem lib.49. Amiotus Socium dixit.

3,429,b. *Phraorte*] Iustin. vocat Phrahatem. Cr.

Ibidem, c. *Quam antè Bambycem nuncuparunt*] Βορβύκλω est in textu, & sic interpretes legerunt. Sed rectius apud Appianum habetur Βαμβύκλω, quod sequutus sum: quum & Strabo libro decimo sexto, & Plin. quinto & vigesimotertio, idem dicant quod hic legitur. Vrbes sunt Syriacæ.

Ibidem. *Per nuncios Monesi fidē dedisset*] δεξιὰν καταπέμψαντος. Non malè vertit Aretinus. Est enim Misis nunciis fidem amicitiæ & gratiæ dare. Sic in vita Alexandri Darius moriēs Polystrato, Ἀλεξάνδρῳ ταύτην τὴν δεξιὰν δίδωμι διὰ σου. & Appianus libro secundo ἐμφυλ. δεξιὰ ἔφερε παρὰ τοῦ βασιλέως τῷ Πομπηΐῳ. Tale est etiam λαμβάνειν δεξιὰν, Venia donari, apud nostrum in Cæsare, de L. Domitio: ἀπῄει πρὸς Καίσαρα, καὶ λαβὼν δεξιὰν, αὖθις διεξέπεσε πρὸς Πομπήϊον. Annotaui autem propter correctorem istum, qui perinde acsi errasset hîc Aretinus, Græca verba in margine alleuerat, neque tamen explicarat.

Ibidem, d. *Artanasdes*] Iustinus vocat eum Artoadisten. Plut. in comparatione videtur hūc nominare Artabazum. Cr.

3,430,b. *Atropatenen*] Malè in Græco Σαβρπατηνῆς. apud interpretem Antropatene legitur: rectè apud Appianum, Ἀτροπατηνῆς. Sic & Stephanus, & Plin. lib.6, cap. 13. Straboni est Ἀτροπάτιος Μηδία, lib.11, quod & ipsum Stephanus habet.

Ibidem, b. *Cuius constituit Tatianum ducem*] Xyl. vertit, *Duce Statiano*. & annotat, Sic est apud Dionem libro quadragesimonono, & in Augustano manuscripto Appiani codice Στατιανοῦ legitur pro Στατιανοῦ. Phraata autem, Φραάτα, ex Appiano reposui: pro Phraortis, Φραόρτου. Et sic etiam infrà apud Plutarchum est: ἀπέλυσαν ἀπὸ Φραάτων ἡμέρας κζ΄. imposuit enim libri mendum interpretibus. Apud Dionem legitur Πράασπα, Praaspa.

3,431,b. *Paribus internallis*] Hic locus rectius in Appiani libro legitur, estque scribendum hîc non παρεξιόντες (quod imposuit Aretino) sed παρεξιόντας. ὑσσοὶ pila sunt, nō venabula, quibus tum neque Romani in pugna, neque Parthi vtebantur. Virgula inter χραυγῆς & ἐπιστρέψαντες temerè posita, nebulas loco offudit.

3,436,d. *O decem millia*] Historia hæc, horum decies mille Græcorum, est apud Xenophontem in libris De expeditione Cyri, & summatim in vita Xenophontis apud Suidam.

3,445,a. *Titius autem & Plancus*] Τίτιος legēdum. Dio lib.50. & pôst Caluisius, Καλουΐσιος, non Καλούϊος. Sed quæ de recitatione testamenti sunt scripta à Plutarcho, alienissimo & ineptissimo sensu Aretin᷈ reddidit. De Caluisio multa Dio.

3,448,b. *Quid miri est, inquit, si in toryne consideat Cæsar?*] Videtur alludere ad id quod Suetonius ait, infanti inditum nomen Thurino: & ita per contumeliam appellauit eum Antonius. Cr. Ibidem hîc Xylander annotat, locus est

proprio nomine in appellatiuum detorto. τορωύν instrumentum est quo ollæ (aut potius quæ in illis co quuntur) agitari solent, nimirum cochleare coquinarium. Patet hoc ex Aristophane in Equitibus, vbi est, Δοίδυξ οὐδὲ τορωύη. & in Auibus, Ἔτνους ἐπιθυμεῖν δεῖ τορωύνης καὶ χύτρας. Sipontinus in suo Cornucopiæ tudeculam interpretatur, sed malè. Vsus est vocabulo etiam Plato in Hippia maiore: ita vt facilè appareat inde, id fuisse quod diximus. Meminit & Eustathius in λ Iliadis, aitque (id quod huc facit) παρὰ τὸ τορεῖν dictũ, quod est Circũago. Ergo Cleopatra extenuat præsentiam Cæsaris, à loci nomine petita ioci materia: quod fugit vtrunque interpretem.

3,451,a. *Cum Aruntio*] Hunc ab Octauio mediam aciem tenuisse, apparet ex hoc loco. Paterculus læuum cornu ei commissum dicit.

3,454, c. *Halis iuxta mare humato*] Locus est Atticæ, Ἁλαί. De quo apud Stephanum.

3,461,a. *Cæsaris in multis, &c.*] οὐκ ἀγαθὸν πολυκαισαρίη. Allusio ad Homericum illud nobilissimũ dictum, de Iliad. 2, Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. *—multos dominos non expedit esse.*

3,464, c. *Ex Marcello illa filias duas*] Remitto te ad typum & explicationem genealogiæ huius quam ad finem nostrarum in Dionem annotationum adiecimus.

IN COMPARATIONEM.

3,466, d. *Postremò vt Paris*] Alludit eleganter ad ea quæ sunt apud Homerum Iliad. 3, ad finem.

# IN AGIDEM ANNOTAtiones Guil. Xylandri, & Herm. Cruserii, interpretum.

AGis vltimus Spartanorum ex familia Eurytionidarum rex fuit, Arati Sicyonii æqualis & Antigoni regis Macedoniæ. Circa annum V. C. maximè D X floruit. Ei statim successit in altera familia Cleomenes. Olympiade C X X X I X mortuum Antigonum Polybius in fine secundi libri ostendit: quo tempore Cleomenes paulo antè ab eo victus in AEgyptum profugit, ibique sub Ptolemæo Philopatore periit. quo tempore etiã Marcellus Gallos vicit.

3,211,a. *Vbi iam non erat illud dici quod solet, Rectum licet non sit, &c.*] Xyl. vertit, *Notum illud est, Quod non honestum est, iam turpe esse sentias.* & annotat, Alludit Plutarchus ad sententiam Græci alicuius poetæ, (neque autor, neque locus nunc succurrit: & tamen memini me legisse alicubi, sed quærendi otium non suppeditat) qua limites honesti & inhonesti ita distinguuntur vt vbi honestum desinat, ibi incipiat turpitudo. Itaque locum quem ob breuitatem non est assequutus Tudertinus aliquot verbis additis parẽthesique illustraui. Est autem in Græco pars senarii: ἐπεὶ μὴ καλὸν, αἰσχρὸν ἤδη.

Ibidem, c. *Eurytionides*] Dixi de hoc vocabulo in Lycurgo. Duæ enim fuerunt regiæ familiæ Lacedæmone: Eurytionidarum seu Eurypontidarum vna, Agidarum al-

tera. quod neq; Tudertinus, neque Amiotus hoc loco obſeruauerunt. Εὐρυπωντίδης in Græco legendum.

Ibidem. *Apud Mandonium*] Nõ memini legere hoc nomen alibi. Hiſtoria eſt apud Diodorum Siculum libro decimoſexto, qui eadem die id factum ait qua apud Chæroneam Philippus Græcos vicit. meminit etiam Pauſanias.

Ibidem. *Alterius fuit familiæ Agiades*] Xyl. vertit, *Ex altera regũ familia qui Agidæ appellantur*. & annotat: In Græco mendum eſt, Ἀπιάδης pro Ἀγιάδης. nam Ἀγίδαι, & Ἀγιάδαι etiam, apud Pauſaniam ſcribuntur. Interpretes familiæ nomen omiſerunt.

3,212,a. *Qui regnum non tenuit*] Xyl. vertit, *Neque tamen regno potitus eſt*. & annotat, Tudertinus cõtra & Græca verba & hiſtoriæ veritatem ſcripſit regnatum à Cleonymo, ſed non diu. Nã Areo fuiſſe regnum mandatum, repudiato Cleonymo, non hic modò ſed & copioſius in Pyrrho Plutarchus, perſpicuè in Laconicis Pauſanias narrat, & alii.

3,215,b. *Auaritiam*] Extat apud multos Græcos ſcriptores oraculum Apollinis Pythii, in hanc ſententiam verſu hexametro pronunciatũ: Ἁ φιλοχρηματία Σπάρταν ὀλεῖ, ἄλλο δὲ οὐδέν. Meminit Cicero lib. 2 Off.

Ibidem, c. *Thalamiis*] Xyl. habet *Thalamis*. & annotat, ἐν Θαλαμίαις. Scribendum ἐν Θαλάμαις, ex Pauſaniæ Laconicis & Stephano: tametſi hic aſſignat Meſſeniis, vt de alia vrbe loquutus videatur. Nam hæc quidem Laconicæ eſt. Θαλάμην Ptolemæus nominat.

3,216,b. *Thales*] Cretenſem intellige, de quo ſuprà in Lycurgi vita.

Ibidem, c. *Eeprepem*] In Laconicis Apophpth. Ἐμπρέπης, Emerepes, legitur: quod & Eraſmus retinuit. Mihi hæc lectio verior videtur.

3,222,b. *In Decadem*] Fortaſſe legendum Caiadam, quem lexica Græca carcerem regiũ tradũt eſſe. & ita etiam legitur apud Thucyd. Cr. Itidem Xyl. annotat, τὴν καλουμένην Δεκάδα. Sed τὸν καλούμενον Καϊάδαν legendum minimè dubito. quandoquidẽ Δεκάδα hanc à nemine adhuc autore alio nominari inuenerim: Καϊάδαν autem de ſimili re, ſcilicet Pauſaniæ exitu, ſcribens nominet Thucydides libro primo. atque ſic legitur etiam apud Suidam. Euſtathius in β Iliadis, & initio δ Vlyſſeæ, Καιέτας vel Καιάτας ſcribit, innuitque ſic dictum à fiſſura terræ.

3,223,b. *Tantùm ſint hæc, inquit, ex vſu reip. Spartanæ*] Xyl. vertit, *Modò, inquit, Spartę hoc proſit*. & annotat, συνενέγκοι ego pro optatiuo accipiendum duco, cuius eſt tertia perſona aoriſti. Interpres, *In hoc duntaxat vtilis Spartæ fui*. atque hoc etiam Eraſmus ſequutus eſt. ſed mihi nimis longè petitum videtur: & non ταῦτα, ſed τοῦτο, erat legendum, ſi intelligi debuit hoc eam dicere, Nihil ſe præterea patriæ potuiſſe dare quàm quòd Agidem peperiſſet. euentum enim eius conſiliorũ præſtari à ſe nequiuiſſe. Noſter ſenſus & verbis congruit, & ſimplicior muliereque dignior eſt.

3,223,b. *Dorii*] Erant hi Heraclidæ, ex poſteris Herculis. de quibus vide quæ paſſim ſunt apud Pauſaniam, præſertim in Argolicis & initio Laconicorum: & Diodorum lib. 4.

# IN CLEOMENEM ANNOTATIONES Guil. Xylandri, & Herm. Cruserii, interpretum.

3,223,d. *Eo extincto parum nanus &c.*] Hic vitam Cleomenis ordior. Etsi enim in Græco diuisa à priore nō sit, tamē id nobis perspicuitatis causa faciendum videbatur. alioquin animaduerti multa ex Cleomene citari quæ sunt in Agide: & vicissim.

3,224, c. *Lubricum erat Agide ea de causa perempto, &c.*] Xyl. vertit, *Periculosum erat, Agide, quòd conatus ea fuisset in vrbem reducere, interfecto.* annotátque, ὑδὲ ἀσφαλὲς ἦν τούτῳ. Quod postremum vocabulū est mendosum, ac nisi quid desit, τοῦτο videtur reponendum. Sensum arbitror me aperuisse.

3,225,a. *Ad demulcendos iuuentutis animos*] Xyl. vertit, *Demulcendum blandiendo.* & annotat, αἰκάλλειν. Alii per duo λλ scribunt: sed tamen αἰκάλος etiam legitur ὁ κόλαξ. Tudertinus nō rectè vertit *Incitandum.* Indicabat autem Leonidas, animis puerorum Tyrtæi carmina suauitate sua illabi, eósque delinire, vt præcepta honestatis seuera vtcunque & aspera accipiant atque amplectantur. Hæc enim vis est poeseos, atque inde Orphei & Amphionis fabulæ tractæ; quod & Horatius monuit. Esse autem αἰκάλλειν Blandiri & delinire, cùm grammatici Græci doceant, tum testimoniis ostēdi potest. Apud Aristophanem in Equitibus ἀλλαντοπώλης ille oraculo delinitus: τὰ ἀλλ' ὦ (inquit) λόγι' αἰκάλλει μέ. Vbi quod addit scholiastes, legere quosdam λόγια καλεῖ, lectioni Plutarchianæ videtur adstipulari, quæ vno tantùm λ vtitur. ita enim affinior lectio alteri est. Et Philostratus in vita Apollonii Tyanei, libro 2, cap. 5, elephantum describens qui magistro suo abblandiretur, inter alia, προσιόντα τι, ait, τῇ προβοσκίδι αἰκάλλει, &c. Tyrtæi autem fragmenta extant quædam: vnde qualis fuerit poeta, hodiéq; æstimare homo nō ineptus possit.

Ibidem, b. *Lacedæmonii dicunt* ἐμπνεῖσθαι] Idem etiam εἰσπνεῖσθαι dicebatur. Vnde εἰσπνήλος amator vocabatur, amasius ἀΐτης. tametsi hoc vocabulo etiam amator exprimitur aliquando, vt apud venustissimum poetam Theocr. Idyllio 28, quod inscribitur Amator: Σπεύχετε δ' ὑμμες ἀΐτας· ὁ γὰρ θεὸς οἶδε δικάζειν. Idem ἀΐτα, Idyllio 12, Δοιώ δή τινε τώδε μετ' ἀμφοτέροισι γένεσθην Φῶθ'. ὁ μὲν, εἴσπνηλος, φαίη χ' ὡμυκλαΐσδων. Τὸν δ' ἕτερον πάλιν, ὡς κεν ὁ Θεσσαλὸς εἴποι, ἀΐταν. Vide quæ ibi sunt in Scholiis.

Ibidem, d. *Vt in vnum corpus Peloponnesios redigeret*] Id est, in vnam ciuitatem atq; fœdus: quomodo Achaicas paulo antè vrbes in vnā ciuitatē cōtraxerat, vt copiose Polyb. l.2, & noster in Arato ostendūt. In Græco est εἰς μίαν σύνταξιν. Quæ vox quū aliquādo tributū significet, (vt in Arato, & alibi etiā apud hūc ipsum autorē) ineptè Tudertinus cōtra loci huius & historiæ naturam id arripuit: quasi verò non omnis respub. & ciuitas eleganter σύνταξις diceretur.

3,226,a. *Prope Belbinam*] Laconicæ oppidum hîc intellige, non insulam AEginæ vicinam. Hoc oppidum Stephanus nouit. Pausaniæ est (nisi malè suspicor) Βελεμίνα, Belemina, & Ptolemæo Blémina, Βλεμμίνα: Suidæ Βελβίνα,

Belybina. nam rectè ita legi ordo literarum testatur.

3, 227, c. *Eductis copiis occupat Leuctra*]Apud Polybium, grauem & accuratum scriptorem, & à quo hanc narrationem potuit noster mutuari, locus hic non Leuctra, sed Λαοδίκεια iterum nominatur, Laodicia: lib. 2. Idem Megapolitanorum tyrannum Λυσιάδην, Lysiadem, vocat: quam genuinam esse scripturã, & hic vitio poni Λυδιάδαν, puto. Quippe in Arato etiam semel Λυδιάδας, deinde semper Λυσιάδας legitur. De cæde etiam Archidami idem Cleomenē, vbi lib. 5 mortem huius describit, insimulat. Porrò quod est hîc, *Apud ipsam vrbem*, de Megalopoli videtur intelligendum.

3, 228, c. *Alcæam*]Hoc vocabulum nunquam alibi reperio: de Arcadica aliqua vrbe dici apparet. Videndum an de Alea loquatur, & Ἀλέαν vel sanè Ἀλαίαν scripserit autor. Aleæ in Arcadia cùm alii autores, tum Plinius quoque meminit lib. 4, cap. 6.

3, 229, c. *Si metus est, simul est verecundia*]Prouerbialis heroici versiculi pars est. de autore mihi non constat: antiquum esse satis patet, quum de eo etiam Plato in Euthyphrone disputet. Homeri verba priora, sunt Helenæ ad Priamum, lib. 3 Iliadis: posteriora, de Græcis cum metu & silentio suis ducibus obtemperantibus, lib. eiusdem operis quarto.

3, 231, a. *Et clypeum ferre amento non appensum*] Xyl. vertit, *Et scutū ferre non loro appensum, sed armillæ*. & annotat, δι' ὀχάνης, οὐ διὰ πόρπακος. Cur ita verterim, dicam. πόρπαξ hoc loco mihi videtur dici lorum quod fibulis scuto annexum ab humero sinistro & collo dependebat, eóque scutum regebatur antiquitus. ὀχάνην verò, quæ & ὄχανον dicitur, intelligo ansam siue armillam in tergo scuti, cui brachium sinistrum insereretur, atque ita scutum gestaretur atque regeretur. Omnino autem quod aliàs τελαμὼν dicitur, id hic appellari πόρπακα existimo. Neque piget Herodoti verba adscribere, optimè huc facientia. sunt autem ex libro primo, vbi de Caribus loquitur, καὶ ὄχανα ἀσπίσι οὗτοί εἰσι οἱ ποιησάμενοι πρῶτον. τέως δὲ ἄνευ ὀχάνων ἐφόρεον τὰς ἀσπίδας πάντες οἵπερ ἐώθεσαν ἀσπίσι χρέεσθαι, τελαμῶσι σκυτίνοισι οἰηκίζοντες, περὶ τοῖσι αὐχέσι τε καὶ τοῖσι ἀριστεροῖσι ὤμοισι περικείμενοι. Hinc est illud Virgilianum: -*Clypeóque sinistram Insertabam aptans*.- & multa similia passim. Eustathius hæc nō accuratè distinxit: quem in præsentia missum facio.

3, 237, b. *Onia dicunt*] Xyl. vertit, *Sed montes tantùm eos qui Onii dicuntur: (quasi si Asininos Latinè appelles)* & annotat, τὰ ὤνια in Græco est. quod vterq; interpretū sequutus, de locis opportunis in genere vertit: quasi hoc sit ὤνιον, ac non potius id quod nos venale dicimus. Ego mendosum locū suspicatus facilè fui, neque difficulter tamen emendari posse deprehendi. Legendum dico τὰ ὄνεια: vt montes Onii intelligantur, qui à Scironiis petris, ea parte qua ad Atticam est via, vsq; ad Bœotiam & Cithæronem pertinent. Strabo lib. 8. Cæterùm Gerania mons est inter Megaram & Corinthum, cuius & Stephanus De vrbibus, & Pausanias in Atticis, quo loco Megaricam describit, meminerunt: quorum hic etiam nominis rationem adfert, quam inde petent qui volunt. Meminit & Plinius lib. 4, cap. 7.

3, 241, d. *Frequentibus comitatus militibus*] εἰς Ἄργος, πολλοὺς ἔχων. Legendū οὐ πολλοὺς, quod & Tudertinus vidit. requirit enim hoc sensus. Quòd autem creditum est Cleomenē temerarium fuisse quòd in Argolicam impressionē faceret, nequaquam potest aut debet ad multitudinem militum Antigoni, sed naturam locorum referri: quod disertis verbis Polybius in huius historiæ expositione testatur, haud procul fine lib. 2. quem quidem noster sequutus est, quod & ipse præ se fert.

3, 242, c. *Sed perticis in rhomphææ figuram effectis*] ῥομφαίας. Rhomphæā in Paulo Plutarchus vsurpauit pro hasta Thracica, in descriptione prælii quo Perseus est victus. Eam ego apud Cornel. Tacitum frameam arbitror appellari, De morib' Germaniæ prope initium: aut certè non ita absimilia ea inter se fuisse, vt ita vertere nobis non liceat. Quod si cui non placet, bona mea pace Rhomphæam retinebit: quādo Gellius etiam videri potest eam à framea diuersum quippiam iudicasse, lib. 10, c. 15: vsumque rhomphææ vocabulo Ennium idem asserit. Eustathius quidem in Iliad. υ scribit ab antiquis traditum esse, solos barbarorum Thraces magnis vsos gladiis, eósq; à nōnullis appellatos rhomphæas.

Ibid. c. *Cyllarabin*] Suprà Cyllarabium dixit: quod vocabulum apparet esse denominatiuum. Κυλλαραβιν autem hic scribendum satis constat, etiam ex Varino ordinem literarum sequuto. Est autem Cyllarabis gymnasiū Argiuorum, minus CCC passus ab vrbe. Liuius lib. 34. Pausanias lib. 2, à Cylarabo (vnico λ scribitur Κυλαράβου) Stheneli F. dictum ostendit.

3, 243, b. *Panis confectio, inquit, prior est proreta*] Locus hic in exemplari Græco est mendosus. Videtur hoc prouerbio innuere, pecuniam prius & commeatum comparandum quàm naues concedāt. Cr. Sic & Xyl. ānotat, Id est, Oportet priusquam proræ & clauo præficiantur rectores, & classis instruatur, de commeatu & sumptibus constare. Sic ego diuinaui: quum nihil aliud suppeteret. Tudertinus clausis oculis sententiā in genere extulit, prætérito eo quod erat obscurum. Amiotus locū corruptum iudicauit. Mihi quidem ænigma est: fortasse nauticum, & quod in re nauali vsurparetur cōmuni sermone, dicterium: qualia videmus vulgò singulis propè artificibus sua esse, quæ non omnes alii intelligant. Viderint doctiores.

3, 244, b. *Qui insidiis curandis præfectus erat*] Xyl. vertit, *Qui insidiis præfectus erat.* annotátq; Scilicet vel cauendis, vel etiam hosti struendis. Sic enim vocabulum κρυπτεία intelligo, quum κρυπτεύομαι sit τὸ ἐνεδρεύομαι. & videtur huic loco quadrare. Nam Tudertinus omisit: alter in genere vertit. Sanè in vita Lycurgi etiam heilotum illa occidio per insidias facta, κρυπτεία nominabatur: vt verisimile sit, insidias κρυπτείαν Spartanos dixisse.

3, 247, b. *At senior Ptolemæus*] Nimirum Euergetes, cui succesit Philopator. Vide Polybium lib. 5, & alios.

3, 248, a. *At charo pectore tabem*] Locus est primo Iliadis. Porrò Apin bouem esse quem religiosè AEgyptii sacerdotum opera educant, notum est.

# IN TI. GRACCHUM ANNOtationes Guil. Xylandri & Herm. Cruserii, interpretum.

TI. notam esse prænominis Tiberius, notum iam est. Diuisi autem has quoque horum fratrum vitas, vt eo magis omnia perspicua & suis distincta locis haberentur. nihil enim hæc diuisio parallelorum comparationi detrahit. Hic Ti. Gracchus de quo agimus, ita scribi potest, Ti. Gracchus, Ti. F. P. N. nam Gracchorum auum, patrem eius Ti. Gracchi qui vxorem habuit Corneliam, Africani superioris filiam, Publium prænomen habuisse, Cic. 1 De diuinatione ostendit. Nomen gentis fuit Sempronius, Gracchus cognomentum. De ætate Gracchorum non est obscurum. prima enim ciuilis sanguinis effusio morte Ti. Gracchi facta est. à qua & sua ἐμφύλια Appianus orditur, & L. Florus. Cæsus est anno V. C. DCXXI, L. Calpurnio, P. Mucio coss.

3, 253, b. *Hunc fama est &c.*] Hæc historia apud Cic. lib. De diuinatione vtroque ex C. Gracchi Ti. F. P. N. ad M. Pomponium scriptis recensetur.

3, 254, c. *Licinium seruum*] Xyl. habet *Licinnium*. & annotat, Λικίννιον. Vide Ciceronem libro tertio De oratore extremo: vbi quidem Licinius vnico n scriptum reperies. Nam & hoc animaduerti, modò eam literam geminari, modò non geminari. Atque ipsam syllabam pro communi videtur Horatius habuisse. Nam in eo carmine, *Rectius viues Licini neque altum,* Licini anapæstus est. in hoc, *Me dulcis dominæ Musa Liciniæ,* Liciniæ diiambus est. atque haud scio an Licinniæ scripserit Horatius, vt esset ἀναδίπλωσις: sicut C. Gracchi vxor infrà Λικιννία dicitur. Verùm id genus permulta possunt annotari.

3, 260, b. *Neque enim in vinolentiis solùm, &c.*] Xyl. vertit, *Bacchanalibus*. & annotat, Peruenustè alludit ad illud Tiresiæ apud Euripidem in Bacchis: —ἀλλ' ἐν τῇ φύσει Τὸ σωφρονεῖν ἔνεστιν εἰς τὰ πάντ' ἀεί. Τοῦτο σκοπεῖν χρή. καὶ γὰρ ἐν βακχεύμασιν Οὖσ' ἥγε σώφρων οὐ διαφθαρήσεται. Quod leuiter immutatum Aristippus apud Dionysium tyrannum fertur vsurpasse.

3, 262, c. *Sed Mutio quodam, eius cliente*] Xyl. habet, *Mucius*. & annotat, Appianus libro primo ἐμφυλ. Q. Mummium appellat. Sed & infrà in postrema Ti. Gracchi actione Mucius nominatur.

3, 265, b. *Parem numerum*] Epitome Liuii habet duplicem numerum. Cr.

3, 266, a. *Cæterùm Blosio Cumano*] in Græco est Βλάσος. sed epitheton Κυμαῖος, & quæ antecesserunt ac sequuntur, satis ostendunt scribendum esse Βλόσσιος.

Ibidem, b. *Flauius Flaccus*] Xyl. habet *Fuluius Flaccus*. & annotat, In Græco est Φλάβιος, Flauius: idque interpretes retinuerunt. Ego Flaccum Flauiorum cognomē esse nondū cōperi: Fuluiorū esse, nemo ferè nescit. nō hoc modò me mouit, sed & id quòd hunc puto esse M. Fuluium Flaccum, qui octauo

pôst anno cõsul cum Plautio fuit, ac quadriennio. pôst vnà cum C. Graccho, cui se in perniciosis legibus ferendis socium addiderat, occisus est. cuius etiam Cicero pro domo sua meminit.

3,268,a. *Quid igitur*] Hæc verba tribuunt Cicero & Val. Max. Lælio. Cr.

Ibidem,b. *Vt Tiberii loco alium &c.*] καὶ Τίτον αὐτὶ τοῦ Τιβερίου. Quis ille Titus? Viderunt interpretes mendum esse, id quod ipse locus prodit. Scribatur ergo, καί τινα αὐτὶ τοῦ, &c.

3,269,a. *Sic pereat quisquis &c.*] Verba Mineruæ sunt, de AEgisthi ab Oresta ob adulterium & cædem Agamemnonis necati interitu, libro primo Vlysseæ.

Ibidem,a. *Deinde C. & Fuluio*] Xyl. habet, *A C. Graccho & Fuluio.* & annotat, A Carbone tribuno plebis hoc factum, & similiter fremitum plebis aduersus Scipionem, & eius asperum in eam dictum, quod hîc innuitur modò, non explicatur, scribit Velleius Paterculus, & Valerius Max. lib. 6, cap. 2.

## IN C. GRACCHVM ANNOtationes Guil. Xylandri, & Herm. Cruserii, interpretum.

3,269,d. *Vt quæsturam in Sardinia cum Oreste consule*] Xyl. vertit, *Euenit vt quæstor Orestæ consuli in Sardiniam sorte mitteretur.* & annotat, L. Aurelio Orestæ, anno DCXXVIII. Vide de hac Gracchi quæstura quæ ex ipsius oratione refert Gellius libro 15, cap. 12.

3,270, a. *Siquidem Cicero orator est autor*] Locus est primo De diuinatione.

Ibidem, d. *Apud imperatorem triennium permansisse*] τριετίαν. apud Gellium legitur biennium: quod adeò malim vt propè credam διετίαν à Plutarcho fuisse scriptum. Nam ne totum quidem biennium in Sardinia fuisse videtur. siquidem ex Appiano apparet, Fuluio Flacco consule & adiutore primum tribunatum petiisse, aut certè proximo pôst anno.

3,271,a. *Coniurationis Fregellanæ*] Liuium libro sexagesimo vide aut Fastos potius Sigonii, anno DCXXVIII.

3,271,c. *C. Vulturium*] Xyl. habet, *C. Biturium.* & annotat, Sic est in Græco. Interpretes Veturium habent: an coniecturam sequuti, an historiam?

3,276,c. *L. Opimius*] In Græco Ὀστίλιος, Hostilius. verùm ego per hæc tempora nullum Hostilium à quoquam nominari video. Aretinus & Sigonius Opimium legerunt, qui proximo pôst anno consul C. Gracchum interfecit. id & mihi semper placuit.

3,278,b. *Q. Antyllius*] Attilium Appianus vocat: sed rẽ haud paulo aliter narrat.

### IN COMPARATIONEM.

3,281,d. *Vt ait Plato*] Lib. 4 De republica.

3,284,d. *Atque in summa rudia mutiláque &c.*] Xyl. vertit, *Omni-*

*nóque manca eius consilia, & imperfectæ actiones fuerunt, dimittentis propter ætatem quod instituerat.* & annotat, Græca mendosa & mutila puto. Aretinus omisit totam comparationem, quòd Gracchos tantùm verterat: itémque Tudertinus, qui alteros.

# IN ARTOXERXEM ANNOtationes Guil. Xylandri, & Herm. Cruserii, interpretum.

ARtoxerxis ætas bello Peloponnesiaco respondet. Ferè enim eodem tempore regnum occepit quo Athenæ sunt à Lysandro dirutæ: Olympiade nimirum XCIIII. quo maximè tẽpore Veii sunt obsessi primùm, & decimo pòst anno à Camillo expugnati.

3,559,b. *Artoxerxes antè Arsicas dictus fuit*] Apud Diodorum Siculũ lib. 14, & apud Xenophontem περὶ ἀναβάσεως Κύρου, Artaxerxes legitur constanter: vt hîc per o post t, Artoxerxes. sed id nõ multum refert, & per o etiam in Ctesiæ epitomis legitur, nuper à doctissimo homine Henrico Stephano editis. Quod autem hîc nomen regis Arsicas legitur, mutare ausus non sum: quanquam in Ctesiana epitoma lib. deciminoni Ἀρσάκης, Arsaces, legatur. hoc autem nomen est quàm alterum notius, & regibus Parthorũ omnibus fuit commune, vt Ptolemæi AEgyptiorum.

3,561,b. *Omises*] Amiotus, Romises: Lapus pauperem vertit. fortè aliud vterque legit quàm ego. Mithras Persarũ deus, Sol est Latinis: malui tamen vocem propriam relinquere. Sicut & candyn, vestis regiæ apud Persas genus, & similia.

3,562,a. *Ostaci & Oxabi*] Aut ... aut initio libri huius mendose sunt nomina posita. Superiora tamen magis probo: quòd & alibi habentur ista in Persis nomina.

3,563,a. *Vt à veritate excurrat ad vana & fabulosa*] Xyl. vertit, *Ad fabulas.* & annotat, πρὸς τὸ θυμῶδες legitur, nimirũ literis trãspositis: quum nemo non videat sensum loci requirere μυθῶδες.

3,567,a. *Regis explorator*] Xyl. vertit, *Regis speculator.* & annotat, Ad verbum est Regis oculus. Qui vult, potest legere Scholiastẽ Aristophanis in Acharnenses comœdiam, non ita longè ab initio. Diligenter enim, etiam ex Aristotelis libro De republica tertio, rẽ explicat.

3,568,a. *Sibi verò non minus XX millia visos qui ceciderũt*] Xyl. vertit, *Ipsi cadauera visa haud pauciora XX millibus esse ait.* & annotat, αὐτῷ. Locus est ambiguus & obscurus. Nam neque satis liquet de Cyrine an regis exercitu perierint qui hîc numerantur: & quò illud αὐτῷ pertineat, non constat. ego ad Ctesiam potius retulerim. Minimè quidem Lapo assentior, qui alterum numerum ad Cyrianos, alterũ ad regios retulit. Diodorus Siculus de regis exercitu plures XV millibus, de Cyri autem circiter tria millia cecidisse refert.

3,570,d. *Mesabates*] Xyl. habet, *Masabates.* & annotat, Paulo

pòst legitur Μισαζάτης. In reliquiis Ctesiæ (ex eo suspicor Plutarchum hæc transcripsisse) Βαγαπάτης legitur, Bagapates.

3,571,d. *Pessimè copiam sibi faceret*] Hæc ridiculè à Lapo ad deprecationem famis sunt detorta: quum & perspicua sint verba, & eò commemoret Plutarchus vt Ctesiæ futilitatem demõstret. Sed talia multa hîc & alibi Lapus admisit: vt suprà de Care, τῷ ὑπὲρ αὐτὸν ἀντιποιεῖσθαι verterat In superiores se efferre, & multa alia.

Ibid. *Caryatidas*] Καρυατίζειν genus est saltãdi à Castore & Polluce Lacedæmoniis traditum Caryis Laconicæ oppido. Vide Lucianum περὶ ὀρχήσεως.

3,572,d. *Gigim dictam*] In Ctesianis eclogis est Γίγξιν, Ginge. & auis ῥυνδάκην, Rhyndâce.

3,573,d. *Duce Thymbrone*] Vide Xenophõtem lib.3 Rerũ Græcarũ, & Diodorũ Siculum lib. 14, & Plutarchũ in Agesilao, Probum, & alios.

3,575,b. *Qui inter Persas Leonidam & Callicratidam saltauit*] Xyl. vertit, *Saltans apud eos Leonidam & Callicratidam*. & annotat, Ita est in Græco vt verti. Si verba rectè habent, quod non puto, meo arbitratu sensus est, meruisse eum coronam istam adulandis Persis, & se eorum arbitrio accommodando. & videtur illud ὀρχησάμενος alio sensu καθ' ὑπόνοιαν dictum. q. d. ridiculos eum ostendisse priores Spartanos, graues illos & tetricos: quales fuerũt Leonidas, & alii prisci, qui quiduis potius fecissent quàm vt regẽ barbarum adulati essent. Leonidam aliquem in Persia egisse, non memini. De Callicratidæ magnanimitate ac quàm is iniquè fastum barbaricum tulerit, est apud Xenophontem lib.1 Ἑλληνικῶν, & apud nostrum in Lysandro. Mox in Græco Ἀνταλκίδαν vitiose legi pro Ἀρτοξέρξην iudicabam. nam Antalcidæ tribui ξένου & φίλου nomen, quippe ciui, à Spartanis non potuit.

Ibid.d. *Stratores*] Vide quæ de his in Pelopida annotaui, vbi eadem historia adducitur.

3,577,a. *Porrò quum bellum ducibus Pharnabazo & Iphicrate mouisset Aegyptiis*] Describitur tota res eleganter à Diodoro Siculo libro 25.

3,580,a. *Rhodogynem Orenti*] Xyl. vertit, *Rhodogunã Orenti, Tiribazo Amistrin nuptum daturum*. & annotat, In Græco malè est Ὀρείτῃ, quod Lapo imposuit. Patet cùm aliunde tum ex Diodori 16. & notum est dictum huius Orontis de aulicis, quum gratia regis & soceri excidisset.

3,582,a. *Oromazẽ*] Ὠρομάζης, seu Ὠρόμαζος, (vt Ἀρταζάζης & Ἀρτάβαζος, & id genus alia) deus est Persarum: is quem nos Solem vocamus. Euidens est hoc cùm aliis ex autoribus, tum ex libro Plutarchi De Iside & Osiride. & quidem Ὦρος à sole annus dicebatur: quod non solùm grammatici testantur, sed & versus extat Euphorionis de Laodice & Acamante Thesei F. Ἤ οἱ Μουνίτον ὧρα τίκε πλεομένῳ ἐνὶ ὥρῳ. Id propter Lapum annoto, qui quum hoc non animaduerteret, perperã ad regem transtulit.

# IN ARATVM ANNOTATIONES Guil. Xylandri, & Herm. Cruserii, interpretum.

Aratum vixisse eodem tempore quo Cleomenes Spartæ rex fuit, & Antigonus Macedoniæ, satis ex vita Cleomenis constat. Vide omnino de eius ætate & æqualibus Polybium lib. 2, necnon de rebus eius gestis.

3, 583, a. *Quis patrem laudet*] Prouerbium hoc etiam in Chiliadibus Erasmi exponitur. Notum est autem, plerosque, quum nihil ipsi habeant proprium quod laudem mereatur, ad paternas & auitas laudes (vti claudi ad equum) recurrere. Quasi verò iis occini meritò non queat, Heroum filios esse noxas. Extant in hanc sententiam multæ graues & argutæ veterum Græcorum poetarum sententiæ: sed nostrum institutum non patitur nos eas huc cogere. Eleganter Ouidius sub persona Vlyssis, *Nam genus & proauos, & quæ nō fecimus ipsi, Vix ea nostra voco.* Quod ad Græcum versum attinet, αἰνήσοι cum apostropho si legatur, erit elegantior: vt sit modus potentialis, vt vocant, aoristo optatiuo expressus. Certè Erasmus ita legit: an ex autoritate libri, an ex ingenio? Cic. lib. ad Atticū primo, vbi de sesui ipsius laudatore loquitur, scitè adducit partem versus, Τίς πατέρ' αἰνήσοι: sed quia non adduxit totum, non multum id meæ lectionis opinioni detrahet. Fieri enim potest vt nō retulerit parœmiam, sed ad eam (vt frequenter aliàs) alluserit.

3, 583, c. *Est enim sibi placentis*] Sensus est, Tu quidem ô Polycrates vir es præclarus: sed nimis tibiipsi placeres si tantum tibi tribueres vt non Aratum potius imitandum tuis filiis, quàm te, proponeres. Ac videntur illa verba, παντὸς ἀεὶ βέλτιστον, non vacare mendo: sed deesse ἑαυτὸν aut aliquid tale. Lapus quidem corrupit sententiam. φιλοχάλου autem est, optima & nobilissima exempla ad imitandum aliis proponere, non temerè seipsos, neque semper.

3, 584, c. *Non diffitetur athleticam voracitatem & ligonem*] Xyl. itidem *ligonem* vertit, & annotat, καὶ τὸ σκαφίον. Lapus scapham vertit: si quidem hoc est vertere. σκαφίον apud Græcos duo significat, tonsuræ genus, & ligonem seu sarculum. Quum tonsuræ genus est, ἐν χρῷ significat, id est, quū nouacula crines raduntur: eique opponitur κῆπος, quod est tonsuræ genus ad ornatum formæ magis faciens. Aristophanis interpres in Auibus, Eustath. in Iliad. μ, & alii. Sed id huc non facit. Quod autem ad ligonem attinet, athletas solitos se eo ad firmandum robur exercere, innuit Theocritus Idyllio 4, quod inscribitur νομεῖς: de pastore loquens qui Pisas certaturus & athletā acturus se contulerat: Ὠ..χετ', ἔχων σκαπάναν τε, καὶ εἴκατι τουτόθε μῆλα. Interpres ostendit carnes eum ouium secum detulisse, vt haberet quod voraret. & de voracitate athletarum res est notior quàm vt verbis opus sit. De ligone autem, qui σκαπάνη etiam dicitur, (hoc quoq; παρὰ τὸ σκάπτω, fodio) interpres ait vocari

δίκελλαν, σκαφίον, vulgò λισγάριον & τζάπιον, Atticè ἄμην. ſolitos autem athletas, pugiles præſertim, ſe eo exercere, & fodiendo ſuperioribus corporis partibus robur quærere.

3,584,d. *Paſea autem* ] Πασίας hic eſt, ſuprà ὁ Πασίου. quod & rectius eſt. Nam Pauſan. quoque lib.2, ita habet, ὁ Ἀβαντίδου πατὴρ Πασίας.

3,585,a. *Ab ſpectantium caterua fuiſſe, vbi id intellexerunt, obtritum*] Xyl. vertit *Conculcatum.* & annotat, κατεπατήθησαν non ab ἀπατάω, ſed à πατέω verbo deduci, vel pueri ſciunt. Lapus hic oſcitauit: & neſcio quid erroris Spartanis attribuit, errore ipſe lapſus.

Ibidem, c. *Arceſilai philoſophi quõdam Athenis auditor*] Xyl. vertit, *In vrbe.* & annotat, id eſt Athenis. ita enim de Athenis aliquando loquuntur Græci, vt de Roma Latini. Videtur autem is eſſe quem Arceſilam vocat Cicero. Nam legendum eſt omnino Ἀρκεσίλαον, Arceſilaum, vt & Strabo lib.1 hunc nominat, Academicum nobilem. Laertius ex Apollodoro tradit eum floruiſſe Olympiade c x x. hæc autem non multo poſt c x x x Olympiadem geſta ſunt. Quin & initio Philopœmenis noſter eum Arceſilaum ſcripſit, quod hîc vitiarat librarius. Ecdelus autem qui hîc legitur, ibi eſt Ecdemus.

3,586, c. *Has in achanas coniectas*]Xyl. vertit, *In modios frumentarios impoſuerũt.* & annotat: Malui genus vertere, quum hîc nõ de quantitate menſuræ quæratur, ſed de vaſe ſimpliciter. Achana genus eſt mẽſuræ frumẽtariæ Perſicum, vt apud AEgyptios artaba: continet ( vt teſtatur Ariſtoteles ) medimnos Atticos x l v. Alii ciſtam eſſe dicunt in quam publicè ad ſpectacula aut oraculum conſulendum miſſi ſua cibaria condunt. Hæc interpres Ariſtoph. in verſum Acharnenſium: Οὐκ, ἀλλ' ἀχαίας ὀδί γε χιλίου λέγε. Eadẽ ferè Euſtathius in 2 & 19 Vlyſſeæ.

3,587,a. *Datóque ſigno Apolline dextro*] Xyl. vertit, *Teſſeram dedit Apollinem propitium.* & annotat, ὑπερδέξιον. Hoc vocabulum fere de loco ſumitur, vt τόπος ὑπερδέξιος, & χωρίον ὑπερδέξιον, vnde propter ſublimitatem commodè pugnatur. vſitata eſt phraſis hiſtoricis. Itaque Apollinem etiam ὑπερδέξιον intelligo cuiꝰ præſidio ſperabãt ſe hoſtibus ſuperiores fore.

3,589,d. *Conſenſio gentium &c.*] Locum hunc ita vertit Xyland. *Neque quicquam magis amabat quam concordiam populorum, communionem ciuitatum, conciliumque & theatrum vnam edens vocẽ: bello & apertis certaminibus vti non facilè audebat.* annotatque, Locus in Græco non eſt, niſi parum video, integer. Itaque feci quod potui: libenter melioribus ceſſurus.

3,592,c. *Conſilia & pugnæ, &c.*] Xyl. vertit, *Gloria ad Herculeas innotuit vſque columnas Inclyta virtutis maxime Arate tuæ, Et tibi pro patriæ certamina geſta ſalute, Factá que prudenti maxima conſilio. At nos in patriam te ſeruatore reducti, Cernentes opera ſana laréſque tua: Hanc ſtatuam grata memores tibi mente dicamus, Virtutis ſignum iuſtitiæque tuæ. Atque ſalutiferos inter te diue fatemur Inſignẽ ſuperos emeruiſſe locum. Nã libertatem gentis, legẽſque ſalubres, Ociáque alma tuus reſtituit patriæ.* & annotat, Non diſputo vt hæc carmina Lapus cõuerterit. Ego paulo libe-

rius verti, vt sensum vtcũq; reddere: πλάθεται, in primo pẽtametro, Appropinquat est, media voce à πλάθω. qua vsus est etiã in Electra Sophocles: —τοῖς δυνατοῖς οὐκ ἐρεσὶ πλάθειν: id est πελάζειν. Quod non interpretes modò ibi docent, sed & Eustathius hunc versum citans in Odyss. υ, ait, πλάθειν verbum esse παρὰ τὸ πλῶ τὸ πελάζω deductum.

3,595,c. *Quippe animo erat hic vsqueadeo celso*] Xyl. vertit, *Tanta erat hominis magnanimitas*. & annotat, πρὸς τὸ ἀργύρειον. ὁ δὲ, οὕτω δή. Nisi legas ἀργύρειον τόδε. οὕτω δή, &c. aut omnino illud ὁ δὲ omittas, necesse erit locũ mutilum intelligi, ac comparationem à Plutarcho fuisse propositam, cuius prior pars interciderit.

3,610,b. *Venatorẽ imitatus AEsopicum*] Alludit ad nobilem illam fabulam de homine qui equo communibus armis à ceruo pulso, ita opem tulit vt in posterum equo semper vectore ipse vteretur. Extat apud Aristotelem in Rhetoricis, & Horatium, ibi: *Ceruus equũ pugna melior*, &c.

3,612,a. *AEten*] Regio est Peloponnesi maritima ad Corinthum. Stephanus ex Thucydide.

3,616,b. *Dymæósque*] Δυμαίων est legendum, non Κυμαίων. quod miror retinuisse interpetem, quũ in Achaia nulla Cuma, Dyme autem sit notissima.

3,617,c. *Minorem Aratum primatim sauciauit in vxore*] Xyl. vertit, *Primum aliquandiu hospitio Aratorum vtens, occultè iuniores vxorem corrupit*. & annotat, Liuius libro vigesimoseptimo, de Philippo loquens: Vni etiã, inquit, principi Achæorum Arato adempta vxore Polycratia, ac spe regiarum nuptiarum in Macedoniam asportata fuerat. De cæteris vide Polyb. libro quarto, quinto, octauo: & Pausaniam in Corinthiacis. Paulo superius hæc verba, ἔργα διαμαρτάνων τοῦ παντὸς ὁ Φίλιππος, Lapus corrupit, & videtur nullo sensu legisse πρὸς. Significant autem Philippum sensisse quòd posthabito Arato res aggressus, tota aberrasset via.

3,620,c. *Quorum obscura adhuc vestigia diebus illis defunctoriè retinent*] Xyl. vertit, *Adhuc quædã eorum indicia seruant ac celebrant*. & annotat, ἀφοσιούμενοι. Lapus valde absurdè vertit Expiati. quæ tamen interpretatio etiam in Græca irrepsit Lexica, hinc (opinor) petita. Est autem ἀφοσιοῦσθαι idem quod ἀφοσιοῦσθαι, quo in Pericle & Cimone vsus est verbo autor noster: ἀφοσιούμενος τὴν προσβολήν: id est, vt muneri sibi mandato vtcunq; & perfunctoriè (quod aiũt) satisfaceret. Ita hic dicit Sicyonios, quum plerosque ritus sacrorum in honorem Arati institutorum omitterent, quædam tamen, vt defungi suo pietatis officio viderentur, quotannis celebrasse.

## IN GALBAM ANNOTATIONES Guil. Xylandri interpretis.

3,119,b. *Vti demonstrauimus*] Galbæ qui in Romano imperio successit Neroni, ætas notior est quàm vt de ea quicquam dicendũ sit. Apparet autem ex hoc loco, Neronis quoque, &, vt opinor, etiam

tiam præcedentium imperatorum vitas ab autore nostro descriptas fuisse: atque haud scio an omnium vsque ad Traianum. Nam sub finem Othonis satis innuit Vitellium à se scriptum. Qui libri quãto historiarum detrimento intercíderint, facile iudicãt periti. nam quis non animaduertit quàm multa apud Tacitum, Suetonium & alios desiderentur, quæ vel ex his reliquiis suppleri posint? Equidẽ hinc apparet, vitas imperatorum à Plutarcho non à prima ætate repetitas: sed ea tantùm ab eo pertractata quæ ipsis ad imperiũ adspirantibus, eóque potius, deinceps euenerint. vt fortasis istæ vitæ non huius operis fuerint: sicut & oratorum vitas Atheniẽsium idem seorsim descripsit. Nihil enim est in iis, vt taceam cætera, παρά λληλον.

3, 149, d. *Gentis Seruiorum*] τὸν Σερουΐων οἶκον. Seruius Sulpiciæ genti ita fuit vsitatum prænomen vt propè pro gentili vsurpatum nomine, vel ex hoc loco appareat. Non enim temerè dixerim, Plutarchum ignorasse Sulpiciam gentem fuisse ex qua Galba hic extiterit. Qui autem Sergium eum faciunt, imperitia labuntur: & iampridem eorum est explosus error, quantumuis in Suetonii & aliis codicibus retineatur. Catulus de quo hic fit mentio, est Q. Lutatius Catulus Capitolinus, Cæsaris Iulii & Pompeii æqualis, de quo eius temporis historiæ consulendæ.

3, 120, b. *Scelerati procuratores*] ἀλιτηρίων ἐπίτροπος ὤν. Mendum est. Rectiúsque alibi legitur (nam cum cæteris Plutarchi opusculis quæ Moralia inscribuntur, etiam Galba hic & Otho impresi sunt) ἀλιτηρίων ἐπιτρόπων. Interpres ignoratione rerũ lapsus, publicanos vertit. Loquitur autem de procuratoribus prouinciarum, qui mitti ab imperatoribus solebant vt quæ ad fiscum ipsorum pertinerent, administrarent. Vide Dionem libro quinquagesimotertio, vbi id ab Augusto primùm institutum traditur. Quomodo deinde eorum potentia, & libido etiam, accreuerint, vtque prouinciales ab iis vexati sint, ex Tacito, libro præsertim decimosexto, & Suetonio intelliges.

3, 121, a. *T. autem Iunius.*] Ὀβίνιος. & in altero, Ὀβίννιος. Interpres T. Iunium rectè reddidit. Collega is in consulatu fuit Galbæ, ac tum legatus eius in Hispania: deinde plurimùm apud eum potuit, vt est apud Corneliũ Tacitum & Suetoniũ. & quanquã constanter Ὀβίνιος legitur hic, tamen vel sequentia euidentisimè ostendunt esse Iunium legendum. Scriptura facilè errorem peperit, Ἰούνιος, Οὐίνιος, Ὀβίνιος. στρατιωτικὸν τάγμα classiarios idem non bene vertit: ego prætorianos reddidi. puto enim στρατηγικὸν esse legendum. Illud absurdius quòd interpres ἐλευθερώσεις longè aliò, & nescio ad quem conspirationis autorem, detorsit, quum manumisionem vox ea palàm designet: & Suetonius hac de re, Igitur, inquit, quũ quasi manumisioni vacaturus conscendisset tribunal, &c. cap. 10.

Ibidem, d. *Clodius Macer*] Μαῦρος. Scribe Μάκρος. Tacitus, Suetonius.

3, 122, b. *Cluniam*] Κολωνίαν. Interpres Coloniam. Neque sum nescius, in Hispaniæ citerioris ora Coloniam esse, nomine Illici. Sed nomen mihi magis ad Cluniam videbatur accedere, quæ est

Celtiberiæ finis. Plinius lib.3, capite 3.

3,122,d. *Titus*] Nimirum T. Iunius. in altero Græco locus mancus, in nostro perturbatus est: & historici hîc nos destituunt.

Ibidem. *Marcianus Vicellus*] Οὐϊκέλλος. In Græco altero, Ἴκελλος, Icellus: & sic apud Suetonium legitur. apud Tacitum Hycellus, lib. 17: vtrobique Martianus. Pòst Spicillum gladiatorem verti, sequutus Suetonium, quum esset in Græco σπῖκλον.

3,124,b. *Exploratum vt res*] Asterisco locus notatus est. Nihil tamen video deesse, & in παρείκει non est ita grauis menda.

3,128,a. *Petronius Turpilianus*] Sic est apud Tacitum. in Græco, Tertullianum. Et non Cingonius Varro, sed Ciconius apud eum legitur, consúlque fuisse designatus dicitur. & non Trebonianus, sed Trebonius Garucianus, Macri interfector.

3,131,a. *Crispino*] Rufo Crispo, equiti Romano. Vide omnino Cornelium Tacitum lib. 15.

3,134,a. *Crassi & Pisonis*] Vocabatur is Piso Licinianus: vt est apud Suetoniũ & Tacitũ. pro Pisonis in Græco est Κεμπίωνος, vox nihili. Quòd Licinianus appellabatur, satis ostendit, eũ à Pisone adoptatum, lege & more adoptionis nomen gentis leuiter immutatum retinuisse. Licinium autem nomen gentis est: vnde Crassi, Murenæ, alii.

Ibidem, d. *Veturius & Barbius*] Tacitus: Sed tum è libertis Onomastum sceleri præfecit, à quo Barbium Proculum Thesseranum speculatorem, & Veturium eodem perductos. Explicatio autem horum nominum est obscura quam Plutarchus adfert, atque haud scio vnde petita.

3,135,a. *Alioquin enim exercitus sanus*] Hîc, vt persæpe, contrarium verbis autoris sensum interpres reddidit. Ostenditur enim causa tam celeris à Galba defectionis.

3,136,d. *Atilius Vergilio*] Sic legitur apud Tacitum. Fortè Vercello scribendum ibi sit.

Ibidem. *Densus centurio*] Ἴνδηρσος vtrobique in Græco est. Sed ego cùm Cornelium sequor, tum etiam Xiphilinum in Galba.

3,137,c. A *Marco quodam*] Μάρκου. reponendum Μούρκου. Est autem Murcus Statiæ gentis cognomentum: vt in L. Statio Murco euidens est, de quo præter alios Dio, libro quadragesimoseptimo & quadragesimooctauo: & apud Cornelium hîc expressum est etiam Seruii nomen.

3,138,b. *Patrobii seruis*] Additur in Græco, & Vitellii, nullo nisi absurdo sensu. nihil enim hîc Vitellio rei. Itaque aut alterius liberti Neroniani nomẽ pro Vitelliano reponendum erit, aut totum omittendum, quod malo. Nam & Tacitus & Suetonius solius Patrobii meminerunt: nisi quòd hic precio redemptum à calonibus tradens, à nostro variat autore.

# IN OTHONEM ANNOTATIONES Guil. Xylandri, interpretis.

3,140,b. *In Sinuessanum agrum*] Emendandus ex hoc loco est Cornelii Taciti locus, eadem de re loquentis, vbi Suessanæ aquæ leguntur, pro Sinuessanis. Sinuessa haud procul ostio Liris amnis, ad oram Campaniæ vrbs est, cuius aquæ nobilitatæ sunt. Plinius libro tertio, capite quinto, & libro trigesimo primo, capite secundo. Nihil de Suessa tale. Cæterùm ego Taciti verbis aliquoties hic sum vsus: vt ostenderem, videri mihi ista ex illo translata.

# DE MENSIBVS ATTICIS GVIL. XYlandri appendix.

PLura opinione mea, lector candide, annotaui: haud scio an pauciora aliorum vel expectatione vel desiderio. Lubens omisi permulta quæ ad hoc opus exornandum videbātur plurimum allatura momenti: vt genealogias regum quorundam ac principum virorum, (quas statueram per occasionem veluti emblematum loco intexere) vt locorum descriptiones aliquot, vt philosophicarum nonnullarum quæstionum explicationes, vt eorum quæ eadem de re diuersi autores scripserunt inter se comparationes, vt multorum errorum refutationes, multorum nō rectè scriptorum emendationes, ac quædam id genus alia.

*Verùm hæc ipse quidem hîc spatiis exclusus iniquis*
*Prætereo: atque aliàs mihi fors memoranda relinquo.* quippe & annotationum maius est factum quàm initio putaueram, opus, vtcunque omnia me contrahente. & mole laboris variisq; curis & negotiis defatigato ignoscent qui non sunt ingrati: neque tam præterita à nobis multa ægrè ferent quàm ea quæ diximus non adeò pauca boni consulent. Memini me initio ferè operis pollicitū, me nonnihil de Græcorum, Atticorū inquam, (apud quos fuit Ἑλλάδος Ἑλλάς) mēsibus commentaturum hoc loco, ad nūc promissum qua debeo & possum fide repræsentabo. Non est autem mei instituti, rem ipsam pertractare: quod & operosum & odiosum fore scio, & aliò pertinet: sed ὁδοῦ πάρεργον tantùm, quædam admonere diligētem lectorem. Etenim qui prius Plutarchi hæc parallela Latino sermone descripserunt, Lapus, Guarinus, aliique, dum Atticorum mensium nominibus Romana aptare conantur, neque inter se, aut cum aliis, neque secum adeò singuli conueniunt. Quod qui mihi non credit, facilè, si Græca-

cum Latinis cõferre velit, verum esse deprehẽdet. Ego, qui rem plurimũ habere controuersiæ, miniméque explicatus faciles scirem, id sum sequutus quod & tutissimum erat & (nisi fallor) rectissimum. Reliqui ipsa Græca mensium nomina, ita vt lector in iis vertẽdis & ad Romanum morem exprimendis, eum sequi potissimum interpretem atque autorem posset quem vellet. Quo fiebat vt neque ego interponere sententiam in re apud doctos controuersa opus haberem: & lector nullo negotio quid scripsisset Plutarchus, videret. Ne autẽ vel contempsisse aliorum coniecturas, vel ob inertiam supersedisse labore eorum nominum vertendorum viderer: hîc vtcunque lectori satisfaciam, & cum de ipsis mensium nominibus, tum de eorum etiam partibus dicam aliquid. Quod omne tantùm ad explicanda Plutarchi dicta, vnum hoc loco nostrum scopum, referetur. Ac quia plerique Gazæ (cuius aureolus extat de mensibus liber, Græcè ab eo scriptus) sententiam, vt hominis doctissimi & accuratissimæ diligentiæ, sequuntur: priusquam de singulis dicam, omnes ordine vulgato recensebo, comparatis inter se ex eius autoris opinione nominibus.

| | |
|---|---|
| Ianuarius, | Γαμηλιών. |
| Februarius, | Ἐλαφηβολιών. |
| Martius, | Μουνυχιών. |
| Aprilis, | Θαργηλιών. |
| Maius, | Σκιῤῥοφοριών. |
| Iunius, | Ἑκατομβαιών. |
| Iulius, | Μεταγειτνιών. |
| Augustus, | Βοηδρομιών. |
| September, | Μαιμακτηριών. |
| October, | Πυανεψιών. |
| Nouember, | Ἀνθεστηριών. |
| December, | Ποσειδεών. |

Γαμηλιὼν ergo Ianuarius est Gazæ. Iam illud primò omnium satis est verbo attigisse, quod extra omnem controuersiam est positum: tametsi & Romani & Græci suos menses à nouilunio, seu cõiunctione solis & lunæ, auspicarentur, tamen inter se iis minimè conuenisse, vt ne si constaret quidem de ordine omniũ vtrinque, tamen præcise inter se componi compararique possent. In causa fuisse cùm alia, tum astronomicarum rationum ignorationem atque incertitudinem, liquet: quã intercalandi etiam importunitate haud rarò auctam apparet. Verùm hæc aliò pertinent. Sanè in Romulo Plutarchus (nam eum potissimum suis ipsius verbis explicandum puto) affirmat nihil conuenire inter Græcorum & Romanorum nouilunia: vbi Romæ natalẽ, qui in ipsum trigesimũ mẽsis diem inciderit, celebrari à Romanis A.D.XI Kal. Maii ostendit. Atque idem in Aristida, de Plataicæ pugnæ die loquens fatetur, quanquam suo tempore accuratius cælestium corporum motus supputarentur, tamen alios aliter mẽses inchoare suos. Gamelionis in hoc opere nusquam meminit (quod recordari possim) Plutarchus. itaque non opus habeo de eo multa afferre. Suidas, nescio quo autore, Ianuarium hũc interpretatur. Γάμος nuptias significat. Nuptiis autem præesse creditum fuit Iunonem. id quod epitheta eius varia apud Græcos & Latinos (quæ huc congerere nolo, & maxima eorum pars apud Gyraldum De diis gentium legi potest) demonstrant. Inter alia, etiam γαμηλία à nuptiis dicta est, quibus eam præesse Cecrops Athenis docuit, colique eo

nomine: & mensem quo ei sacrificaretur, Gamelionem appellari voluit. Eustathius in σ Iliadis, Varinus, & alii.

Februarius, ἐλαφηβολιὼν ex autoritate Gazæ creditur. ἔλαφος ceruus est, βολὴ ictus vel coniectus. Cæterùm apud Homerum ἐλαφηβόλος pro venatore quoque dicitur, species pro genere: -ὡς τὰρ λῖς ἠϋγένειος ᾧ ῥά θ' ὑπὸ σκύμνους ἐλαφηβόλος ἁρπάσῃ ἀνήρ: Iliad. 18. Elaphebolia sacrificia in venatricis Dianæ honorem peragi solita referunt Græci grammatici: quo tempore, non inuenio. Laudo autem Gazæ solertiam, qui hybernum esse mensem, & quidem Gamelione posteriorem, priorem Munychione, demõstrauit. Ne huius quidem meminit hoc in opere Plutarchus.

Sequitur Μουνυχιὼν, Martio adsignatus mensis. Hunc in Theseo Plutarchi Ianuarium vertit Lapus, vt & Donatus Acciaiolus in Demetrio: Guarinus in Lysandro Martium: in Phocionis extremo Lapus Græcum reliquerat nomen, idq; rectius. Munychia pars est Athenarum maritima, satis celebrata in historiis: describitur etiam à Strabone lib. 9. Idem Munychiæ Dianæ meminit, quæ Pygelæ (vrbs est Ionica, non procul Epheso) coleretur. Fuisse eam cultam Athenis, & nimirum à loco id nominis, aut contrà, sortitã, patet ex Atticis Pausaniæ & iis quæ sunt apud Gyraldũ collecta ex Græcis cõmentariis. Esse autẽ Martiũ, aut ei proximè respondere, æquinoctii, etiã ratione demonstrauit Gaza. Et quidem Varinus Camers in præclaro lexico suo annotauit, Μουνυχιὼν, ὁ δέκατος μὴν παρ' Ἀθηναίοις οὕτω καλεῖται. &c. Munychion decimus Atheniensibus mẽsis vocatur. Est autem Martius decimus à Iunio: à quo incepisse ordinem (quippe à solstitio æstiuo) mensium, ipsumque adeò annum, perspicuè docuit Theodorus. Existimo autem hoc Varinum ex Suida, (vt pleraque) aut vtrunque eodem ex libro descripsisse. nam quod apud Suidam δεύτερος legitur, nõ δέκατος, librarii est (vt permulta alia) mendum.

Proximus est Aprilis, cui respondeat Θαργηλιὼν. Hunc in Timoleonte Maium Tudertinus, Donatus in Demetrio (nam in Alcibiade omiserat) Martium transtulit. Sacrum fuisse Apollini & Dianæ, vtpote natalem eorum, ac tum lustrari Athenas consueuisse, & Thargelia celebrata, quib' sacris primitiæ eorum fructuum quos iam, terra à sole iterum elato calefacta (nam θέρος calorem, γῆ terram significat: quæ videatur vocis origo fuisse) ediderit, cõsecrarentur in olla concoctæ, quæ θάργηλος dicatur: hæc inquam, & multa alia apud Laertium in Socrate, Suidam, Hesychium, Varinum & alios, sunt in promptu. Scribit Plutarchus in Camillo, vbi de diebus nefastis disputat, Troiam captam fuisse circa XXIIII diem Thargelionis: autorésque huius historiæ laudat Ephorum, Callisthenẽ, Damasten, Phylarchum. Adscribam etiam Dionysii Halicarnassei verba, sed Latinè, eandẽ rem continentia: Troia, inquit, capta est sub finem æstatis, septendecim diebus ante solstitium æstiuum, vigesimatertia die mensis Thargelionis, vt quidem Athenienses tempus solent supputare.

Restabant adhuc viginti post solstitium dies ad explendum istum annum. Ergo harum XXXVII dierum spatio, quæ à capta Troia vsque ad anni finem effluxerunt, existimo Achæos & res vrbanas transegisse, & legatos eorum qui defecerãt accepisse, (ἐπιδέξασθαι lego, non ἐπιδείξασθαι) & fœdus cum iis icisse. Insequẽti anno, &c. Torsit hic Dionysii locus Gazam haud leuiter. accepit enim hæc verba ita vt qui ab eo, aut Ephoro potius, vnde hoc sit mutuatus, Hecatombæoni mensi solstitiali proximè antecedere Thargelionem (quasi diceres Aprilem Iunio) omisso qui inter eos est medius, Scirophorione, affirmari putaret. Itaque omisso Dionysio, de Ephoro ita disputat vt vel eum lapsum incuria pro Scirophorione Thargeliona scripsisse, vel libros ipsius à librario inerti fuisse corruptos iudicet. Quàm satisfaciat aliis Gaza, nõ laboro: mihi quidem nequaquam satisfacit. Si, quæcunque non statim assequimur in bonorum scriptorum libris, ea incuriæ eorum imputabimus: quid iam non conuellètur, tot sciolorum examinibus circumuolitantibus? aut qualis tandem fuisse existimabitur Ephorus, qui in mensium nominibus & ratione temporum describenda ita extra se (quod suspicatur Gaza) abripi se pateretur? Nam quod ei σφάλμα in homonymo Iberiæ vocabulo obiicitur, longè aliud est falli ambiguitate quàm labi oscitantia, & in scribendo οὐκ ἐντὸς εἶ ἑαυτοῦ. Ne dicam, fieri potuisse vt Dionysius ex alio scriptore, ac non ex Ephoro, hoc desumpserit, cui hoc modo iniuria fiet. Denique si tantam negligentiam Ephoro rectè obiicit Gaza, quid Dionysio fiet, qui id non senserit, sed cæcũ cæcus sit sequutus? quid Plutarcho? scriptoribus propè ἀπεριττῶς nonnunquam accuratis. Nam locus quem ex Plutarcho citaui, omnino id quod de librario queri possemus, amolitur: & cùm disertè ibi de iis quæ barbari mense Thargelione acceperint incõmoda, scribitur, tum Ephoro alii tres testes apponũtur. nisi fortassis & conspirasse in hanc corrumpendam historiam librarios omnes omnium ætatum & scriptorum opinabimur, & ὑποβολιμαῖον esse quod de Ilio capto inter alia ibi refert Plutarchus: quorũ neutrũ persuaderi potuisse Gazæ, persuasum habeo. Iam vt conemur locũ Dionysii explicare, mirari satis nequeo quid in mentem venerit iis qui ex his verbis colligere voluerunt, Thargelionem Hecatombæoni contiguum indicari. Equidem disertè Dionysius dixit, triginta septem diebus ante noui anni initium captam esse Troiam. Quòd si ergo Thargelioni (cuius die XXIII ea capta fuisse hîc perhibetur, si Atticam mensiũ seriem & rationem sequamur) de his tribus septem, nónne triginta adhuc pro Scirophorione mense dies restabunt, & annus insequens à prima Hecatombæonis initium sumet? Hæc est, nisi vehementer φιλονεικεῖν & nodum in scirpo quærere pergamus, apertissima & simplicissima Dionysii verborum sententia: & quidem facilè eam ex tam claris verbis mediocriter attentus homo & non ineruditus erucrit. atque haud scio an omnes quibus hactenus scrupulum hic locus iniecit, meam opinionẽ sint amplexuri, quæ neque Thargelionem loco mouet, neque Scirophorionẽ, neque omnino in vllam incurrit absurditatem aut insolen-

tiam. Quòd si quos perturbat id quòd septemdecim ante solstitium diebus capta Troia dicitur: cogitent non eum diem octauum præcipitis seu decrescẽtis (φθίνοντος) Thargelionis à Dionysio appellari, (quum sit XIIII Scirophorionis, si quidem Kal. Hecatombæonis in solstitium competerẽt) sed indicari errorem illius temporis hominum in ordinandis mensibus. nam ratione anni, non solstitii, dies captæ Troiæ Attico more ab eo dicitur, id quod est XXIII Thargelionis. solstitium autem eo anno non in Kalendas seu plenilunium Hecatombæonis, verum in decimum Scirophorionis incidisse monet, quanquam non expresse, ita tamen vt intelligenti satis sit dictum. eò enim pertinet mentio viginti dierum, qui à solstitio ad complendum annum sequerentur. Hæc ego in medium proponere volui, vt locum Dionysii doctè admodum scriptum, quà explicarem, quà tuerer: saluo interim eorum honore qui aliquid verius afferent. tametsi non dubito fore multos eruditos viros quos iste locus hactenus torsit, qui probaturi sint nostrum studium.

Sequitur Σκιρροφοριών, qui sit Maius. σκιὰ, vmbra est: inde σκίρον puto detractum, vt sit Vmbraculum: quasi σκιερόν. A Sciris, seu Scirophoriis sacrificiis, mẽsis nomẽ habet. quibus vmbraculum ex arce solenni pompa deferebatur, signúmque ædificandi dabatur. Vt breuis sim, te ad Scholiastem Aristophanis remitto qui initio Ἐκκλησιαζουσῶν, eiúsque deinde verbis Suidas, rem totam explanat. Mensem hunc proximũ ante Hecatombæonem fuisse, disertè in Agesilao Plutarchus docuit: vbi inter fœdus Spartæ exclusis Bœotis XIIII Scirophorionis die ictum, & cladem quam apud Leuctra quinto die Hecatombæonis passi sunt Spartani, dies viginti interuenisse refert. Grynæus hũc Aprilem, illum Martium, neutrum rectè, transtulit.

Ἑκατομβαιὼν ergo Iunio conferatur: nomen à sacrificiis maioribus habens. Solstitium æstiuum in hunc incidisse, primúmque Atticorum mensium fuisse, Gaza demonstrauit. De vocabulo ἑκατόμβη alibi quàm hîc dicere præstat. Lapus in Theseo & Maium vertit, & Aprilem: Guarinus in Alexandro, Augustum: quàm rectè, satis liquet. Plutarchus in Theseo ostendit, Cronium, id est Saturnalem, antiquitùs dictum fuisse, Hippodromiũ Bœotis, Macedonibus Loum: hoc, in Alexandro, illud, in Camillo indicat.

Subiungit huic Gaza Μεταγειτνιῶνα: quem nos Quintili siue Iulio conciliemus. Carnium Syracusani, Panemũ Bœoti appellabãt, vt in Nicia & Camillo Plutarchus refert. Maium Aretinus transtulit in Demosthenis vita. Vuolfius Gazam est sequutus. Certè Plutarchus hunc videtur Septembri, non Iulio, comparasse: nisi si locus in Poplicola de Capitolii dedicatione sit deprauatus: quod nõ video qua sit factum occasione, & verò errasse in hac re, aut deceptum fuisse Plutarchum, non facilè crediderim. Idus quidem Septembris ibi plenilunio Metagitniontis tribuuntur. Metagitnia Apollinis sacra, mẽsem hunc, secundum Suidas scripsit.

Proximus huic Βοηδρομιὼν, qui Sextili siue Augusto respòndeat. Est autẽ βοηδρομεῖν, Cum clamore & festinatione ad auxilia accurrere, hinc sacrum Boedromia, de

quibus Plut. in Theseo, Suidas, alii. Lapus Iunium vertit in Theseo, (qui tamē sui oblitus in Phocione Nouembrem extulit: nisi id quoque correctori debemus) vt & Guarinus in Alexandro, & Donatus in Demetrio. Hunc quidem mensem Metagitnionti fuisse contiguum, ex Plutarchi Aristida colligitur, vbi de pugnæ Plataicæ tēpore loquitur.

Subit huic Μαιμακτηριών, quē à Bœotis Alalcomenium dictum Plutarchus ibidem dicit: & conijci eo ex loco potest, Boedromioni eum successisse. Opponitur nostro Septembri. Μαιμᾶν, Impetū dare est. Sed Iouem Mæmacten, cui sacra tum Mæmacteria agerētur, videntur nō impetuosum tantùm ob tempestates, sed & lustralem seu placando aptum exponere Græci: quod hîc nō moror. Quintū hunc Atheniensium mensem Suidas, & Ianuarium esse annotauit: idémque habet Varinus. quorum neutrum cum Gazæ opinione conuenit: imò si quintus sit, nullo modo Ianuarius esse possit. Arrianus lib. II De exped. Alex. hoc mense scribit victum ab Alexandro Darium Issica pugna: quam finita æstate, & iam incipiente autumno, commissam fuisse, veritati non videtur alienum.

Secundùm hunc ponitur qui ad Octobrem nostrū quadret, Πυανεψιών: sic dictus à Pyanepsiis sacris, (πυανεψία etiā dici ea, Suidas ex Lycurgi oratione quadam docet) quæ tum Apollini fiebant, coctis quæ πύανα dicerentur etiā leguminibus, quasi κυαμέψια, vt annotauit Eustath. in XXII Iliadis. Sed consulendus est de hac re in Theseo Plutarchus: vnde colligi potest autumnalem mēsem fuisse, frugibus scilicet terræ iam collectis atque conditis ineuntem. Lapus eo non animaduerso, Iulium vertit: itémque in Cicerone Aretinus. Plutarchus porrò in lib. De Iside & Osiride docet, hunc mensem quem Athenienses Pyanepsionem nominăt, Bœotorum esse Damatrium, AEgyptiorum Athyr: nimirū circa occasum Pleiadis cosmicum, id est autumnalem.

Ventum est iam ad Nouembrē, cui à Gaza tribuitur Ἀνθεστηριών. nimirum quòd quum singulis aliis suos videretur locos assignasse, hic vnus de duodecim restans huc competeret, cæteris locis occupatis. Id Gazæ argumentum quàm sit validum, non disputo. valeret quidē si constaret certò, ea omnino mensiū nomina duodecim mensibus, singula singulis quadrare: neque vllum ex mensibus fuisse binominem, aliúmque aliquem contrà præteritum. Ego Gazæ sententia in medio relicta, quid alii senserint obiter indicabo. Anthesteria Bacchi in honorem actitata, satis ex Græcis commentatoribus manifestum est. neque hîc de iis disputo, multo minus de etymo. nam ex eo velle aliquid certi colligere, lubricum est. Reprehendit enim Gaza Philostratum quòd vernum hunc mensem scribens, à floribus (ἄνθος, flos, ἀνθεῖν, florere est) vocem effictā senserit: & ipse hybernum haud minus commodè inde exponi posse ait, quasi floribus priuantem, παρὰ τὸ ἄνθος καὶ στερεῖν. Vt facilè intelligi possit, si ἔτυμον debeat pro argumēto ordinandorum mensium recipi, de nullius loco satis nobis constiturum. Suidas, Varinus, & alii, octauum esse mēsē Atticū annotauerunt. ita non quidē Nouember erit, sed Ianuarius: idem scilicet cum Gamelione. Sanè Plutarchus noster (cui

vel ipso Gaza teste summa rerum harum peritia, accuratisimúmq; tribui debet iudicium) in Sylla de Athenis captis scribens, factum id asserit Martiis Kalendis, quæ maximè dies nouilunio, id est principio Anthesterionis, respondeat. Cui adstipulatur Appianus Alexandrinus, æqualis propè eius, & doctus admodū bonúsq; scriptor. Is lib. Bell. ciuil. secundo, de cæde C. Iulii Cæsaris verba faciēs, hæc ad extremum habet: οὕτω μὲν οὖν Γάϊος Καῖσαρ ἐτελεύτησεν ἐν ἡμέραις ἃς καλοῦσιν εἰδοῖς μαρτίαις, ἀνθεστηριῶνος μάλιστα μέσου. Duæ postremæ voces in libro impresso desunt, sed leguntur in manuscripto Augustanæ bibliothecæ codice. Sic (inquit) C. Cæsar obiit Idibus Martiis, circa medium nempe Anthesterionis. Hæc si rectè ab iis dicta sunt, vt quidē cōsentaneū puto, Nouembris porrò Græcum nomen quæramus oportet aliud. Apud Macrobium quoq; 1 Saturnal. x i i, inter vernos mēses Anthesterion ponitur, qui sit Aprilis, & à floribus tum se exerētibus dicatur. Hæc itaque ita sunt controuersa. Restat adhuc vnus scrupulus. Plutarchus in fine Arati, Anthesterionem cum Dæsio eundem facit. Idémque Alexandrum Magnum vita excessisse sub finē Dæsii docet. Ergo si rectè vtrunque (vt nō dubito) scripsit Plutarchus: non rectè faciunt qui in Iunium mensem obitum Alexandri coniiciunt, eo quòd Suidas Δέσιον, Desium, mēsem Iuniū exponit. Quòd si omnino Macedonū vel Dæsius vel Desius est Iunius: malo tamen Plutarchum sequi, & Dæsium Sicyoniorum ab eo diuersum putare.

Postremus in Gazæ serie est Ποσειδεὼν, quasi Neptunium diceres. Hic Posideon Suidæ December est, veluti & Gazæ. Plut. in Cæsare, quum quidem solstitium hybernū ei tribuit, Ianuarium interpretatur. qua in re nihil inest absurdi, quum olim solstitium id in finē Decēbris inciderit. Hæc de mēsium nominibus volui paucis commemorare. nā quæ alia sunt nomina, vt Bucatii, Artemisii, Chyac, Thoth, Pharmuthi, persequi hoc loco nō statui. Haberē & de partibus mēsium, & vocabulis ἔνη καὶ νέα, πέμπτη, &c. φθίνοντος, εἰδοῖς, πρὸ ἕνδεκα καλανδῶν, & aliis, quæ dicerem, nisi commodiori ea tempori seruarē. Quæ ex diariis regiis Plutarchus in fine Alexandri Magni descripsit, ea ad confirmādum quod Gaza docet de numeris φθίνοντος mensis nō augendis, sed minuendis vsque ad trigesimā diem, præclarè faciunt. ἔνην καὶ νέαν idē in Solone pulchrè interpretatur: & in Demetrio eius comparatione instabilitas fortunæ elegātissimis Sophoclis versibus exprimitur. Cætera diligēs lector colliget, atque expendet.

# HENRICI STEPHANI ANNOtationes in ſuam editionem vitarum Plutarchi:in eos videlicet locos quorum lectiones partim ex veterum codicũ autoritate mutatæ fuerunt, aut mutandæ ſunt: partim etiã ex coniectura mutandæ videntur. Alicubi autem & de interpretatione obiter in iiſdem agitur.

Pag.3.v. παρ.]Pro ἐνίοις παραγράφουσιν,in quibuſdã codic. ſcriptum eſt αἰτίας παραγράφουσιν. Vtraq; lectio ſtare poteſt:ſed retinẽdo ἐνίοις, reſtringetur quod alioqui generaliter dictum videri poſſit,legendo αἰτίας. vt videlicet dicat ἐνίοις πίναξιν ſolitos eſſe eos talia παραγράφειν. Ex duob' poſterioribus interpr. vnus, nimirum Xylander, ita vertit ac ſi non ἐνίοις ſed ἐνίοτε ſcriptum eſſet. Vertit enim, Aliquando adſcribere ſolent. alter, Cruſerius, ita reddidit ac ſi non ἐνίοις nec ἐνίοτε, ſed ἐνιαχοῦ, Plutarchus ſcripſiſſet. Ita enim locum illum reddidit, In margine alicubi annotãt. Gallicus autem interpres illam ex vet. cod. petitã lectionẽ αἰτίας ſequutus eſt.

V. καὶ θηρ.] Reponendo Σκυθικὸν κρύος pro Σκυθικὸν ὄρος, aliquot vet. exempl. conſenſum ſequutus ſum, quem & Gallicus interpres ſequi maluit. Magis autẽ mihi placet κρύος, quòd quũ Plutarchum Scythiæ ob eius deſerta meminiſſe veriſimile ſit, ſimul & cauſam voluiſſe declarare videri poſsit, dicendo κρύος. Sic certè Virgil. Scythiæ niues, Naſo Scythiã niuoſam, Flaccus gelidum Scythen dixit. Itidem verò Scythiæ deſerta in prouerbium Græcorum abiere, vocãtiũ Σκυθῶν ἐρημίαν: vt videmus apud AEſchylum initio Promethei vincti, & Ariſtoph. in Acharn. Quod autem ad proximè præcedentia vocabula attinet, πηλὸς ἀΐδνής, ſciendum eſt itidem in vet. illis codicibus legi: at Heſychium habere πηλὸς ἀΐδνὸς, & (quod annotatu dignisſimum eſt) certi cuiuſdam loci appellationem eſſe velle. Meminit autẽ duobus in locis, nimirum in Πηλὸς & in Ἀΐδνός.

V. ἐπεὶ] Antequam longius progrediar, lectorem de particula ἐπεὶ monendum cenſui, ne illi, ſicut & mihi initio, negotium faceſſeret. Illam igitur non hîc tantum, ſed & in aliis Plutarchi locis peculiarem quendam vſum habere ſciat. Atque vt de hoc primo loco primùm dicatur, nemo eſt qui ἐπεὶ ita accipiens vt accipi paſsim ſolet, aut imperfectam ſententiam eſſe, aut pro ἐνδόντες reponi debere ἐξέδοσαν, non exiſtimet: quum potius ἐπεὶ δὲ ἐνδόντες non ſecus accipiendum ſit ac ſi dictum eſſet ἀλλὰ ἐνδόντες. Quòd ſi ἐπεὶ δὲ ita exponere hîc poſſumus, (quidni autem poſsimus?) non dubium eſt quin & initio vitæ Poplicolæ eandem expoſitionem illi dare liceat. vt videlicet ἐπεὶ δὲ Ταρκύνιον μισῶν ὁ δῆμος ἔλαβε, idẽ valeat quod ἀλλὰ Ταρκύνιον μισῶν ὁ δῆμος ἔλαβε. Quum autem hoc animaduerterẽt interpretes, (docti alioquĩ & diligentes viri, & quos honoris cauſa nomino) vt particulæ ἐπεὶ δὲ ſuam redditionem inuenirent, membra orationis diſiuncta coniunxerunt: quod vt facere poſſent, ambo copulã καὶ, tanquam ſuper-

uacaneam, vel potius tanquam planè huic loco incommodã, prætermiserunt: sed vnus quidem eam quam habemus ante Λαβίνιος Βροῦτος, pertinẽtem ad verbum συνεξέβαλε: alter verò eam quæ est ante μέχρι, pertinens ad ἡσυχίαν ἦγεν. Equidem non dubito quin talem particulæ ἐπεὶ vsum miraturi sint multi, meam tamen sententiam, locis hisce aliísque nonnullis attentè consideratis, comprobaturi. Verùm & alium quem apud hunc scriptorem habet vsum particula ista ἐπεὶ, adiungere, operæpretium esse existimo. Sciẽdum est igitur ἐπεὶ alicubi fungi vice τοῦ ἔπειτα. vt pag. 432, huius voluminis, circa principium, ἐπεὶ δ' οἱ Κορίνθιοι &c. Sed & pag. 61, circa finem, ἐπεὶ δὲ τοῦ πάππου Νεμήτορος, &c. Sunt certè & alii loci in quibus euidens est hic particulæ ἐπεὶ vsus: sed eos lectoribus à me admonitis obseruandos relinquo.

V. τοιῷδε] Quidam cod. τοσῷδε habẽt pro τοιῷδε: sed τοιῷδε, non τοσῷδε, legitur apud ipsum AEschylum. At in posteriore loco rectè τῷδε pro τοιῷδε rẽpositũ fuit, metri etiam lege id postulante. Collegit autem hæc Plut. ex trag. quæ inscribitur ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις: sed ex tribus diuersis locis, quorum in vno non ξυμβήσεται, sed ξυστήσεται scriptum est. Vide pag. 89, & 91, & 93, meæ editionis.

P. 4. v. Ῥωμ.] Pro ἐμοὶ legitur etiam ἐμὸ.

V. προφρόνους] Inuenitur & aduerb. προφρόνως pro hoc προφρόνους.

V. υἱοὺς ἐδη.] Hoc nomen υἱοὺς ex plurium codicum consensu inserui, quorum quidam habent etiam πόλεσιν pro πολιτείαις.

P. 5. v. Μὴ λύσῃς] Reponendo Ἀθηνῶν pro Ἀθηναίων ex autor. vet. cod. εἰσαφικέσθαι in ἀφικέσθαι mutare non necesse fuerit.

P. 6. v. Ταύτης] Pro δαήμονες ne dubitẽ reponere δαίμονες (quod versus postulat) facit significatio quam verbum δαίω apud Herodotum habet: quum composito κατεδέδαιτο, quod inde est, vtatur pro Cognita erat seu comperta. Locus est in Polymnia, pag. 288, meæ editionis, ἐκ τε τόσου δὴ κατεδέδαιτο ἐοῦσα οὐδὲν χρηστὴ Μηλιεῦσι. Ita enim scribendum est absque interpunctione ante partic. ἐοῦσα: sic accipiendo verbum κατεδέδαιτο. Quin autem accipi ita debeat, minimè dubitandum puto: quanuis Valla diuersam planè interpretationem afferat: non diuersam lectionem à nostra sequutus fortassis, (vt ibi tamẽ annotaui) sed potius excogitata qualicunque interpretatione, ex hoc loco elabi conatus. Facit porrò pro lectione illa δαίμονες, & quod quidã grãm. annot. δαίμονας esse dictos quasi δαήμονας: licet alioqui nominis huius aliud quoque etymum afferatur. Neque verò pro δαήμονες facere potest Ταρπηΐα quod infrà, nimirum p. 51, legitur trisyllabũ. Facilius enim η & ι in vnam syllabã coalescere possunt quàm α & η.

V. προσσαγ.] Ex vet. codice πάλινθις additum fuit: quod optimè loco conuenit. At paulo pòst pro ὑπέστη repositum non fuit ὑπέστη, vt habet quidam alius: quòd hoc verbum accusatiuo πέτραν minimè quadret.

P. 7. v. ζοντα] Pro ἐμποδὼν reposui ἐν ποσὶν ex vet. Significat alioqui ἐμποδὼν idem nonunquam quod ἐν ποσίν: sed interdum etiam de eo dicitur quod impedimento est, quasi quoddam pedibus obiectum obstaculum.

P. 8. v. δείκνυσιν] Est μετ' αὐτοῦ pra μεθ' αὐτοῦ accipiendum: nisi

potius ita sit scribendum.

P.9.v.ποιεῖν] Pro hoc ποιεῖν legitur etiam πονεῖν.

V.τῶν δὲ] Antea legebatur προσεπιχειρουῦντα. sed προσεπιχειροῦντα potius locum hîc habet: quoniam qui non expectat dum oporteat ἀμυνόμενον προσφέρεσθαι καὶ ἐπιχειρεῖν, is dicendus est προεπιχειρεῖν, non προσεπιχειρεῖν.

V.λούοντα] Ex consensu vet. codicum νίπτοντας repositũ fuit pro ῥίπτειν. Magis autem conuenit hoc participium νίπτοντας quàm prima fronte conuenire videatur. hoc modo, κελεύοντα νίπτειν, καὶ ἀπωθοῦντα εἰς τὴν θάλασσαν νίπτοντας. id est, ἐν τῷ νίπτειν, dum ipsum lauarent. Alioqui certè præterquam quòd pro ἀπωθοῦντα ῥίπτειν satis esse poterat ἀπωθεῖν, per infinitiuum itidem dicendum fuisset προτείνειν & κελεύειν, non προτείνοντα & κελεύοντα.

P.10. v.λους] Rectius τῆς scribetur posteriore loco. Post ἀδικίας autẽ rectè sublata fuit interpunctio quam superiores editiones habent.

V.ἀπαντ.] Ex vet.cod. πρὸς τοι reponendum censeo.

V.μακον] Sequendos fuisse vet. cod. qui περιόρκκτον habẽt, nemo, vt opinor, negauerit.

P.11.v.πείθεσθαι] In vet. est λεώ. sed λεὼς legitur (vt hîc) apud Stobæum in isto versu, Ἀκούετε λεώς· Σκοπερίων λέγει τάδε.

V.ὄντες] Legitur etiam Ἐκκλησίαν λέγοντες ὑποκοριζόμενοι. sed nihil illo participio λέγοντες opus est: quũ in ὑποκοριζόμενοι includatur: vtpote significãte λέγοντες ὑποκοριστικῶς, siue λέγοντες κατὰ ὑποκορισμόν.

P.12.v.πρῶτον] De hac lectione Ἀνδρόγεω γὰρ &c. dicam in proximè sequente annotatione.

V.ὁμολογοῦσιν] Sequẽdo lectionẽ quæ est in primo huius paginæ versu, Ἀνδρόγεω γὰρ περὶ τὴν Ἀττικὴν ἀποθανεῖν δόλῳ δόξαντος, reponendũ hîc esset ὡς ὁμολογοῦσιν. In vet. cod. tamen qui illã lectionẽ habebat, erat ὁμολογοῦσιν nõ præfixa illa particula. Quare ita medẽdũ esse huic loco existimo vt alterã lectionẽ sequẽtes, ὅτι μὲν οὖν Ἀνδρόγεω &c. includam⁹ parẽthesi quæcũque sunt inter nomen χώραν & verbum ὁμολογοῦσιν.

V.μικτον] Pro ἀποφώλιον quidam codex habebat ἀπόφημον. sed ἀποφώλιον malo: præsertim quum iuxta etymum quod huic vocabulo tribuitur, aptissimè περὶ τοῦ βρέφους dicatur.

V.τῶν Λαβ.] Legitur etiam πρότερον.

P.13.v.μέρος] Libri vet. ex quibus περιορᾷ pro ὑφορᾷ repositum fuit, habebant etiã ἔχει. Sed minus necesse fuit hoc in loco eos sequi quàm in illo. quoniã & μετέχειν μέρος interdũ dicitur, at περιορᾶν τινὰ ἀπολειπόμενον (vel cum alio participio infinitiui vsum præstante) potius quàm ὑφορᾶν dicitur.

P.14.v.λαβεῖν] Rectius scripseris Ναυσίθοον.

V.εἰσαμ.] Pro Σκίρωνος legitur Σκίρου.

P.15.v.Μίνως] Quum Θησεὺς nominatiuũ esse cõstet verbi ἀπεκρίνατο, non dubitarim ita hunc locũ reponere, τούτῳ μὲν ἀπεκρίνατο πρᾴως ὁ Θησεύς. & paulo pòst, αὐτὸς δὲ ναυπηγίαν ἐπεβάλλετο.

V.λόμενος] In quodam exempl. ita scriptum erat, λανθάνειν, συμπλεῖν πείσας. καὶ γενομένων ἑτοίμων &c.

P.16.v.κομισθ.] Legitur etiam Αἰνάρου.

V.ὡς ἴπος] Scriptum est etiam ἄδηλον: sed rectius ἔχουσι,

P.17.v.τῇ Ἀρ.] In quodam exēplari ἀνδριαντας.

V.Κυρίνθῳ] Pro ἐξόδων magis placuit διεξόδων, vt in vet.

V.ἐχθρ.] Pro κερατῶντα affertur κερατῶντα: quam lectionem nihilo magis admitto, sed eam tamē germanæ lectionis habere vestigia puto: quam esse dico κερατουῶντα. Mihi enim fit verisimile κερατουῶντα βωμὸν (cornibus frequentē aram, vt dixit Martialis) eodē modo dictum fuisse ἀπὸ τῶν κεράτων, quo κερασουῶντα vrbē ἀπὸ τῶ κεράτων: id est, eadē paronomasiæ forma. ita enim loquuntur grammatici, κερασουῶντα παρωνομάζεσθαι ἀπὸ τῶν κεράσων. Aptius autē esse συνηρμοσμένον quàm συνηρμοσμένων, manifestum est.

P.18.v. Εἶρεσ.] Rectius scribetur φέρει. vt legitur apud Clementem Alexandrinū, Eustathiū, Suidā, qui hos versus afferunt, vt Xylander indicauit. Afferuntur & ab enarratore Aristophanis, qui itidē habet φέρει. Sed quum cæteri legant Καὶ μέλι ἐν κοτύλῃ, vt hic scriptum est: Eustathius (vel potius Pausanias apud Eustathium) legit, Καὶ μέλιτος κοτύλην: itē ἐπικρήσασθαι pro ἀναψήσασθαι, quod verbū Clemens agnoscit: at schol. Aristoph. pro eo scribit ὑποψήσασθαι: perperam, vt opinor: quanuis Varinus in hac lectione sequi eū maluerit. Quinetiam ἀνεψήσασθαι, quod in alio eiusdem enarratoris loco habemus, licet & ipsum mendosum, illud ἀναψήσασθαι cōfirmat. In tertio autē versu rectius scribemus ὅπως ex Suida, quā vel ἵνα (vt Eustath. habet) vel ὡς ἄν, vt hic & apud schol. illum scriptum est. Idē vno in loco καθεύδῃ legit, in alteró καθεύδῃς, sicut & Suidas. quā lectionē alteri præfero: licet apud Eustath. sicut & hic, extanti. Durè enim ipsa εἰρεσιώνη dici videtur μεθύουσα καθεύδειν. Sed legendo καθεύδῃς, fuerit ἀποστροφή. Hoc quoq; sciendū est, κύλικα ζωρὰν apud Eustath. scriptū esse, non κύλικ᾽ ἀζωρὰν. vtrouis autē modo legatur, mendū in quātitate syllabica erit. hanc enim lectionē sequēdo, malè producetur υ in illo substantiuo: at illā si sequamur, malè in eodē produci α necesse erit. Verùm in huiusmodi versibus talia ad seuerum examen vocanda non sunt.

P.20.v.Βουλ.] Vel ποντοπορεύοις, vel ποντοπορεύοι in tertia persona scribēdū potius fuisse videtur.

P.21.v.ἐν νεῶν] Magis placet altera lectio Ἀθηναίους.

V.τὴν συγ.] Legitur etiam Κανάθης καὶ Ἡνιόχου.

P.22.v.οὐ καὶ] Rectè Ἑρμοῦ repositum fuit pro Ἑρμου. alioqui enim non rectè dixisset Plutarchus illos secūdā syllabā circūflectere.

P.23.v.Θησεὺς] Ex vet. codicum consensu φόβῳ pro Φοίβῳ reposui, leui scripturæ mutatione, sed magna quod ad significationem attinet. Rectè autem & Cruserius hāc lectionem sequutus non vertit, Quum sacrificasset Apollini, sed Quum sacrificasset Pauori. Solebant enim veteres iis quæ sibi aduersabātur, & remorabantur quominus rem aliquā aggrederetur, sacrificare. ideóque hic quum metu ab aggredienda re ista deterreretur, illi sacrificandum putauit. Sic Xenophon in suæ ἀναβάσεως libris σφαγιάζεται ποταμῷ, necnon ἀνέμῳ.

P.25.V.ἐν τραχ.] Legitur etiam ἀστείους: quod admitti non posse existimo. At verò cum πίστεις Θηβαίους fecisse dicetur quòd non inuitis Thebanis, sed cum bona eorum venia fecerit. qui participū

πείσας vſus eſt frequentiſsimus. Sic dicit Xenophon ἀναβ. lib. 2, pag. 162, meæ editionis, εἰ δὲ πείσας βούλεται λαβεῖν. Videntur tamen poſteriores interpretes legiſſe σπείσας καὶ σπεισάμενος. Vnus enim vertit, Datis acceptiſq; hinc inde induciis. Alter, Mutuo fœdere icto. Sed talis geminationis vocabuli illius & ita diſtinctæ in actiua & media voce ſignificationis exemplum deſidero.

V. Ἐλθ. σ.] Planè contrariã ſententiam habet altera hæc lectio, καὶ μαρτυροῦσι ταῖς Εὐριπίδου τραγῳδίαις. Sonant enim hæc verba, Suo teſtimonio aſſentiuntur Euripidis tragœdiæ. Sed ab altera lectione non diſcedendum eſſe cenſeo.

P.27. v. χρόνῳ] Reponendum Πετεώ, ex vet. etiam codicis autoritate.

V. περγαμ.] Legitur etiam τῶν κατεργασμένων.

V. καὶ δημος] Rectius ſcribetur ὁ δή τινι coniunctim.

P.28. v. Ἀθήνας] Pro hoc accuſatiuo non dubium eſt quin reponi debeat accuſatiuus Ἀφίδνας.

P.33. v. Αἰμυλ.] Legitur etiam Λαβινίαν pro Αἰμυλίαν.

P.38. v. ἀρχαῖς] Lubentius legerim ὑπονοίᾳ: vt infrà dicit, ἔτυχεν ὑπονοίᾳ τοῦ ὄντος.

P.50. v. Ταρπ.] Malim, οὐχὶ δὲ Ταρπηΐα.

P.56. v. καὶ μίμ.] Reponendum puto, τοῦ τότε δρόμου.

P.57. v. κλειδῶν] Sunt qui κλειδῶν pro παίδων perperam ſcriptũ eſſe exiſtiment: nullius tamen veteris codicis (quod ſciam) autoritate nititur hæc emendatio.

P.61. v. ἄρχοντα] Non dubitem hîc reponere ἄρχοντα τοῖς Ἀλβανοῖς. quam lectionem & interpretes ſequuti ſunt.

P.63. v. δυνατ.] Ex vet. cod. addidi ἐξετάζειν.

V. τοῦ βασ.] Addidi participium παρατιθεμένων ex vet. cod.

P.64. v. ερν] Lubenter repoſuerim ἐχομένους. Erit autem ἐχομένους τῆς ἀσφαλείας, quod vulgò dicimus, *Nous tenans au plus ſeur.*

P.67. v. μάχῃ] Adductus ex vet. fuit hic datiuus.

P.68. v. ζητεῖν] Ita vet. cod. non ποιεῖν. Legitur tamen πολλὴν ποιεῖ διαφορὰν in fine huius vitæ.

P.71. v. λικὸν] Scripſiſſe Plutarchum credo, φιλικὸν μὲν οὐδὲν οὐδὲ κοινωνικόν.

P.73. v. δὲ Εὐτ.] Legitur etiam Περικλέους.

P. 74. v. λέγεται] Scribendum videtur ὡς λέγεται.

P.75. v. εἰ δ'] In quodam vet. eſt προθύμως, non ἑτοίμως.

P.77. v. λης τῆς] Legitur etiam παρατάξεως pro πράξεως. ſed rectè τῆς πράξεως συνισταμένης hîc ſcriptum eſt, vt paulo antè habetur, συνιστὰς ἐπὶ τὴν πρᾶξιν.

P.78. v. ξαι] Melius fortaſſe cum κατανοῆσαι conueniret διελεῖν.

P.80. v. κανικὴν] Legitur etiam τῆς Σπάρτης.

V. λόγως] Inuenitur & ὤετο.

P.81. v. πικρυς] In quodam ſcriptum eſt προεῖλθεν: quod magis probo.

P.82. v. ερδ] Pro περιϊσχομένου non dubitarim reponere περιεχομένου. at προσκόπτοντος non video in quod vocabulum mutari poſsit. Extat autem apud Athenæum eiuſdem autoris (nimirum Critiæ, quem hîc citat Plutarchus) idem locus, ſed paulo alia habẽs verba, lib. 11.

P.83. v. θαλμὸν] Inuenitur & alia ſcriptura ἐξέκοψεν: quam malo. ſic enim apud Ariſtophanem legitur in Acharnẽſ. ἐκκόψειέ γε τὸν σόν. videlicet ὀφθαλμόν. Apud

eundem habemus, ἐξεκόπην τὸν ὀφθαλμὸν, in Nubibus, circa principium: Εἶθ' ἐξεκόπην πρὸς τίνος τὸν ὀφθαλμὸν λίθῳ. Sic & apud Demosthenem Pro cor. ὀφθαλμὸν ἐκκεκομμένος ὁ Φίλιππος. Sic & apud Lucianũ, ἐκκεκομμένος τὸν ὀφθαλμόν. Sic denique in alio ipsius Plutarchi loco, qui est in Poplicola, ἐκκοπεὶς ὀμμάτων θάτερον.

P.84.v.θηρ.] Rectius scribetur ἔπεμπεν, quod conueniet cum præcedente ἔφερε. Pro ἐφώσφε autem Lapus existimatur legisse ὀψίσφε.

V.κοῖν] In quodam cod. ἰσοθεΐας.

P.85.v.ἀπολ.] Rectius fortasse κιγχλίζεσθαι. At κιγκλίζεσθαι longè aliud significaret, sequẽdo ea quæ de actiua huius verbi voce Hesychius & Eustathius scribũt. Apud quos, sicut & apud Suidam, habemus etiam κιγκλισόμεθα. Pro illo autem κάδδος inuenitur scriptum & κάδιχος. quod apud Hesychium extat. Quinetiam καταχωσμένους legitur pro καταπεπαγμένους.

V.ἀκμὴν] Scriptum est etiam ἐμποιεῖ τοῖς νέοις.

P.86.v.οὗτοι] Repone πρῶτος, ex vet. cod.

P.88. v. δύνασθαι] Rectius fortasse σιβάδος.

P.89.v.τε σώμ.] Est & alia lectio, καινῶς καὶ προσφάτως. sed nostra præstat.

V.πίλους] Reponendum censeo αἰδῶ pro αἰδῶ: quæ, scripturæ paruam, significationis magnam differentiam habent. Quod enim in vulg. lex. Græcol. scribitur, αἰδῶ dici pro αἰδῶ, omnino (sicut alia innumera) falsum est. Nam αἰδῶ pro αἰσχύνῃ ponitur. Facere autem aliquid αἰδῶ siue αἰσχυμένως contrarium est ei quod dixit paulo antè μετ' ἀκολασίας. Quũ igitur concessæ illis non essent αἱ αἰδῶ κοινωνίαι, oportebat eos μετ' ἀκολασίας φοιτᾶν πρὸς τὰς νύμφας. Neque verò quod sequitur περὶ τῆς αἰδοῦς καὶ τάξεως, lectioni isti refragatur.

P.92.v.τα, τοῦ] Legitur etiam τὸ δ' αὐτὸ τοῦτο καὶ καλῶς &c.

P.93.v.ἂν πολ.] Reponi debet ὀρθίας ex quibusdã ipsius Plutarchi & aliorum locis.

V.καὶ σωύτ.] Præcedentes hanc editiones habent πλημμελῶς ἐπιμελόμενος, nullo sensu.

P.95.v.αἰθρ.] Legitur etiam κόπτοντος: quod malo, vt significetur Obtundente. Sic enim hoc ipso participio cum eodem datiuo vsus est hic scriptor in Phocione, καὶ κόπτοντος αὐτὸν νεανίσκου ἐρωτήμασι πολλοῖς.

P.96.v.ἀμωσγ.] Aptius scribetur ἔχει.

P.97.v.τῶν πολ.] Pro παρόντων legitur etiam ὀρώντων.

P.99.v.ἀφθ.] Malim ἀφθονία. vt sit ἀφθονία ἔν τι τῶν καλῶν ᾖ.

V.σμὸν] Pro ἀδολεσχίαν repone ἀσχολίαν ex vet. codicum consensu.

P.100. v.πόλις] Hoc Πεισιστρατίδας ex vet. cod. repositum fuit pro Πολυστρατίδας.

P.104.v.σον] In quodam exemplari post κίνδυνον scriptum est, ἐν μὲν οὖν τούτοις οὐδὲν ἔστιν ἀδικίας ἴχνος. οὐ γὰρ ἔγωγε &c. habentur autem hæc verba quæ sunt inter κίνδυνον & οὐ γὰρ, non multo antè.

P.105.v.θαι] Rectius scribetur διαμφιεῖν.

P.108.ὁσιωτ.] Scriptum est etiã θεοτάτῳ. Vicissim autẽ infrà pro θείου legitur ὁσίου.

P.109.v. νέσθαι] Legitur etiam συνδιακοσμῆσαι τὴν πολιτείαν. Fortassis autem alter accusatiuus ex proximè præcedente versu ir-

repſcrit:qui tamen tolerari etiam poteſt.

V.ὀλυμπ.]Rectius ſcribetur ὀλυμπονικῶν.

V.ϛον] Legitur in quibuſdam, περὶ τὸν ἀέρα ταραχῆς.

P.111.v.λέας] Eſt & alia lectio, μεσοβασίλειον.quod nomen formā adiectiui habet,perinde acſi cum σχῆμα iungeretur.ſed altera lectio magis placet.

V.παχθῶς] Datiuus ὑπονοίαις pro ἀπονοίαις ex vet.cod.repoſitus fuit.

V.δεικν.] Pro Πομπίλιον legitur & Πόμπιον.

V.σι Σαβ.] Itidem hîc pro Πομπωνίου ſcriptum eſt Πομπίου.

P.113.v.μάζειν] Pro θείου legitur ὁσίου: ſicut viciſsim pag. 108, θειοτάτῳ pro ὁσιωτάτῳ ſcriptum eſſe dixi.

V.οὗ δὴ] Scribendum videtur περὶ οὗ.

P.114.μετας.] Rectius ſcribetur ἐν ἡσυχίᾳ.

V.ὁμοτ.] In quodam exempl. καίτοι Ῥωμύλον &c.

P.115.v.καὶ τάχ.] Eſt & alia lectio,αὖθις δὲ καὶ,pro οὗτοι καί.

P.116.v. μάζουσαν] Scriptum etiam eſt, τούτοις προσεπιλέγεται σημεῖά τε &c.

V.τῷ]In aliis βασιλικῶν ἐπισήμων.

V.ἀρχὴν] Ex vet.additū fuit δορυφόρον: quod abeſſe tamē poteſt.

P. 117. v. διέλυσεν] Legitur & διέστησεν pro hoc διέλυσεν.

V.ἀνακηρ.] Scriptum etiam eſt οἱ τρεῖς βασιλεῖς. Et ſtatim pòſt, καὶ τὸν ὑπηρετοῦντα παῖδα τῷ ἱερῷ τοῦ Διὸς,λέγεσθαι κάμιλλον.

P.118. v. ὑπερεπ.] Legitur & ὑποφλῦαι, quod magis conuenire videtur.

V.οἷον]Pro νέαι nō dubito quin ἐνεαὶ ſiue ἐννεαὶ reponi debeat:præſertim quum meminerim loci cuiuſdam Xenophontis in quo eundem errorem, primùm ex coniectura,deinde & ex veterum codicum autoritate emendaui.Is extat ἀναβ.lib. 4, pag. 196, meæ editionis, κατελάμβανον καὶ ἐκείνους σκηνοῦντας, ἐστεφανωμένους τοῦ ξηροῦ χιλοῦ στεφάνους, καὶ διακονοῦντας Ἀρμενίους παῖδας σὺν ταῖς βαρβαρικαῖς στολαῖς. τοῖς δὲ παισὶν ἐδείκνυσαν ὥσπερ ἐνεοῖς ὅ,τι δέοι ποιεῖν. Si quidem quemadmodū in illo Plutarchi loco νέαι pro ἐνεαὶ legitur, ita in iſto Xenophontis νέοις pro ἐνεοῖς habent cùm aliæ editiones quæ meam præceſſerunt , tum verò Aldina & Florentina. Neque hunc tantum errorem animaduertit Romul⁹ Amaſæus, (ideò,vt opinor,quòd vox ἐνεοῖς tam rara ſit vt non facilè cuiuis in memoriam venire poſsit ) quippe qui ita locum illum reddiderit, Illic etiam milites ſub pellibus offenderunt fœno aut ſtipula coronatos:quibus Armenii pueri,barbaricis amicti ſtolis,miniſtrabant.illis Græci,tāquam adoleſcentibus , quid facto opus eſſet monſtrabant. Quum debuiſſet vertere , Tanquam ſurdis. Nec dubito quin ante monſtratam lectionem illam germanam tantum torſerit pleroſque hic locus quanta eſt inter hæc duo vocabula,adoleſcentibus & ſurdis, differentia. Quum tamen illam lectionem nactus eſſet vetus interpres Gallicus,( vel potius is qui illi in iſta interpretatione præibat) ne ipſe quidem fideliter locum iſtum reddidit. hæc enim ſunt eius verba , *Pource qu'ils eſtoyent eſbahis & eſtonnez*. Nam ſignificationem quidē quæ hîc datur nomini ἐνεοῖς teſtimonio Suidæ(quanuis alioqui vox ἐξεστηκὼς,qua inter alias vtitur ad exponendum ἐνεὸς, aliquid

amplius

amplius quàm illæ Gallicæ voces ſignificet ) confirmari poſſe, fateor: ſed eam vllo modo huic loco conuenire nego. Cur enim quis apud homines ἐξεστηκότας non voce ſed ſignis vtatur? Contrà verò manuum geſtu aut quibuſlibet aliis ſignis quid facto eſſet opus, merito oſtendebant, quoniã quum linguã Græcam illi non callerent, perinde erat ac ſi Græci ſurdis loquuti fuiſſent. Nõ calluiſſe autem eos linguam Græcam, ideóq; intelligere non potuiſſe ſiquid hi dixiſſent, liquet ex iis quæ mox ſequuntur verbis, αἰσθομένων διὰ τοῦ πεοσίζοντος ἑρμηνέως. Ideo autẽ paulo longior in diſſerẽdo de hoc loco fui, quòd Hermogenes quoque aliam neſcio quam vocabulo ἐννεοῖς ſignificationem dare videatur. quippe qui ἀφέλειαν ineſſe ſtylo Xenophontis docens, ita ſcribat, τοιοῦτος δὲ ὁ Ξενοφῶν κἀν τοῖς ἱστορικοῖς οἷος κἀν τοῖς ἄλλοις. οἷον, ὅτι χιλὸν ἐστέψαντο, ὅταν λέγῃ, καὶ ὅτι τοῖς παισὶν ὡς ἐννεοῖς διαλέγονται, καὶ ὅτι πίνειν &c. Si enim ἐννεοὺς ſignificare ſurdos voluiſſet, cur διαλέγονται ὡς ἐννεοῖς dixiſſet, perinde ac ſi à Xenoph. tale quid dictum eſſet, aut etiam tale quid dici poſſet? Sed quid quũ ita ſcriberet, cogitarit Hermogenes, aliis cogitandum relinquo. Obiter autem & hoc addo, operæpretium eſſe conſiderare in hac locorũ Plutarchi & Xenophontis collatione, quomodo ſæpe apud autores vocabulis quorum rarus aut ſaltem non vulgaris eſt vſus, idcóque ſignificationem paucis notam habent, vſuueniſſe veriſimile ſit vt in alia, vicina quidẽ quod ad ſcripturam attinet, ſed ſignificationẽ longè remotam habentia, mutarẽtur. Sed hac de re plura in meo de mendorum origine libro. Vt autẽ ad Plutarchi locum redeam, quin & hîc pro νέας reponendum ſit ἐνεαὶ ſiue ἐννεαὶ, minimè dubito (vti ſuprà dixi) ſed an tacitam interpretari potuerit ἐνεαὶ, dubitare me fateor. Aliud enim eſt tacita quàm muta: quod etiam ſignificatur voce illa interdum. quin & de mutis pariter ac ſurdis dicta fuit.

V. φον] Locum habere hîc videtur accuſatiuus Ῥωμαίους, potius quàm datiuus Ῥωμαίοις.

P. 120. v. γητοδ] In aliis, τάξιν εἴληχεν, οὐ μόνον &c.

V. ἀπὸ τοῦ] Legitur etiam ἡλίου φῶς καὶ φλόγα.

P. 121. v. λάβῃ] Hoc αὐγαὶ repoſitum fuit pro αὐταῖς: & ita magnũ mendum leui mutatione ſublatũ. In verſu autem proximè ſequenti pro πεὸς legitur etiam πεεί: & aliquanto pòſt λαβούσης.

V. δὲ πεο.] Scriptũ eſt & πεοάγουσαι. vt pag. 116, πεοῆγον εἰς τὴν Ῥώμην. Pro quo perperam antea legebatur πεοσῆγον.

P. 122. v. αὐτος] In quodam codice ἐξοσιουμένων. Sed altera lectio magis mihi placet, exponenti tamen hunc locum ſecus quàm interpretes. quorum vnus ( de duobus poſterioribus loquor) ita vertit, Quaſi corpus abominentur maximis conſecratum ceremoniis, fame conficere. Alter hoc modo, Tãquam nefas putent fore ſi corpus ſummis cõſecratum ſacrimoniis, fame pereat. Lapus autẽ ante illos ita locũ hũc reddiderat, Quaſi caueat ipſa domus ne fame eius corpus intereat quæ maximis expiationibus dedicata ſit. At ego hunc locum (cuius alioqui difficilem Latino ſermone interpretationem eſſe fateor) ita potius reddẽdum exiſtimo, Perinde ac ſi in ſemetipſos religionem non recipiant, vtpote non conficientes fa-

me corpus. vel, Perinde acsi religio sibi nõ iniiciatur. vel, Perinde acsi religione se non obstringant. His enim loquẽdi generibus hac in re Liuius vtitur, ni fallor. Quin etiã Exoluere religione, ab eodem plerũq; dici scio: & vulgò ἀφοσιοῦσθαι reddi, Religione animum soluo. Verum si ita vertam, Perinde acsi religione se exoluerẽt, hoc diceretur tanquam de iis qui iam religione se obstrinxerint, seu obligarint. vt apud eundem illum historicum legimus, Exoluamus religione populũ, siquia obligauimus. Fateor alioqui Plutarchum nouã quandam huic verbo ἀφοσιουμένων constructionem dare: adeò vt aliquãdo crediderim eum scripsisse τῷ. vt ἀφοσιουμένων τῷ μὴ διαφθείρειν esset pro διὰ τοῦ μὴ διαφθείρειν. verum tunc ἀφοσιουμένων aliter interpretandum esset: neq; illud verum comperiretur, μὴ διαφθείρειν λιμῷ. Quod verò ad illam interpretum expositionẽ attinet, magis etiã nouè Plutarchus in illa significatione negatiuã particulã addidisset. quamuis enim cum verbis quibusdã πλεονάζειν hanc particulam sciamus, non tamen cum quolibet vsitatũ fuisse eius pleonasmum putandũ est. Cæterum quin reponi debeat καθιερωμένων, minimè dubium est. Alioqui scribendum potius esset, τῇ τοῖς μεγίσταις καθιερωμένων ἁγιστείαις. Hoc autẽ nomẽ ἁγιστείαις (vt obiter & de hoc dicam) ex Cæsare & Liuio verti posset Religionibus, nisi hæc ipsa religionis appellatio præcedentis verbi interpretationi adhiberetur in alia quidem certè significatione.

V. ταῖ] Legitur etiam ἱερέων.

P. 123. v. νοῦς] Mirum est pro Ἀσίδναν non in vno exemplari sed in pluribus scriptũ esse Δισίδναν: quũ infiniti autorũ loci de illo vocabulo nos dubitare non sinant.

V. μιῶας] Pro διώδεκα legitur etiam δέκα. quæ lectio reponenda est: quoniam tum ex iis quæ sequuntur, tum verò ex aliorum scriptorum testimoniis cõfirmari potest.

V. τοῖ] Legitur etiam καταδείξαντος.

P. 125. v. φύλ.] Scriptum est & κατέστησε pro ἀπέδειξε.

V. κος] Post Σαλίους habetur προσώπου in aliquot exẽpl. sed si non addatur, subaudiendum fuerit.

P. 126. v. λήλας] Pro ἀγῶνα legitur etiam ἀγκῶνα: nec dubium est quin hoc vocabulum pro illo reponi debeat.

V. ἀς γδ] Legitur etiam ἐκ παραλόγου pro ἐκ παρόδου.

P. 127. v. κατακ.] Ex vet. cod. additus fuit hic genitiuus ἄλλων.

V. μαχαίρα] Legitur & σαλπίζειν: sed altera lectio multos testes habet.

V. μὲν οὖν] Deerat hîc quoque genitiuus, γῆς videlicet.

P. 128. v. καὶ νομ.] Est & alia lectio, ἄτοπον: sed ἄπιστον magis huic loco quadrat.

V. κάσθε] Inuenitur etiam scriptum περὶ τὸ θεῖον.

V. θερμὸν] Post κρομμύων aptè ponetur interrogationis nota, itidémque post θριξίν.

P. 130. v. τεχάσι] Non dubium est quin ὑπεξελομένου scribi debeat, quum ad ipsum Numam referatur.

V. vlt.] Pro οὐρανὸν scriptum inuenitur & ἐνιαυτόν.

P. 131. v. τὴν] Legitur etiam ἀρχαιοτάτην

P. 132. v. ἀκμ.] Pro ἀνοίγουσα reposui ἀνοίγοντα καὶ ἀνακαλύπτοντα, ex vet. codicibus.

V. ἑαυτὸν] Lubenter assentior

iis qui Ἥρας hic pro ὥρας reponendum esse censent.

P.133.v.στ) Malim αἴθω absque δὲ: pro quo αἴθω perperam in præcedentibus editionibus scriptum est ἴνθα. Sunt hi versus Bacchylidis, teste Stobæo, in capite De pace.

P.135.v.θάπῖον) Ante περὶ particula quæpiam desiderari videri possit: aut certè pro μὲν legēdum esse μὲν οὖν. verum & alios obseruaui apud hunc scriptorem locos, & quidem in hoc ipso opere, vbi eadem sermonis forma vtitur.

P.136.v.τοῖς) Pro τὰς ἱερὰς κύρβεις, reposui τὰς ἱερὰς βίβλους, quædam ex nostris exempl. sequutus. Neque verò quòd præcedat hoc ipsum vocabulum κύρβεις, ideo fuisse & hîc retinendam istam lectionem putādum est: quoniam illic κύρβεις tribuit Græcorum legislatoribus: at hîc de illis non loquitur. Adde quòd masculino genere illic effert istud nomen, hîc fœminino: qua mutatione illum in tam vicinis vsurum fuisse minimè credibile est. Alioqui quod ad nominis huius attinet genus, ex meo Thesauro Græcæ linguæ disces, Aristophanem, Apollodorum, Aristotelem, Pollucem, Harpocrationem, & alios quosdam masculino genere dicere τοὺς κύρβεις, at Suidam & scholiastem Aristophanis τὰς κύρβεις. Verùm vtriusque istorum testimonium pro vnico habendum fuerit, quum vnum ex altero sumpsisse plurimis ex locis manifestum sit. Sed de his vocibus ἄξονες & κύρβεις dicam & infrà, afferens quæ margini vnius exemplaris harum vitarum adscripta inueni.

V.χαιρῷ) In quodam κοινῷ: necnon ἐπεξεργασμένων.

V.χατόπιν) Lectioni quæ in textu habetur alteram hanc præfero, μείζων ἂν ὁ χατόπιν ἢ μετὰ πλούτου ἔπαινος.

P.137.v.ἐν δὲ) Legitur etiā κάλλιστα pro μάλιστα.

V.κινοῦσαν) Pro simplici ἐποίησε repositū fuit compositum ἐνεποίησε ex vet.cod. Idem autem error & in aliis locis emendatus fuit.

V.ἐπέχει) Malim scribere, αὐτὸς αὐτὸν, vt in quodam ex vet. legitur. hoc enim significātius dicitur, vtpote vim addente orationi prio re illo pronomine. Legitur autē & ἐπέχειν pro ἐπέχει: sed quæ iniri huius lectionis ratio possit, non video. At αὐτῷ illic & αὐτὸν, pro ἑαυτῷ & ἑαυτὸν scribendum fuisse, (vt in mea editione repositum fuit) manifestum est.

V.δύπερ) Pro ἁρμονικοὶ scripsi ἁμίλλαν ex vet. codicum consensu: illam tamen lectionem non omnino repudiandam censeo.

V.ἐκλελ.) Particulæ καὶ δὴ, in quibusdā cod. præfixæ sunt his verbis, περὶ τῆς Σπάρτης. quarum vocularum aliquod est pondus.

V.ὁ δὲ) Hic duorum alterum nobis eligendum est, vt vel γὰρ tollamus post μὲν, vel ἐπεὶ quod paulo antè habetur, nō tollamus quidem sed pro superuacaneo habeamus, sequendo ea quæ in principio harum annotationum à me dicta de illo vocabulo fuerūt. Nemo enim non videat, orationis cursum liberum (vt ita loquar) non fore, nisi hæc verba, ἡ μὲν χαλεπότης πρόσεστιν, ferantur ad illa ἐπεὶ ἐπέτεινε.

P.138.v.τελῶν) Pro ἀπολαύσεις legitur etiam ἀπαρχάς.

V.μᾶλλον) Antea legebatur, εἰ μὴ διὰ τὴν ὑποκειμένην &c. Quod autem in quodā exempl. scriptum est εἰ μὴ τὴν δία τὴν, sine præpositione πρὸς, admitti non potest.

P.139.v.μαπσμὸν] Legitur etiã κατίϛησιν αἰωμαλίαν.

V.ὁ ᾗ τ͂] Inter Λυκοῦργον & ποιεῖ interiecta sunt παρενθετικῶς hæc duo verba ἐμοὶ δοκεῖν.

V.δὲ πεί] Reposui τεκνώσεις pro τεκνοσοφίας, quod omnes nostri codices in illa lectione consentirent: alioqui ne hanc quidem reiicio, præsertim quũ hoc ipsum vocabulũ paulo pòst, in vltimo videlicet huius paginæ versu, habeatur.

P.140.v.θησμῶν] Legitur etiam εἰς ταῦτα. verum si huic pronomini ταῦτα præpositio ista præfigeretur, itidem sequens pronomẽ ἐκεῖνα illã sibi præfigi postularet. Neutri autem loco conuenire hanc existimo. sed pro ἐθησμῶν reponendũ arbitror ἐθισμάτων, vt hæc pronomina ταῦτα & ἐκεῖνα cum illo cõuenire possint. Hoc etiam addo, lectorem interpunctionis nota post ταῦτα μὲν, iuuari potuisse.

V.κος] Antea legebatur ἱεροσῦσι, non λοιδορῦσι. quod accipi potest pro λοιδορεῦντες ἱεροῦσι.

V.πτέρυγες] Legitur etiam συνεῤῥαμμένας: item πεπλεγμένων.

P.141.v.σις] Reposui εἰς θεοῦ, pro εἰς θεοὺς, ex vet. codicum autoritate. nec dubito quin lectio illa pro hac reponi debeat: vt εἰς θεοῦ dicatur pro εἰς Ἀπόλλωνος, vtendo nimirum ellipsi Attica quæ cum hac præpositione vsitata Græcis est, & ad Latinos quoque transiit. Interpretes tamen θεοὺς retinentes, verterunt, Deos consuluisse. Non dubium est equidem quin εἰς θεοῦ mutatum fuerit in εἰς θεοὺς ab aliquo cui Atticum illud genus loquendi ἐλλειπτικὸν ignotum esset.

V.τος] Reponendũ censeo μᾶλλον ἢ ἢ μίσους. Sic alibi obseruaui verbum illud substantiuum sequẽte hac particula omissum. Paulo pòst ἀναφέρειν visum est aptius quàm ἐπιφέρειν, imò verò hoc ἐπιφέρειν nullo modo ferri posse existimaui: at ἀναφέρειν rarò quidem, sed aliquando tamẽ, talem significationem habet.

P.142.v.πεοαμ.] Pro φόβου legitur etiam φόβῳ. quæ lectio (meo quidem iudicio) in illius locum substituenda fuerit.

P.143.v.σωτηρία] In quibusdã cod. hæc ita leguntur, σωτηρία καὶ εἰρήνη τῇ μετὰ δικαιοσύνης καὶ αὐταρκείας. In qua lectione mihi placet potissimum datiuus εἰρήνῃ.

V.σοφία] Antea legebatur συναγόμενον: quod mutandum saltem fuisset in συναγαγόμενον, vt cũ συναρμόσαντα conuenire posset.

P.144.v.φῆ πρὸς] In quodam exempl. est Ἀμφικλέους.

P.145.v.ἐκ τε] Non aliter scripsisse Plutarchum existimo: vt videlicet κὴ νόμον ἔγραψε accipiatur pro κὴ ἐκ τῦ νόμου ὃν ἔγραψε. Sic enim & alibi hanc orationis structuram apud eũ inuenisse mihi videor.

P.146.v.τῆς ἀρ] Scriptum est etiam ἔμπεδον ἀεί.

V.παίζων] Vel ὡς ante ἔοικε expungendum, vel προσχήσασθαι in προσεχήσατο mutandum fuerit.

P.148.v. Σόλωνα] Legitur etiã καταχεῖν. Et ἀφέ..ξειν pro ἐφέξειν: sed hoc magis mihi placet.

P.149.v.ὡς δῆτ.] Pro ὡς inuenitur & ὅ. In proxime autem sequenti versu, hæc verba, ἤκουσα, φαίαις, πεποίωμαι, τ ἄνθρωπον, ita interpungenda fuerunt, singulis hypostigmen postponendo, ne implicita hæc structura lectori impo neret: quum ἤκουσα, φαίαις, πεποίωμαι, τὸν ἄνθρωπον, dictum sit pro φαίαις τὸν ἄνθρωπον, ἤκουσα πεποίωμαι. Tantum abest autem vt huiusmodi collocatio verborum reprehendi debeat, vt potius tanquam

ex Atticis scriptoribus sumpta laudanda sit.

V.σιως]In quibusdam διαμαχομένους,non διαλεγομένους.

P.150.v.καὶ κωσιν] Scriptum est etiam ὑπ' ἐδωνῆς:& ἀποσώσωντες pro ἀποβαλόντες. Item paulo pòst παρέχεται, pro ἐπάγεται.

V.ἐκεῖ] Tres hic sunt lectiones, πεπαῦσθαι, πεφθέχθαι, & πεπεῖχθαι:sed hanc tertiam posse recipi solam arbitror.

P.152.v.δούσης] Hic locus legitur & ita, ἦς ἐγγὺς ἐλθούσης, καθεῖρξαι τοὺς Μεγαρεῖς τὸν Σόλωνα ταύτης κρατήσαντα ἐμβιβάσαι δὲ, &c.

V.προσφερομένοις]Scriptum est etiam προσαγομένοις.

P.153.v.δὲ Μεγ.] Legitur etiam βλέποντας pro ὁρῶντες, eodē sensu:sed mortuis tribuere τὸ βλέπειν, durum videri queat.Posit tamen id molliri huiusmodi interpretatione, Oculis ad Orientem versis.

V.κείνου]In quibusdam cod. ὡς ἄλλοι τε πολλοὶ μαρτυροῦσι.

P.154.v.μένους]Scribendum arbitror προσφαίνεσθαι.

V.τὰς δὲ ς.] Antea legebatur τὰς ἱερουργίας.

P.155 v.ναι] Vide an malis διαπεπαῦσθαι ταραχῆς, vt quidam cod. habent.

V.λιτ.]Necesse puto præpositionem εἰς nomini τοσαῦτα præfigere,vt in quibusdam cod. habetur.in quibus est etiam διαφωνοῦσης pro διαστάσεως.

V.δουλ.]Legitur etiam ἐπὶ τὴν ξένην.quæ lectio magis mihi probatur:quòd istam constructionem alibi quoque obseruarim. Dicuntur autem πεπρᾶσθαι ἐπὶ τὴν ξένην vel εἰς τὴν ξένην, etiamsi in ea non vendantur : quia nimirum venduntur ἀχθησόμενοι seu ἀπαχθησόμενοι εἰς τὴν ξένην.

P.158.v.γῆς] Antea legebatur πολλαχῆ,non πανταχῆ. Paulo pòst quidam ἐπανήγαγον pro ἀπήγαγον.

P.159.v.τῶ] Legitur etiam βούλεσθαι.

V.κατεῖ]Pro χρῆμα lubenter reposui χαῦνα, ex meorum exemplarium consensu : quòd legissem alibi apud Solonem, χαῦνον ἔχουσι νόον,in fine cuiusdam pentametri.

P.160.v.τριακ.] In quibusdam legitur διακοσίων.

V.αὐξῆσαι] Pro ἰσχὺν legitur etiam ἀρχήν.

V.νους]Antea legebatur κυρβεύοντας pro κυρβιόντας. Sed & pro hoc κυρβιόντας scriptum est in quibusdam κυρίους ὄντας.

V.vlt.] Pro accus. ἀξίωσιν legitur accusatiuus ἀξίωσιν in aliquot exempl. quem illi præfero. Quod enim dicit τῶν νόμων κυρβιόντας vel κυρίους ὄντας,ad ἀξίωσιν, non ad ἀξίωσιν,pertinet.

P.161.v.δωκε] Legitur etiam ita, πληγέντος ἑτέρου, καὶ βιασθέντος ἢ βλαβέντος,ἐξῆν &c.

V.vlt.] Vel articulus τῶν auferendus est, vel legendum τῶν νόμων. Sed addam obiter & quæ de voce ἄξων,quæ hic legitur, necnō de voce κύρβεις, margini cuiusdā exemplaris adscripta erant, quoniam earum mentio facta & antea fuit. Ἄξονες,ξύλα τετράγωνα ἦσαν εἰς οὓς οἱ νόμοι ἐγράφησαν περὶ τῆς τῶν διαφερόντων,ἤτοι δίκαιον, εὑρέσεως. καὶ ἐν τούτοις μὲν τοῖς ἄξοσιν οἱ πολιτικοὶ νόμοι ἐγράφοντο, οἱ δὲ στρατιωτικοὶ κατάλογοι ἐν τῷ κύρβεσιν. ὁ τρίγωνον ἦν ξύλον. Quidam tamē ἄξονας non distinxerunt ἀπὸ τῶν κύρβεων . atque adeò ipse Plutarchus in quodam huius vitæ loco, qui extat pag.167 , ἄξονας appellatos fuisse tradit κύρβεις, Aristo-

telis testimonio nitens. Sed cum locum postquam attulit scholiastes Aristophanis, addit, ἔνιοι δέ φασιν, ἰδίως ἐν οἷς ἱερὰ καὶ θυσίαι περιέχονται, κύρβεις, ἄξονας δὲ τοὺς ἄλλους ὀνομάζεσθαι. Sed in multis aliis nominib' vsuuenit vt tam leuis in significatione discriminis ratio à scriptoribus non habeatur, potiúsque grammaticis relinquatur.

P.163.v.λε) In quibusdam scriptum est μικροῦ τιμήματος.

P.164.v.κονόμων.) Antea legebatur γῆν pro πένθη.

P.165.v.μέγιστον) Magis placet βέλτιον, quod quædam exempl. habent.

V.χλον) Legitur & ἀξιώματα.

P.166.v.ὁ πλ.) Vocabulū istud πλέοντας in editionibus quæ hac priores sunt, aliter scriptum est, nimirum δέοντας, hoc modo, τῶν λοιπῶν γε δέοντας. Fortasse autem & in illo πλέοντας peccarunt librarii. Verùm & interpretes hic in eo peccarunt quòd vocem hāc (siue rectè scripta sit, siue aliquid in ea mutari debeat) non animaduerterunt esse vnam ex illis obsoletis quæ hic commemorantur, quin potius de voce γεωργοὺς intellexerunt quod de hac intelligendum erat. Vnus enim ita vertit, Reliquorum duorum, agriculturæ incumbentes, Georgos: qui pecuariam faciebant, AEgicoras. Alter hoc modo, Reliquas duas, alterā ab agricultura, Georgos: alteram à pecoribus pascendis, AEgicores dictos. Atqui articulus τῶν qui est ante γεωργοὺς, sicut ante διατρέφοντας, ostendit non vocabulum γεωργοὺς sed πλέοντας pro antiqua illa appellatione habendum esse. Alioqui enim quum ita loquutus sit Plutarchus, πλέοντας μὲν, τῶν γεωργοὺς, dicendum contrà fuisset, γεωργοὺς μὲν, τῶν πλέοντας. Sic enim & nominibus reliquis veteribus articulos non præfigit, sed iis per quæ illa exponit. Neque verò talē articulum hisce interpretibus, doctis alioqui (vt res ipsa ostendit) viris, imposuisse miror, quòd alios plerosque alibi in tali articuli vsu deceptos esse sciam. Quod etiam fecit vt eos qui hasce annotationes legent, huius rei admonendos esse putarem. Cæterùm & hoc dicendum de isto loco superest, non ὀνομάζεσθαι sed ὀνομάσαι in quibusdam vetustis exemplaribus legi, vt nimirum ad Solonem referatur. Possit quidem certè & ὀνομάζεσθαι ad eum referri, si cum ὀνομάζεσθαι subaudiamus ὑπ' αὐτοῦ: multo tamen verisimilius est ὀνομάσαι dixisse Plutarchum, si de Solone illud intellexit. Sed quia illum hæc vocabula altius ab antiquitate repetere arbitror, quū adiūgat τὸ πρότερον, lectionem quæ in textu habetur retinendam censeo.

P.167.v.ἐν ᾧ) Scriptum est in quodam τειχίῳ.

P.168. v.στον) Particulam γὰρ iis quas vides notulis inclusi, vt eam quodammodo à Solonis versu separarem, quum sit Plutarchi: aut saltem esse separandam docerem. Idem verò & alibi feci: vt pag. 169, Νῦν δέ [φησί] σὺ μὲν Σολίοισι πολλὸν χρόνον ἐνθάδ' ἀνάσσων.

V.τοῦ) Quæ hic extat lectio, τοὺς νόμους αὐτοὺς ἔπεσθαι συνήθεις, minimè mihi probatur: ac certè suspicor scripsisse Plutarchum, τῶν νόμους αὐτοῖς ἔπεσθαι συνήθεις. In quibusdam tamen exemplaribus nō pronominis sed nominis datiuus legitur, τοῖς νόμοις αὐτοὺς ἔπεσθαι συνήθεις. Sed quod ad sensum attinet, eōdem

redire res videtur.

P.170.v.ἀπολιπὼν] Ex vet.cod. additus fuit genitiuus τῆς ἀναγκαίας.

P.175.v. Αὐτὰ] Pro κὐξήσαντ' ἐρύματα, legitur etiam αὐξήσαντε ῥύματα. Quin & ῥύπα pro ῥύματα scriptum inuenitur. Afferuntur autem hi versus à Diogene quoq; necnon à quibusdā aliis.

P.177.v.τῆς βρ.] Pro δημοκρατίας legitur etiam ἐλευθερίας.

P.181.v.λοιπὸν] Ante ἔργον videtur tollendus esse articulus: præsertim quum τολοιπὸν scribi non posit, tanquam significans In posterum: sed necesse sit τολοιπὸν siue τὸ λοιπὸν (si quidē retineatur τὸ & ante ἔργον) significare Quod ad reliqua attinet, siue ad cætera. Sed ὑμέτερον τὸ λοιπὸν ἔργον multo aptior erit lectio.

P.183.v. ὁ ῥοῦς] Legitur etiam συνδεθέντα pro συνενεχθέντα.

P.185.v.ἐον.] Pro πομπῆς legitur etiam προπομπῆς.

P.186.v.μος] Valde diuersa vel potius omnino contraria est quorundam vet.codicum lectio, μικροπρεπεστέραν videlicet. Si enim erat μικροπρεπεστέρα, non μεγαλειοτέρα erat sed contrà μεγαλοπρεπεστέρα. Sed quæ sequuntur, lectionem quæ in textu est comprobant.

P.189.v.ὄντα] Editiones hac priores habent ῥώμη: pro quo datiuo reposui datiuum ῥώμῃ. quòd & magis sententiæ huius loci conuenire videatur, & datiuum illum ῥώμῃ ex præcedētibus verbis τὴν Ῥωμαίων πόλιν sumptum esse verisimile sit.

P.191.v.ὧν.] Ex vet.cod.additum fuit participium ἀπών: quod verbis proximè sequentibus confirmatur.

P.192.v.πολλῶν] Post πιστεύεται interpunctionis notam ponēdam censeo. neque enim πιστεύεται iungendum cum ἡμῖν, sed hoc pronomen ad λεκτέον pertinere existimo. Sic enim & alibi Plutarchus se in aliqua re narranda id sequi profitetur quod apud plures fidem impetrarit. Scio alioqui vnum ex interpretibus πιστεύεται iungere cum ἡμῖν interpretantem, Exponam eo modo quo maximè perpetratum credo.

P.197.v.τῆς ἄκραν] Legitur etiam περιϊππασαμένους.

P.198.v.καὶ περλ.] Rectius scribetur μονονού.

P.199.v.ἀδ.] Legitur etiā ἀδαίμονα τὸν Ποπλικόλαν ἄνδρα ποιεῖ.

P.203.v.γαν] Florentina editio τῆς δήμων, Aldina τῆς δῆμον habet: quæ lectio ambigua est inter hasce duas τῆς δήμων & τὸν δῆμον. Sed quum hæc lectio quæ accusatiuum habet, prima fronte longè melior videatur, ego contrà suspectā eam habeo. Alioqui multi apud Diogenem Laertium loci emendandi itidem forent. nam vt hîc legitur, Φρεαρρίου τῆς δήμων: sic apud illum in Platone, ἦν δὲ τῆς δήμων Κολλυτεύς. itidémque in principio vitæ Xenophōtis, Ξενοφῶν, Γρύλλου μὲν ἦν υἱὸς, Ἀθηναῖος, τῆς δήμων Ἀρχιεύς. Sic & de Socrate dicit, Ἀθηναῖος, τῆς δήμων ἀλωπεκῆθεν. Quinetiam in principio vitæ Speusippi, quum typographicæ editiones habeāt τοῦ μὲν δήμου Μυρρινούσιος ἦν, in plerisque vet.cod. est itidem ille genitiuus τῆς δήμων. Sic verò & in isto Plutarchi loco hæc ipsa lectio aliquot exemplarium autoritate cōfirmari potest. De hoc autem libenter lectores moneo vt discant verum esse quod alibi dixi, multa esse in Græcis pariter & Latinis scriptoribus (sed in illis tamen præsertim) quæ mirari

[CC].iiii.

potius quàm emendare oporteat. Non dubito certè quin in Aldina editione vbi legitur τῶν δῆμον, ille quidem articulus τῶν sit ex veteris codicis lectione, at δῆμον sit ex emendatione cuiuspiam, qui articulum quidem itidem in τὸν mutauerat, sed nimium incertæ typographicarũ operarum fidei emendationem illam commiserat.

P.204.v. οὐκ] Legitur etiam οἱ πολλοὶ παῖδες.

V. τῶν φυσ.] In quibusdam scriptum est τὴν τότε καλουμένην. quam lectionem alteri præfero.

P.206.v. τοὺς] Pro πόνους vet. aliquot cod. habent τόπους. quæ lectio contemnẽda non fuerit, sed in locum alterius substituenda fortasse. Neque enim πόνοι naturæ Themistoclis conuenire potuisse videntur, tali quidem certè qualem Plutarchus describit. Quinetiã obseruãdũ est, nõ dici simpliciter πόνους, sed addi τὸν συνήθεις.

V. ζει δὲ] Pro Αἰγινῆται legitur etiam νησιῶται.

P.207.v. ἐκ τῆς] Scriptum est etiam πόλιν αὖθις ἀνέστησαν.

V. λαχόμενον] Legitur & σύντονον pro εὔτονον.

P.208.v. λῆ περὶ] Pro ὥσπερ reponendum puto ὥστε. alioqui certè verbum aliquod deesse fatendum est, nimirum vel λέγεται, vel aliud huiusmodi.

P.209.v. ξεῖν] Rectius hoc quidem loco δι' ὅπερ scribetur disiunctim. non enim hic significare vult Quocirca, siue Quapropter: sed Ob quod factum: nimirum de eo quod proximè præcedentibus verbis cõmemorauit intelligens.

P.210.v. βιάζων] Additum fuit μάλιστα ex vet. cod.

V. μισῶν] Pro ὅτι repono ὅθι.

P.213.v. τοῦτο] Infinitiuus γενέσθαι sublatus fuit. antea enim legebatur, Θεμιστοκλέους γενέσθαι στρατήγημα ποιεῖται. At vet. cod. alterã illam lectionem habent sine infinitiuo: ac profectò γενέσθαι cum alio verbo quàm ποιεῖται iungi postulabat.

P.214.v. νίδων] In quibusdã est τετρακόσιαι.

V. χρησίοις] Rectius δι' ὃ, vt suprà de δι' ὅπερ dixi.

P.215.v. ὁ Θεμ.] Legitur etiam ἀπὸ τῶν τόπων.

V. γοργὸς] Scriptum est etiam τὸν Ξέρξην, eodem sensu. nam Πέρσην dicens, Persarum regem declarat.

V. ξάνθος] Vet. cod. non habent τέλος. legitur enim in illis, ἤδη καὶ αὖθις &c. Ac profectò non conuenit vocabulum τέλος (quod significaret hic Denique) cum αὖθις.

P:216.v. χρυσῷ] In quodam exempl. Σανδάκης: (quod nomen vna tantùm litera differt ab eo quod tribuitur reginæ AEthiopũ in Actis apost. vocatur enim Κανδάκη) itẽ Ἀρταΰκτου. pro quo fortasse scribendũ fuerit Ἀρταΰκτου: vt & apud Herodotum, Persæ cuiusdam est hoc nomen.

P.218.v. ναυμαχ.] Legitur etiã ἀπόδειξιν.

P.220.v. ὑμεῖς;] Iste locus hoc etiam modo scriptus est, τοῦ δ' υἱοῦ ἐντρυφῶντος τῆς μητρός. quæ lectio multo minus mihi placet. Sed pro ἐκείνην lubentius legerim ἐκείνης. vt dicat filium ἐντρυφᾶν τῇ μητρὶ, necnon τῷ πατρὶ διὰ τὴν μητέρα. Sed ἐντρυφᾶν hoc in loco paulo aliter vertendum cẽsuissem quàm ab interpretibus redditum sit. quum enim hic ἐντρυφᾶν dicitur, non tam ad insolentiam quàm ad iuuenilẽ, aut etiam puerilem quandam lasciuiam (quæ minus quiddam est) respici puto.

P.222.v. θηπον] Legitur etiam ἐπαγνέσω.

P.223.v.ἀυτοῦ]Pro καθαιρεῦντες scriptum est etiam κολούοντες: quod magis propriè hac de re dici videtur: frequentius quidem certè dici puto.

P.225.v.ζοι] Pro φυγῇ legitur etiam τύχη.

P.231.v.φόρον] Vel ὅτι tollendũ est, vt superuacaneum: vel participium ἂν in verbum ἦν mutãdum.

P.232.v.ὑπὲρ φ.] Pro Ἑλληνικοῖς legitur etiam πολεμικοῖς.

P.233.v.ἐμν]Νικόδημος pro Νικομήδης, & Νεομάχην pro Νικομάχην in quodam exempl. legitur: quinetiam ἀδελφὸς pro ἀδελφιδοῦς.

P.235.v.σημα] Post πόλις relatiuus articulus ἡ aut pronomẽ αὐτη, aut aliud quidpiam desiderari videtur. Interim autem aptior erit post nomen illud πόλις nota τῆς τελείας στιγμῆς quàm τῆς ὑποστιγμῆς. ita enim mihi notas illas vocare liceat.

V.γάλας] Scriptum est etiam τείχη μεγάλα καὶ καρτερά.

V.τες]Verba hæc ἐν τῇ πολεμίᾳ iungi etiam sequentibus possunt, vt ponatur interpunctio post τειχίσαντες, deleatur post πολεμίᾳ. Possunt etiã videri & ad sequẽtia & ad præcedẽtia simul pertinere.

P.236.v.πολεμίους]Pro παρουσίᾳ legitur etiam παῤῥησίᾳ, & quidem in eodem illo exemplari in quo & πολεμίων habetur pro πολιτῶν. Quamuis autem hæc lectio πολεμίων aliorum quoque autoritate confirmetur, de παῤῥησίᾳ tamen potius quàm de genitiuo isto πολεμίων illi assentior. Nam πολιτῶν reiici non potest, quum πολῖται essent iidem qui & πολέμιοι: at παρουσία πρός τινα vereor vt dici possit, eo quidem sensu qui loco isti sit accommodatus.

P.238.v.τοῖς) Antea pro τοῖς ἐτοῖς legebatur τῆς ἀρχῆς.

P.243. v. vlt.) Pro θαυμάσαι scribendum puto θαῦμα.

P.247.v. πολλοῖς) Malim scribere ταυτά.

P.250.v.συν)Nõ immeritò quis dubitet & quærat vnde pendeant hæc verba, ἑτέρωθι διηπόρηται. Ego aliud quod respõdeã nõ habeo, quàm videri Plutar. voluisse ad illa verba περὶ δ' ἡμέραν ἀποφράδων referre: hoc modo, περὶ δ' ἡμερῶν ἀποφράδων, εἴτε χρὴ τιθέναι τινάς, εἴτε μή, ἑτέρωθι διηπόρηται. Atque ita quæ interiecta sunt, per parenthesin posita esse dicendum fuerit: sed ita vt ante ὀρθῶς aliquid desiderari fatẽdum sit: quod quale sit, coniiciendum potius quàm affirmandum est. Dico igitur ex coniectura ita legendum videri, περὶ ἂν ὀρθῶς Ἡράκλειτος ἐπέπληξεν Ἡσιόδῳ. Paulo pòst in quodam vet. scriptum est τοῦτο μὲν τοίνυν Βοιωτοῖς &c.

P.252.v.δ' ἀπ.)Pro hoc accusatiuo ὢ πάθειαν antea legebatur valde diuersæ significationis & minimè loco conueniẽtis accusatiuus, nimirum ἀπάθειαν.

P.255.v.ἀγαπ.) Abundare videtur articulus ante ἀνδρός: ac potius collocandus fuisse ante λαθεῖν pro τό.

V.τῷ)Legitur etiam ὀνομάζειν pro νομίζειν.

P.260.v.πυνθ.)Vel, τί τοῦτο;

P.264.v. βαρβ.) Pro βαρβάρων legitur etiam πολεμίων: eodem sensu, sicut suprà πολιτῶν & πολεμίων de iisdem dici docui.

P.266.v.ἐν ὥρᾳ) In quibusdam scriptum est παρηβηκότας: quod idem valet, sed absque adiectione ponitur, quum addi soleat datiuus ἡλικίᾳ: qui tamen & subaudiendus relinqui potest. Paulo pòst autem pro παρουσίαν legitur παῤῥησίαν.

sed vt in alio loco qui in præcedētibus habetur, παῤῥησίαν pro παρρυσίαν probaui, ita hic vicissim improbo.

P.273.v.ἔσων] Post μὴ δυνάμενος habent quædam exempl. μὴ τε βουλόμενος.

P.275.v.ἐφῦντο] Pro συμπλέκεσθαι habetur in quibusdā ἐμπλέκεσθαι.

P.276.v.τὸ κάλλ.] Quidam codices habent ἱδρύσιν, quod magis propriè de hac re dicitur quàm κατασκευήν.

P.278.v.πτερπ.] Non dubium est quin pro κατατεχνικῶς scribēdum sit τεχνικῶς, præsertim quum etiam veterum codicum autoritate hæc lectio nitatur. Nam κατατεχνικῶς nusquam alibi extare, ac ne dici quidem, existimo. Quòd si dicatur, repugnantem potius sententiæ huius loci significationem habiturum videtur. Paulo pòst autem pro νέμῃ reposui νέμει. quoniam non intelligit Plutarchus, ἀρκεῖ ἂν νέμῃ, sed tantùm ἀρκεῖ ἂν σχολάζῃ. quod rectè animaduerterunt & interpretes.

P.279.v.εἰ δ' ὀρ.] Pro δέοντος habetur etiam πρέποντος. quod magis mihi placet.

V.των] Pro μακάρει omnes nostri codices habebant κάρει: quidam verò & μέγιστ pro ξένει.

P.280.v.σιν] Legitur etiam δι' ἀπολογίας: quod vocabulum magis frequens est.

P.292.v.ἔχωσιν] Pro ἐπιποθοῦντα legitur etiā ἐπιποθουμένα, quod ab omnibus lubentius receptum iri puto.

P.301.v. πολιτικῶν] Athen. & Pollux quædam afferunt ex Eupolidis comœdia inscripta nomine δῆμοι: vnde suspicari quis possit δήμοις hîc pro δημοσίοις esse scribēdum.

P.306.v.γεσι) Si participium ἀφιγμένους mendosum non est, aut pro ἀφιγμένων, (itidémque πρέσβεις pro πρέσβεων) aut pro ἀφικέσθαι positum esse dici poterit, vel potius dicendum erit. Vterque tamen huius participii vsus duriusculus esse videtur. atque adeò posterior nescio an vllo exemplo (quod ex scriptore idoneo petitum sit) confirmari queat. Nam λέγουσιν ἀφιγμένους pro λέγουσιν ἀφικέσθαι quis dicit? Fateor enim participium pro infinitiuo plerisque locis, & iis quidem diuersis, adhiberi: sed quorum nullus (quod quidem sciam) isti sit similis. alia enim est natura (vt ita dicam) eorum verborum quibus participium pro infinitiuo iungit, quàm huius λέγειν. Ad priorem autem vsum quod attinet, scio quidem vsitatissimum esse Atticis accusatiuum pro genitiuo absoluto, sed præterquam quòd hic scriptor non frequenter atticismū illum vsurpat, cum alio potius participio (id est aliam significationem habente) quàm cum isto, vsurus eo fuisse videtur. Adde quòd Attici à genitiuo absoluto potius ad accusatiuum trāsire solent quàm ab accusatiuo ad genitiuum: quod tamen hîc à Plutarcho fieri dicendum fuerit, si priorem illum participii vsum hîc admittamus. Lectoris tamen arbitrio hæc relinquens, hoc tantùm adiicio, si πρέσβεις ἀφιγμένους accipiatur pro πρέσβεων ἀφιγμένων, tunc post λέγουσι δὲ, interpungendum fore. quoniam hoc verbum ad infinitiuum εἰπεῖν feretur.

P.307.v.νου] Legitur etiā πρὸς ἔνδειξιν ἀκροαθῆναι.

P.310.v.καὶ διὰ] In quibusdā non simpliciter πόλιν, sed ὅλην πόλιν scriptum est.

P.312.v.θεμένος] Pulchra hîc emēdatio ex vet. cod. adhibita fuit

voci πονηρὸς: reponendo videlicet δαπανηρὸς. quam emendationẽ & quæ sequuntur cõfirmant, γυναικὶ νέᾳ καὶ πολυτελεῖ συνοικῶν. Interpretes tamẽ nec antiqui exemplaris nec coniecturæ auxilio adiuti, mendosam illam lectionem πονηρὸς secuti sunt. Vnus enim ita vertit, Siquidem maximus iustæ stirpis Xãthippus filius, cùm sua spõte erat prauus, tum vxorem iuuenem sumptuosámq; duxerat. Hunc patris offendit frugalitas in suppeditanda minutatim pecunia restrictioris. misit itaque ad amicum quendam, à quo patris nomine nummos accepit mutuò. Alter sic, Legitimorum enim ipsius filiorũ natu maximus Xanthippus, ingenio prauo, maritus præterea iuuenis ac prodigæ vxoris, patris parsimoniam ægrè ferens, tenuiter ei sumptus & non confertim suppeditantis, misit qui ab amico quodam pecuniam quasi iussu Periclis peteret. At multo magis conueniet hæc emendatam lectionem sequens interpretatio, Xanthippus tum natura sumptuosus, tum mulieris & iuuenis & profusæ maritus, misit qui pecuniam &c. Nã quòd pecuniã ab amico patris expiscatur, & quidẽ tanquã nomine patris eã accipiens, hoc certè hominis δαπανηροῦ potius quàm πονηροῦ est factũ. quoniã quã homini δαπανηρῷ nullæ pecuniæ satis esse possint, non mirũ est si nouas subinde artes earũ contrahẽdarũ excogitet. Sed quæ postea fecisse traditur, homini πονηρῷ cõueniũt, dicet quispiã. Quid tũ? nõ loquitur Plut. de eo quod postea contigit, sed de eo quod fecit vt hunc iuuenẽ ἀκρίβεια patris offenderet. si enim δαπανηρὸς nõ fuisset, illã patris ἀκρίβειαν patiẽter fortasse tulisset. Libuit autẽ in huius lectionis explicatione immorari, tum vt ostẽderẽ quàm multa sint quæ scriptoribus affingimus corrupta exẽplaria sequentes, (quẽadmodũ qui Demostheni paruũ caput esse dicebat, quòd in exẽplar incidisset habẽs μικρὰ κεφαλὴ pro μικρὰ κεφαλή) tũ verò vt ostenderẽ me non nisi firma ratione nitentẽ hanc lectionem (sicut nec aliã vllam, quoad fieri potuit) in locum alîus reposuisse.

Obiter autẽ lectorẽ monebo & de alio quodã huius loci verbo, nõ quòd emendatũ id quoq; in ista edit. fuerit, sed quòd ex iis sit quæ Plut. sibi peculiaria, aut certè cum paucis eorũ qui extãt autorũ communia, habere videri potest. Vocabulum illud est ἀκρίβεια, de parco homine dictũ. cuius vocis hac in re significationẽ haud scio an assequi Latina lingua possit. Interpretũ vnus frugalitatẽ, alter parsimoniam reddidit: hic quidem rectius quàm ille, sed nec ipse tamẽ vocis Græcæ vim assequẽs. Ego verò de ista signif. aliud dicere nõ possum quàm quod in Thesauro meo Græcæ linguæ scripsi, nimirũ vtranq; linguã eodẽ metaphoræ genere in exprimẽdo homine tenaci vti. quoniã Latini eũ qui tenax est & parcus, attẽtũ vel attentiorẽ ad rẽ esse dicũt. Qui autẽ ad aliquid attentus est, is certè est ἀκριβὴς, i. faciẽs ἀκριβῶς (hoc est exacta diligẽtia) illud ad quod est attẽtus. Quoniam autẽ qui ad rẽ est attentus, ἀκριβῶς (.i. exactè) accepti & expẽsi rationes sibi reddi postulat, aptè profectò ἀκρίβεια de tenacitate dicitur. Et quoniã in mẽtionẽ incidi vocabulorũ Plutarcho peculiariũ, (aut cum paucis communium, vti dixi) addam & aliud quod quum vulgò hãc ipsam peculiaris significationem habeat, ab eo ita vsurpatur vt vix absque periphrasi interpretatio illi adhiberi possit.

Vocabulum de quo loquor, est ἴδιος. in eo quidem certè vsu quem habet suprà in Themistocle, pag. 221 de illo enim ita scribit, ἴδιος δέ τις ἐν πᾶσι βουλόμενος εἶ), χωρέον μὲν τι περίσκοπον, ἐκέλευε κηρύττειν ὅτι καὶ γείτονα χρηστὸν ἔχει. Quod enim vocabulum in Latina lingua reperies (etiamsi omnes eius scriptores diligentissimè excusseris) quo possit vno vnum hoc Græcũ exprimi? Meritò igitur ad periphrasin confugerunt interpretes: quorum vnus hæc verba, ἴδιος δέ τις ἐν πᾶσι βουλόμενος εἶ), ita vertit, Quũ omni in re facere aliquid veller singulare: alter autem ita, Omnino autem omnibus in rebus aliquid peculiare affectabat. Ego meam interpretationem his non addam, monuisse contentus hoc etiam vocabulum ἴδιος in eo quem hîc habet vsu, esse Plutarcho ἴδιον.

V. οὖς ἐπολει) Longè aliter scriptus est hic locus in quibusdam exemplaribus: hoc videlicet modo, πεντάθλου δέ τινος ἀκοντίῳ πατάξαντος Ἐπίτιμον τὸν Φαρσάλιον ἀκουσίως, καὶ κατακτείναντος. vbi quod ad proprium nomen attinet, scripturã alteram magis probo, vt Ἐπιτίμιον quadrisyllabè scribatur: de cæteris autẽ, nisi ex alio scriptore eandem historiam referente, iudicium ferri non potest: quum ex sequẽtibus vtrúmne ipse Epitimius an eius equus occisus fuerit, colligi non possit.

V. πορευθῶντα) Legitur etiam ἢ τὸν βαλόντα μᾶλλον. quod μᾶλλον tamẽ nõ ad βαλόντα sed ad ἢ pertinet. dictum enim fuerit (si hanc lectionem sequamur) pro ἢ μᾶλλον τὸν βαλόντα.

P. 313. v. πρίν γε) Post γνησίων in quibusdam additum est υἱῶν: sed hoc substãtiuum subaudiri potest.

V. νος) Pro εἰσηγήσατο, legitur etiam ἠτήσατο.

P. 315. v. λίσκοντες) Pro ποιήμασι scriptum est etiam μυθεύμασι.

P. 316. v. vlt. Pro διαπραγίαν reposui valde diuersæ significationis vocabulum, ἀπραγίαν: sed & tertiam lectionem, ἀργίαν videlicet, reperiri sciendum est. Ad illam quidem quod attinet quæ in Aldina & Florẽtina editionibus extat, nimirum διαπραγίαν, ferri nullo modo potest. Ac certè meritò Guil. Xylander dixit se non videre quid hîc loci haberet accusatiuus ille διαπραγίαν: & tres afferens quorum vnus pro isto reponendus sibi videretur, in tertio tandẽ scopum attigit. nam se ἀπραξίαν, aut διαπραγίαν, aut ἀπραγίαν malle dixit. Neque verò minus conuenire Scopum attigisse dico in tertio, quoniam illud ipsum est quod in quibusdam vetustis codicibus extat. Alioqui certè ἀπραξίαν eadem ratione qua ἀπραγίαν admittere possemus. At verò ex accusatiuo διαπραγίαν nescio quem sensum elici posse existimarit. Iam verò quod attinet ad alteram vet. cod. lectionem ἀργίαν, eam accedere quidem ad nostram, minus tamen aptam esse, dico.

P. 318. v. τα τῇ) Pro Καλλίμαχος repone Κάμιλλος.

P. 319. v. παραγ.) Aliam ex vet. cod. lectionem non habeo quàm παραγωγαὶ, sed ex mea coniectura aliam affero, περιαγωγαί. de quo vocabulo disserui in Thesauro.

P. 321. v μένος) Repone αὐτῆς pro αὐτοῖς.

V. λόμενος) Legitur etiam ita, τοῦ δὲ ἡ γνώμη πίστιν ἔχουσα τοῦ συμφέροντος.

P. 323. v. στέναι) In superioribus editionibus habetur, ἀφύκτως ἤγουν μέγαν ἀπορία.

P.326.v.συνίξαλε) Repono κινδυνεύοντος pro κινδυνεύσαντος.

P.329.v.μέγαν) Legitur etiam οἱ δὲ πλεῖστοι.

V.δονίους) Pro partic. αἰαστρεφομένων, in superioribus editionibus est αἰαστρεπομένων: in quodam autem vetusto codice est ἀποστρεπομένων.

V.γον) Pro ταύτην legitur etiã τούτων: & in proximè sequẽte versu χαλάζης pro ζάλης.

P.330.v.χόμδυος) Magno hîc errore antea αὐτοὺς pro αἰετοὺς siue αἰετοὺς legebatur.

V.ἡμέρα) Pro τοὺς πολεμίους quidam codices habent Ἀντίξαν.

P.331.v.γοις) Pro ἡλίκην repono ἡλίκη, alioqui verbum ἐχρήσατο accusatiuo iungi dicendum esset. Neq; enim hæc orationis forma, κατέγραφε δύναμιν τὴν ἐκαύτην ἡλίκην πρὸς οὐδένα ἐχρήσατο, similis est illi, χρῶμαι οἷς ἔχω βιβλίοις, & similibus.

V.Ῥωμ.) Post Ῥωμαίων legitur in quibusdam ἐμβαλόντες. Quod si quem offendat ἐμβαλόντες masculinum cũ fœminino μυριάδες iunctum, & in ἐμβαλούσαι mutandum putet, meminerit μυριάδες nomẽ esse collectiuum, & in huiusmodi locis non πρὸς τὴν φωνὴν seu τὴν λέξιν, sed πρὸς τὸ σημαινόμενον respici. Sic apud Thucydidem legimus, lib.4, pag.144, meæ editionis, in fine, αἱ δὲ τῆς Μεγαρέων στάσεις φοβούμεναι, οἱ μὲν, μὴ τοὺς φεύγοντας σφίσιν ἐσαγαγὼν &c. am & hic non αἱ sed οἱ cum στάσεις iungitur. Sed possit etiam participio ἐμβαλόντες & quouis alio carere ille Plutarchi locus, vt videlicet μέγα δέος per appositionem dictũ intelligatur, aut etiam οὖσαι subaudiatur.

P.339.v.ἑαυτὸν) Pro οἰόμενος legitur etiam οἰόμενος; quod reponendum censeo.

P.340.v.ἐχετίνους) Stare non posse hãc lectionem προδιηλεγμένος, manifestum est. Si προδιειλεγμένος reponatur, erit pro προδιαλελεγμένος, & sonabit Antè collocutus. Vnus interpretũ ita vertit, Iuuenis qui ante cum Brutio rem adhibita sorore composuerat. Alter, Iuuenis quem sororis interuẽtu rem cum Brutiorum præfecto composuisse diximus.

P.344.v.ῥαγίζω) Debui audacter κατεπιθαμβημένος in contextu reponere.

P.346.v.καὶ μεγ.) Non dubito quin Plutarchus sicut ἐμπανηγυρίσαι, ita etiam ἐνεορτάσαι scripserit.

P.347.v.τῶν σρ) In quibusdam cod. scriptum est κατὰ κράτος νικήσαντος.

P.348. v. τῆς δυν.) Verba hæc καὶ καθαρώτατον, ex vet. cod. accesserunt.

P.349.v.αὐτὸν) Vide an malis εὐνοίας καὶ φιλανθρωπίας, vt veteres quidam libri habent.

P.350.v.Εἰτ') Apud Aristoph. in Vespis (vbi extat hic loc. s) legitur Θέωλος, non Θέωλεν: itidémque apud Hermogenem nominatiuus hic, non hic accusatiuus habetur. Quod ad sensum tamẽ attinet, vtrouis modo scribamus, perinde est.

P.356.v.ζοντος) Legitur etiam γράμμα.

P.360.v.οιῶ) Post κραυγῆς in quibusdam adiectum est καὶ ὀργῆς.

P.372.v.καὶ φιλ.) Legitur etiam φιλοτιμίας pro φιλανθρωπίας.

P.370.v.χόμδυος) Scribendum censeo ὅ,τι, non ὅτι.

P.373. v. χου) Vide num scribendum sit vna voce παλιμπροδοσίαν. Mihi quidem certe magis placet; vt παλιμπροδοσία co-

dem modo dicatur quo παλιμπροδότης. Vsus est autē hoc composito Dinarchus teste Polluce: ex recentioribus autem Appianus, de quodam Menodoro qui rursus ad Popeium ab Octauio transierat, ὢν φύσει παλιμπροδότης.

P.375.v. σπλέως] Nō dubito quin διαπεπρᾶχθαι legi debeat.

P.376.v. δὴς μὴ] Rectius scribetur αὐτῶν.

P.377.v. ἀτυχ.] Vox ἀπιασυται quæ hic sicut & apud Xenophontem habetur, in vocem mutanda est quæ prima frōte nemini nō videatur esse deprauata. Ea est ἀπέσσουα, cuius certè magna sunt in Aldina edit. vestigia. habet enim ἀπέσσουα πεινῶντι: at verò Florētina, ἀπέσσυ ἀπεινῶντι. Vtrā istarū editionum minus verā lectionem corrumpere dicas? Imò eam velut inter se partiri videntur, quū ἀπέσσουα legendū sit, vt dixi: si modò purū & putum Laconis huius sermonē audire volumus. Vt autem tam audacter hac de re loquar, facit quod apud Eustathium me legere memini. Sciendū est (inquit) esse & verbū σόω, per ο. cuius imperatiuus sit σούσθω apud Sophoclē, ex σοέσθω factus per synæresin. Hinc autem & Doricum verbum ἀπέσσουα, vt ostēdit dictum illud, Ἔρρει τὰ καλά· Μίνδαρος ἀπέσσουα. id est ἀφώρμησεν, ἀπῆλθε, τέθνηκε. Quinetiam alio in loco verbum istud ἀπέσσουα pro Laconico agnoscit. Adeò vt iam de hac scriptura dubitare non possimus quin simul de hui[9] tanti viri fide dubitemus. At verò illud ἀπέσσυται, quod & apud Xenoph. legi dixi, (Hellen. lib.1, nō pcul ab initio) ex alicuius emēdatione profectum esse credibile est cuius aures illo ἀπέσσουα offenderentur. Vt porrò obiter & reliqua verba hui[9] epistolii, verè Laconici, (id est, verum vtroq; modo Laconismum habētis) examinentur, malim etiam τῶνδρες, vt & apud Xenoph. legitur. An autē ἀπορέομες in ἀπορείομες mutandum sit, quod ambæ illæ editiones habent, Aldina & Florentina, pronunciare in præsentia nō possum: sed interpūctionem quam eædem habent post ἀπορείομες, meritò in hac nostra fuisse sublatam dico: vt ἀπορείομες siue ἀπορέομες cum sequentibus iungatur, sicut apud Xenophontem. Verùm libet & de interpretatione illorū verborum ἔρρει τὰ καλά, aliquid dicere. Mihi enim καλὸν vel potius κάλλιστον hoc loquendi genus videtur, ἔρρει τὰ καλά. Hoc vnus interpretum ita vertit, Effluxerunt præclaræ res: alter breuius, Actum est. At ego valde quidem verbum hoc Actum est, probo: sed aliquid addendum fuisse dico. Videat igitur lector annon potius hoc (aut certe simili) modo interpretari hunc locum oporteat, Actum est de rebus prosperis, vel de prospera fortuna. Aut ita, Pessum eunt res nostræ. Sub hoc enim loquēdi genere Pessum eunt, mutatio status rerum ἀπὸ τῶν καλῶν εἰς κακὰ comprehendi fortasse possit.

P.381.v. Εἶπον] Ex vetust. codic. repositum fuit ἔδρασα pro ἔπραξα.

P.383.v. τως] Scribendum arbitror οὕτως ἂν πράξῃ.

V. πόλιν] In aliis editionibus deest πρῶτον.

P.389.v. καὶ Μάρκ. Habent cùm aliæ editiones quæ hanc præcesserunt, tum verò Aldina & Florentina, ὄνομα pro ὁ Νουμᾶ, vel ὁ Νομᾶ. Nam & in ipsius vita legitur hoc nomen in vet. codic. absque υ plerisque locis. atque adeò error hic scripturam

illam ostendere videtur: quum facilior fuerit lapsus ex ὁ Νομᾶ in ὄνομα quam ex ὁ νοῦμα. Neque tamen illam sine υ scripturam huic præfero: sed hoc tantum addo, quod huic Plutarchi loco contigit, idem alii eiusdem contigisse. Siquidem in opusculo quod περὶ τῆς Ῥωμαίων τύχης scripsit, legitur itidem ὄνομα θυγατριδοῦς pro ὁ Νομᾶ vel Νουμᾶ θυγατριδοῦς, & quidem in Aldina etiam editione. Ita enim ibi legitur, pag. 518, πρῶτος μὲν γὰρ ἱδρύσατο τύχης ἱερὸν Μάρκος Ἄγκος ὄνομα θυγατριδοῦς, καὶ τέταρτος ἀπὸ Ῥωμύλου γενόμενος βασιλεύς. vbi etiam Μάρκος pro Μάρκιος perperam scribi vides.

P.396.v.διακέκοπτο] Satius fortasse esset particulam δὲ hinc abesse.

P.400.v.ταπειν.] Consueta orationis ἀκολουθία postulat ἐκταπεινοῦσιν & δεικνῦσιν: vt cohæreãt hæc cum illis, ἔθος ἦν τοῖς μετιοῦσι. Illam tamen scripturam Plutarchi esse puto.

P.401.v.πείκοι] Hic μηδὲν pro μηδένα perperam scriptum esse puto, sicut alibi οὐδὲν pro οὐδένα.

P.403.v.ἅπαντας] Deest infinitiuus ἔχειν in aliis e[di]tionibus.

P.404.v.ταῖς διαβ.] Verba hæc καὶ δακνόντι desunt itidem in illis.

P.407.v.θυμ.] Antea legebatur διαστάσεως pro διατάσεως. quem errorem librarii apud Galenum itidem commisisse comperiuntur.

V.δίζειν] In aliis edit. ista prioribus legitur ὁμοῦ τι προπεμπόντων, siue genitiuo πάντων: sed rectè additum nunc fuisse ex vet. codicibus, ostendunt cùm alii huius ipsius operis loci, tum verò hic in Poplicola, pag 193, huius editionis, τοῦτον τὸν ἄνδρα Μεύκιοι ὁμοῦ τι πάντων καὶ Σχολαὶ καλουμένων.

P.408.v.θυμοῦντα] Pro καλοῦσαι legitur etiam καλεῦσαι.

P.409.v.Μάρκιος] Lego cum vet. cod. πλείστῳ σὺ καὶ Οὐολούσκοις.

P.414.v.ἑαυτῷ] Deesse γὰρ post ἦν, an potius locum hunc ex iis esse quorum antea mentionem feci, (in quibus videlicet oratio absque particula inchoatur) dicemus?

P.415.v.λεμίων] Nemo dubitauerit (vt opinor) quin datiuus καθεζομένῳ in locum genitiui καθεζομένου substituendus sit. Vt autem obiter & de loci huius interpretatione lectorem moneam, vnus interpretum vocem ὄχλου malè, alter bene reddidit. Vnus enim ita hunc locum vertit, Quippe per hostium castra ducti conuenerunt sedentem in cœtu & cum fastu intolerabili. Alter autem hoc modo, Ducti enim per castra hostiũ, inuenerunt eum animo conturbato & horrenda cum seueritate inter primores Volscorum sedentem. Hunc certè verba illa μετ᾽ ὄχλου rectè interpretatum esse dico, ὄχλος enim hic non de cœtu sed de animo quem curæ & solicitudines cõturbant, minimeq; tranquillum esse sinunt, vsurpatur. Conuenit autem huius vocabuli interpretationi participium Conturbatus, quũ Cicero duo hæc Tristis & Conturbatus, alicubi copulet. Quòd si cœtum vel turbam significare hac voce Plutarchus voluisset, non dixisset, μετ᾽ ὄχλου καθεζομένῳ καὶ βαρύτητος, sed ἐν ὄχλῳ καθεζομένῳ μετὰ βαρύτητος. Verum quod ad alterã illam nominis ὄχλος significationem attinet, hac quidem rariorem esse fateor, non adeò tamen vt Dionysius Halicarnasseus inter Thucydidis idiomata hunc quoque vocabuli istius vsum numerare debuerit.

Recensens enim masculinorum & fœmininorum nominum neutrorúmq; ἀντιμεταπάξεις, ἐκβεβηκυίας τῆ συνήθων σχημάτων, (vt ei⁹ verbis vtar) affert τάραχον pro ταραχὴν, itidémque ὄχλον pro ὄχλησιν. Atqui apud Euripidem quoque & Sophoclem ὄχλον pro ὄχλησιν, necnon apud Isocratem & Demosthenem habemus. Hic enim in sua περὶ στεφάνου oratione dixit, μάταιον ὄχλον σὺ περὶ τούτων λόγους νομίσαντι. Esse enim & hic ὄχλος positum pro ὄχλησις, ne ipse quidem Dionysius inficiari ausit. Sed cum alibi quoque falsò quædam in Thucydide (cuius certè scriptis perlibenter obtrectabat) tanquam nimio καινοτομίας studio ab eo in sermonem Græcum inuecta, reprehendisse animaduerti. Iam verò quod ad significationẽ attinet, quamuis Plutarch. dixerit & ipse ὄχλον pro ὄχλησιν, paulo tamẽ aliam illi voci significationem tribuit quàm Demosthenes (vt de cæteris taceam) in illo quem modò protuli ex eius περὶ στεφάνου oratione loco. Neque enim dubium est quin molestiam & tædium eo nomine declarare voluerit. Eodémque apud Thucydidem modo δι' ὄχλου εἶ) accipi videtur pro Molestum esse, seu tædiosum. verùm sicut in illo Plutarchi loco vnum ex interpretibus posterioribus (de his enim loquor, quòd priores minimè digni censendi sint qui eodem loco habeantur) malè interpretatum esse vocem ὄχλον docui, sic apud ipsum Thucydidẽ in eius interpretatione errasse Vallam sciendum est. Quum enim ita loquatur Thucydides, vel Atheniensium legatus apud Thucydidem, τὰ δὲ Μηδικὰ, καὶ ὅσα αὐτοῖς ξυνίστε, εἰ καὶ δι' ὄχλου μᾶλλον ἔσαι αἰεὶ προβαλλομένοις, ἀνάγκη λέγειν, Valla hæc ita interpretatur, At gesta bello Medico, & quæcunque ipsi nouistis, etsi propter vulg⁹ magis sunt assiduè prædicanda, tamẽ commemorari necesse est. Vbi etiam pro genitiuo ὄχλου eum accusatiuum ὄχλον legere videmus. Atqui δι' ὄχλου rectè legitur, nec aliud est δι' ὄχλου ἔσαι quàm ὀχληρὰ ἔσαι. adeóque sensus illorum verborum est hic, (vt etiam admonui in iis quæ margini illius editionis circa hunc locum adscripsi) Etsi molesta vobis & odiosa erũt, quòd ea subinde allegemus, vel proferamus. Quidam tamen (vt ibidem docui) aliter verba illa interpretanda putauerunt, nimirum ita, Tametsi vobis obfutura sunt. Sed ego tertiæ huius significationis (de iis loquor quas habet quũ pro ὄχλησις ponitur) exemplũ desidero: nec alia de causa excogitatam esse puto quàm quòd alioqui datiuus ille προβαλλομένοις negotium facesseret. quum dicendum potius fuisset, (accipiendo δι' ὄχλου ἔσαι pro ὀχληρὰ ἔσαι, Molesta erunt, Tædio erunt, Molestiam & tædium afferent) ἡμῖν αἰεὶ προβαλλομένοις, vel διὰ τὸ αἰεὶ προβάλλεσθαι. verùm Thucydidem loqui cogitandum est, apud quem alios casuum pro casibus vsus non minus καινοπρεπεῖς habemus. Sed vereor ne hûc de vocabulo ὄχλος sermonem longius quàm statuissem producens, interim ὀχληρὸς lectori fiam.

V. σκαν] Hîc πάντα esse plur. neutrius generis, ex Thucydide apparet: vnde Plutarchus hoc loquendi genus (sicut & alia pleraque) mutuatus est.

P.416.v. γινώσκειν] Fortasse γινώσκειν cum his verbis οὐκ οὔσαν ἄδειαν iungi debet.

P.421. v. πατείδι] Legendum potius

potius existimo *μόνης*.

P.423.v.*κλειτον*) Rectius fortasse scribetur *ἀπειρίη* in dandi casu.

P.425.v.*χαριζόμενος*) Pro *οὐδὲν* scribendum puto *οὐδέτα*. Sic suprà pro *μηδὲν* legendum videri *μηδέτα* admonui.

P.426.v.*ὀργιλῶ*) Deprauatus est hic locus in editionibus quæ hanc præcesserunt. Aldina enim habet, *οὔτε χθές*: Florentina autem (vt cæteras omittam) *οὔτ' ἐγχθές*. Atqui nemo mihi negare posset quin vera lectio sit *οὐ τεγκτέοι* ab ea nimirum verbi *τέγγομαι* significatione metaphorica qua dicitur aliquis esse *ἄτεγκτος*, qui rigidus est seu rigidè in sua sententia perstat: cuius animus videlicet nullis precibus emolliri & flecti potest, atque à proposito dimoueri. adeò vt *τέγγειν* in huiusmodi locis id sit quod ipse pag. 434, vocat *κατακλᾶν* & *συντρίβειν τὴν διάνοιαν*. vbi perperam *κατέκλαυσι* pro *κατέκλασι* superiores editiones habent. Nemini autem mirum esse debet si talia menda a conferentibus inter se exemplaria plerunque non animaduertuntur; quum nostra pronuntiatio vnam scripturā ab altera non discernat. Cæterùm videndum est an pro *αἰλας* (quod tamen ferri potest) scribendum sit *αἰτίας*.

V.*ταῖς λθ.*) Verba hæc, *πόθων κατηλθεῖν* vtrinque interpunctionis nota inclusi, ne *παντάπασι* cum *πόθων* iungeretur. Quod autem attinet ad verbum *ἐθεράπευε*, significatio ei⁹ minimè intellecta fuit, quum ad Tissaphernem relatum fuerit: perinde quasi dicatur Alcibiades illum *θεραπεύειν*: Plutarcho contrà significare volente *ἐθεράπευε μὴ φθαρῆναι*. id est, *τὸ μὴ φθαρῆναι*. Quem verbi *θεραπεύειν* vsum multo minus frequētem altero esse fateor, sed cuius tamen apud hunc ipsum scriptorē exempla non desint. Ac necui nouus hic verbi illius vsus videatur, apud Thucydidem extare sciendum est. Legitur enim lib. 6, pag. 217, meæ editionis, *θεραπεύοντες ὅπως πρὸς τοὺς ἐν τῇ Σικελίᾳ στρατιώτας τε σφετέρους καὶ πολεμίους μὴ δορυφορεῖν*. Est autem *θεραπεύω τοῦτο μὴ γίνεσθαι*, Operam do ne hoc fiat. Propriè tamen non sonat simpliciter Operam do, sed Aliquem obseruando seu demerēdo, operam do vt &c. quæ expositio loco Plutarchi valde conuenit. Neque verò præcedente duntaxat negatiua particula infinitiuo iungitur, sed absque illa etiam. Interdum infinitiui quoq; locum obtinet subiunctiuus præfixo aduerbio *ὅπως*. vt lib. 1, pag. 7, *καὶ οἱ μὲν Λακεδαιμόνιοι οὐχ ὑποτελεῖς ἔχοντες φόρου τοὺς ξυμμάχους ἡγοῦντο, κατ' ὀλιγαρχίαν δὲ σφίσιν αὐτοῖς μόνον ἐπιτηδείως ὅπως πολιτεύσωσι θεραπεύοντες*. vbi scholiastes hunc verbi *θεραπεύειν* vsum non intelligens, perperam cū accusatiuo *ξυμμάχους* iungit, repetito ex proximè præcedēte versu: sicut ibi perperam eundem accusatiuum cum *ἡγοῦντο* iūgit, antiptosin esse tradens.

P.432. v. *μίους*] De vsu quem hîc particula *ἐπεὶ* habet, lege quæ initio harum annotationum scripsi.

P.433.v. *ταῖς*] Quidam vet. cod. non habent *καὶ ψέγων*; quos lubenter sequor. Cōtrà verò paulo pòst addunt *ὡς ἔοικε* post *οὐ μόνον*.

P.434.v.*ἔχει*] In præcedentibus editionibus legitur *ἀντεκρίνατο*, quod vel pro *ἀπεκρίνατο* (vt hîc habes) vel pro *ἀντιπεκρίνατο* scriptum dici potest.

P.437.v.ἀσφάλ.] Rectius ſcribetur ἐμμένειν.

P.443.v.vlt.] Malim ἀνεπιτήδειον.

P.451.v.Ἑλλ.] Legitur etiã θεωρεῖσθαι, quod malo.

P.458.v.Εὐθ.] In præced. editionibus legitur συντιθέντας: quod ſtare non poteſt, ſed mutãdum fortaſſe fuerit in συνδεθέντας potius quàm in συντεθέντας.

P.461.v. κατέμ.] Scribendum potius ὑφ᾽ ἑαυτοῦ.

P.465.v. καὶ φιλ.] Rectius ſequentibus videtur iungi ἤδη.

P.467.v.βηρεία] Pro κινημάτων repono κίνημα τῆς, item γενόμενον pro γενομένων. & ἐν Ἰβηρείᾳ præcedentibus potius iungo.

P.479.v.καὶ κατ.] Accuſatiuus hic ὑπερβολὰς repoſitus fuit pro accuſatiuo ὕλας. Sic autem ſæpe apud hiſtoricos legimus καταλαβεῖν τὰς ὑπερβολάς.

P.491.v. σύμμαχος] Scribendum potius αὐτῷ.

P.502.v.πείσαιεν.] Ita vet.cod. non ἐμέτρησεν, vt in vulg.edit.

P.506.v.τελούμενος] Meritò ſuſpectus hic locus fuerit, tanquam nõ ita ſcriptus à Plutarcho: quum pro ἰταμὸς videatur poti' ſcripturus fuiſſe nomẽ proprium eius de quo verba facit. Neque enim Græcis mos eſt ita ſcribere, ὅ γ᾽ οὖν (vel ὁ γοῦν) παρ᾽ Ἀντιγόνῳ γενόμενος θρασύς, φαῦλος δὲ &c. vel ὅ γ᾽ οὖν παρ᾽ Ἀντιγόνῳ γενόμενος τολμηρὸς &c. ſed potius nomen proprium ponitur, deinde epithetum additur, hoc modo, ὅ γ᾽ οὖν παρ᾽ Ἀντιγόνῳ γενόμενος Ἀρναῖος, θρασὺς μὲν, vel ἰταμὸς μὲν, φαῦλος δὲ &c. Hoc autem facit vt pro Ἰταμὸς ſcribendum videri queat Ἴταμος, retracto in primam ſyllabam accentu, vt videlicet ſit nomen proprium: aut certè dicendum ante ἰταμὸς deeſſe nomen eius de quo iſta narrãtur, & poſt ἰταμὸς deſiderari particulam μέν.

P.509.v.χεῖν] Poſt νὴ Δία aut poſt τούτῳ addendum cenſeo ἔφη. niſi quis ſub participio δείξας ſubaudiri poſſe exiſtimet. Sed hui' ſubauditionis exemplum deſiderauerim.

P.512.v.ποιήσαιτο] Pro εἴη ſcribendum fuerit εἴη, aut expungenda particula ὡς. talem enim eius pleonaſmum ex linguæ Græcæ conſuetudine nequaquã eſſe puto.

P.513.v.τῆς γυν.] Refertur & alibi à Plutarcho hæc hiſtoria, nimirum in libello De Socratis dæmonio, vbi dicit, ἐπαγομένη κακὰς ὀδύνας, κακὰς δ᾽ ἐπανόδους.

P.515.v.θεῖναι] Deeſſe copulam καὶ manifeſtum eſt: ſed hãc potius ante hæc verba ἐν τῇ πόλει quàm poſt, eſſe ponendam cenſeo.

P.517.v.Λεοντ.] Rectius fortaſſe ſcribetur αὐτοῦ.

P.522, v.πως] Repone κατ᾽ αὐτούς.

V.θεῖν] In ſuperioribus editionibus perperam ſcriptũ eſt διεχθεῖναι. Poſt δεδοικυῖαν autem nihil deeſſe puto, ſed ſubaudiendum relinqui accuſatiuum ὁδὸν, ideóq; mendo hunc locum carere arbitror.

P.527.v.φωνῆς) Vereor ne genitiuus hic φωνῆς erroris occaſionem præbuerit, id eſt faciendi συμφωνήσας ex συμφρονήσας. quod vocabulum ſignificationem & huic loco aptam & huic ſcriptori vſitatam habet.

P.534.v.πρέποντα] Addo καὶ ante τὸ μὲν πρέπον.

V.πεῖ] Antea legebatur, τοσαύτη δὲ πρὸς τοὺς ὑπηκόους ὁρμῇ πρὸς ἀπόστασιν εἶχε καὶ χαρᾷ τοῦ μέλλοντος.

P.546.v.ρίων] Scribendum Πι-

κηνίδος, sequendo Latinam scripturam.

V.το) Rectius τῶν πατρίων, vt paulo pòst.

V.σκηνὴν) Post μεμισθωμένην participium ἔχων vel aliud quodpiam desiderari puto.

P.547.v.νικοι) Pro ἐλλείμματος scribitur etiam ἐγκλήματος.

V.μῆνες) Μινουκίου scribe, vt alibi.

P.548.v.στάμνοι) Pro ὀλίγιστον non dubito quin reponi debeat ὀλιγοστόν.

P.549.v.καὶ) Non videtur πᾶσι locum habere hîc posse, ideóque in πάσαις esse mutandum.

P.550.v.δρυὸς) Non ἀκιαίου, sed ἀκταίου præcedẽtes editiones habẽt, Aldina saltẽ & Florentina. sed illa lectio ex vet. cod. pro hac reposita fuit. Vnus interpretum vertit Quercus votiuæ, alter, Quercus eximiæ. Ego autẽ in ἀκιαίου nos ad veram quidem lectionem propius accedere, sed nondum veram lectionem habere puto, eam enim esse ἀκιάτου, arbitror. & ἀκίατον δρυῶ esse quod Virgilius fissile robur appellauit, sicut Homerus ἀκίατον κέδρον dixit.

V.τεῖχος) Manifestus est in voce ἀγῶνος error pro αἰῶνος: licet Aldina quoque & Florentina editiones hanc, non illam, scripturam habeant.

V.μὲν) In quibusdam exempl. legitur ὀπίμιος pro ὁ πίμπτεται: ita enim in illis totus hic locus scriptus est, καλεῖται δὲ ὁ μὲν θεὸς ὀπίμιός τε καὶ φερέτριος Ζάν. Quam lectionem ambabus manibus amplector: quoniam vt cognominis Pheretrius hic ratio redditur, sic statim pòst cognominis Opimius. Sed pro ὀπίμια reponendum ibi fuerit ὄπιμα: quum opima spolia, non opimia, dici à Latinis notissimum sit. Quinetiã apud Dionem ὄπιμα, nõ ὀπίμια, scriptum est lib. 44, pag. 159, editionis patris mei. Erat autem & pro φερίρε (id est Ferire) perperam scriptum φέρειν in præced. editionibus: sed tũ ex veterum codicum autoritate, tum ex collatione cum alio ipsius loco repositum illud fuit. Locus ille est in Romulo, τὸ γὰρ πλῆξαι, φερίρε Ῥωμαῖοι καλοῦσι. Possent tamen talia ac deberent etiam fortasse vel ex sola Latinæ linguæ peritia emendari.

P.552.v.τὸν στρατ.) Interpunge non post Μάρκελλον, sed post κατέφυγον: quod verbum ex vet. cod. adiectum fuit.

P.556.v.ἐκδ.) Pro ἄλογον scrium est etiam ἀνάλωτον.

pt P.557.v.σώματι) Rectius fortasse scribetur καὶ βαναύσου.

P.558.v.ἄπειρος) Scribendũ potius αὐτοῖς.

P.560.v.γῆν.) Non dubito quin omissa sit præpositio εἰς ante ἐκεῖνα.

P.561.v.διὰ) Vel ἧρει vel potius εἶλεν legendum videtur.

P.562.v.τὸν) Malim ἄκων καὶ βιασθείς.

P.564.v.αἰδεῖ) Reponi debuit ἱκέτις pro ἱκέτης.

V.εὐχ.) Rectè hîc Ἐγγύους pro Ἐγγόνους repositũ fuit; vt pag. proximè præcedente legitur Ἐγγύιον, accedit enim Stephani testimonium.

P.565.v.κάλλος) Vt χαίρειν pro χαίρουσιν scriptum fuit, ita fortasse ἡδοναὶ pro ἡδοναῖς scribi debuit; sed lectio illa χαίρειν ex vet. cod. annotata erat, nõ item hæc ἡδοναί. Participium autem κοσμήσας ex iisdẽ additum fuit.

P.566.v.δύναμις) Copulam καὶ omissam esse puto inter βίᾳ & πολέμοις. sic in aliis plerisq; locis eam

desiderari videmus: ex quibus vnus huic similis est, pag.562, ἄκων ἐπιβαδίζεις, pro ἄκων ᾗ βιβαδίζεις.

V. θρίαμβος) In Ald. & Flor. ὠνομάζεται: quod inter ὀνομάζεται & ὠνομάζετο ambiguum est.

P.569. v. δῆμα) Scribendum potius πλέιον ἔχων: vt sit pro eo quod composita voce dicitur πλεονεκτεῖν: respondétque ei quod dicimus Auoir l'auantage. Paulo post autem quidam cod. habent, τὸν ἕτερον ἐχθρὸν ὑπάγειν ὕπατον.

P.571. v. ἐμβὰς) Legitur etiam ἐπιλημμένη pro ἐπιμασωμένη.

P.574. v. Φρυγ-) Non ἀρχῆς sed μάχης in quibusdam vet. cod. legitur: quam lectionem alteri antepono.

V. ἐλαύνοντα) Scribo περιξελεῖν.

P.576. v. Οὗτος) Pro ἀστὴρ legitur etiam ἀγὸς: sed illud seruandum esse censeo, vtpote elegantissimam metaphoram habens; & hoc etiam includens, quum ἀστὴρ Ῥώμης exponi possit ἀγὸς λαμπρότατος ᾗ ἐνδοξότατος. In tertio versu pro ὑπάτων scriptum est etiam ὑπάτων, eodem sensu.

P.577. v. κεῖτο) Hunc locum ita scribendum esse puto, ἐνδιδῶναι μὲν τοῖς τούτοις Πελοπίδα καὶ ἀεὶ Τιγύρας, &c.

P.578. v. τοι) Legitur etiam αἰπυπάρεχε ταξάμενος, eodem sensu: sed hoc magis vsitatum est. Legitur item μεταβαλὼν, quod etiam rectiº scribitur quàm μεταλαβών.

P.583. v. λῆς) Legitur etiam τῷ δὲ δήμων. quam lectionem minimè reiiciendam esse docui antea.

V. σκεῖν) Scriptum est & γλυφόμενον pro λεγόμενον.

V. πεινήτων) Pro δι' ὄγκον in quibusdam scriptum est διὰ γλίσχρον ὄγκον, vt hæc mea editio habet.

P.584. v. νον) Pro Περσικῶν legitur etiam Μηδικῶν: sicut alibi Μηδικὸν πόλεμον dici videmus: & quidem in hac ipsa vita etiam. Attici quidem certè scriptores Μηδικὰ potius quàm Περσικὰ vocabant. Cæterùm & pro πελῶτιν quædam exemplaria habent ἀρχήν.

V. δέξαι) Pro λόγου legitur etiam πλούτου. sed lectio illa magis mihi placet.

P.586. v. χαμα) Pro χαίρειν reposui θαρρεῖν ex vet. cod.

V. ἐόντων) Rectius fortasse interpungetur post ἐν πᾶσιν quàm post ἐκείνον: vt ἐν πᾶσιν iungatur cum κρατεῖν.

P.587. v. ῶ) Vocabulum κακὸν ex vet. cod. additum fuit. Posset tamen & altera lectio ferri. memini enim me alicubi obseruasse subauditum hoc adiectiuum cum hoc aut huiusmodi verbo eandem constructionem habente: sicut in nostrate sermone id subaudire familiare nobis est, in eodem loquendi genere. Legitur alioqui & infra idem verbum cum eodem nomine, pag.591, καὶ πυθομένου μή τι κακὸν αὐτῷ Ἀριστείδης πεποίηκεν. Vbi etiam animaduertendum obiter poni datiuum, quum hic sit accusatiuus. sed pro αὐτῷ vet. codices habent αὐτόν. ac certè hoc potius quàm illo modo Græci loquuntur.

P.588. v. ασίσῳ) Inuenitur & ita scriptus hic locus, χάριν γὰρ ἔχων ἕκαστος τὸ παρ' ἡμέραν ἄρχειν. Cuius lectionis posteriorem duntaxat partem probo; quæ videlicet παρ' ἡμέραν habet. Conuenit enim cum illis præcedétibus verbis, καὶ παρ' ἡμέραν ἑκάστου στρατη-

γοῦ τὸ κράτος ἔχοντος.

V.καὶ τῆς) Pro ἀποβιαζομένους scriptum est etiam ἀποβιαζομένους.

P.590.v.γίγων) In quibusdam codicibus legitur, ᾔχθετο τῇ ὀνομασίᾳ δόξαν ὑπὲρ τοὺς πολλοὺς ἐχούσῃ.

P.591.v. ὀστράκων) Pro χαλεπαίνοντας legitur etiam φέροντας.

V.γράφη) In vet.cod. αὐτὸν, non αὐτοῦ. quæ scripturæ diuersitas nihil ad sensum facit, sed hoc potius quàm illo modo Græci loquuntur, vt modò dixi.

P.595.v.τῶ) Legitur etiam Κιμωνίδης pro Μυρωνίδης. sed Μυρωνίδου in aliis etiam huius vitæ locis fit mentio.

P.597.v.εαν) Inuertuntur hæc in quibusdam codicibus. habent enim Ἀθηναίοις δὲ Τεγεάταις. atque ita esse legendum, ex sequentibus etiam apparet.

V.στίδης) Pro ἀγωνείας in vet. codicibus legitur συγγενείας. quanuis autem prima fronte lectio quam mea editio habet, (sicut & præcedentes) anteferenda esse videatur, defendi tamen & altera potest, si συγγένεια intelligatur quæ Tegeatis erat cum Lacedæmoniis.

P.604.v.καὶ τοῖς) Hæc verba, καὶ τὰς ἀσπίδας παραπαύοντες καὶ συμπλεκόμενοι, ex vet. codicibus inserui.

P.605.v. ὄνομα) Pro Ἀείμνηστος legitur etiam Διάμνηστος.

P.614.v.τῆς) Post δῆμον quædam exemplaria habent ἔφυλον.

P.616.v.παράλιον) Pro Μαρκίου in vet. codicibus scriptum est Μαΐου. itidémque infrà pag.623 Μάϊον pro Μάρκον.

P.617.v.συμφορὰν) Inuenitur & alia lectio, videlicet, συμφορὰν δὲ τῇ ψυχῇ καὶ τῷ σώματι προσ-

τὴν. Hanc autem sequendo, referentur & hæc ad τὴν ἀδολίαν.

P.619.v.μαδ) Pro δαπάνης legitur etiam διαίτης.

V.καὶ δεῖπνον) Malo δεῖπνον ἁπλοῦς, vt in vet.cod.

P.620. v. σάλπιγγα) Antea legebatur non ἀγῶνας, sed ἀπόνους.

V.πων) Legitur etiam ὑπὸ χρόνου: quod malo, vtpote conueniens cū voce γηροκομίας, quæ subiungitur. Rectius autem scribetur σκυλακείας.

V.σας) Duæ istæ voces ἀφέτους, ἄν, perperam confusæ erant in vnam ἀφεθεισῶν, in præcedentibus editionibus.

P.621.v.τῶ) Eædem pro ἠγωνισμένον habent γεγυμνασμένον.

P.622.v.σαν) Lectio quam habent præcedentes editiones, πολιτείας pro πολυτελείας, nullo modo stare posse videtur.

P.623.v.ἤδη) Est & alia scriptura, τοῦ δὲ πολλάκις ἀρχὴν αὐτοῦ δεξάζοντας.

V.εκλεία) Pro Μάρκον in vet. cod. scriptum est Μάϊον, vt suprà quoque admonui.

P.624.v.σβείαν) Post μήτε πόδας habent quidam codices μήτε χεῖρας: quæ verba non necesse videtur addere.

V.χειτες) Vel προσάπτοιμεν vel προσάπτομεν scribendum fuerit.

P.627.v.μα) Pro ἐπήρετο in quibusdam vet. codicibus scriptum est ὑπήγετο.

V.φέρεσθαι) In præcedentibus editionibus φαίνεσθαι: sed non dubium est quin φέρεσθαι germana sit lectio: id est Extare.

P.630.v.ἀτυχῶς] Participium διαλύσας in præced. editionibus non habetur. Hoc autem si nō addatur, ex διέπλευσεν mutuari opor-

tebit participiũ διαπλδύσας. Verùm quum sæpe verba ἀπὸ κοινοῦ repeti videamus, diuersa hæc repetitio ab iis quæ vulgò receptæ sunt, fuerit.

V.μῦθος] Legitur etiam περιέχει μὲν οὖν ὁ Κάτων τῆς συγκλήτου.

P.633.v.ἔχοντα] Pro εἰσαχθῆναι legitur etiam παραστῆναι.

P.635.v.λει) Legitur etiam Πορκία βασιλικὴ προσηγορεύθη.

P.641.v.θιστάντα) Scriptum est etiam, τὴν ἢ Σωκράτους διατριβήν. Et versu proximè sequente additum παρὰ Μίνω post ᾅδου. Quæ verba, vt huic loco maximè coueniētia, lubēter recipio: at Σωκράτους pro Ἰσοκράτους, nō item.

V.λόγον) Pro τοῦ βασιλέως quidā codices habent τοῦ μεγάλου βασιλέως.

V.προσ.) Meritò quis scribendum hîc diceret ἀποβαλὼν δὲ, nisi alii plerique loci huic similes apud hunc scriptorem, & quidem in hoc opere, essent: vt antea quoque admonui.

P.643.v.πλακ.) Scriptum est in nonnullis ἐργασίας.

V.καὶ λόγοις) Legitur & ἐντυχικάς.

P.644.v.ἐμπιρ.) Malo προσανακινεῖσθαι, vt vet.cod.habent.

P.645.v.σαν) Præcedentes editiones nō κικολασμένην habēt, sed κικλασμένην. Illud participiū quàm hoc malo: sed copulam καὶ (quam etiam habent vet.cod.) illi præfigo, & interpunctionem post νήφουσαν expungo.

P.649.v.δεῖ) Scribendum puto ὄψει.

P.652.v.Κάστωρος) Quidam exempl.habent Κλέανδρος.

P.662.v.ὅσον.) In quibusdam est τάξει, non διάξει.

P.665.v.τιμίως) Legitur etiam ἄλλό τι κτῆμα.

P.667.v.τούτων) Plutarchum existimo scripsisse καθαρῶς.

P.674.v.νεῶν) Auferendam puto particulam δὲ post ἐκόμιζεν, & simul interpunctionem post ὀργιζομένην.

P.675.v.ὀργὴν) Magis placeret ὁμοίως quàm ὅμοιος.

P.680.v.πορείας) Verbum συνεισῆλθε, licet necessariū, desideratur in præcedentibus editionibus.

P.681.v.ἤρξατο) Legitur etiam οἷα εἰς προθυμίαν πρὸ μάχης &c. Sed hæc verba εἰς προθυμίαν non valde huius loci sententiam iuuare videntur, quum sequatur verbū παρορμᾶν.

P.682.v.διείργει) Hunc datiuū ὁπλισμῷ substitui in locum datiui ἀθισμῷ. Illum certè comprobat alterū verbale ὅπλισις, quod mox de eadem re dicitur.

P.685.v.οἷα] Quicūque vel mediocrem linguæ Græcæ cognitionem adeptus est, legendum hîc esse διὰ χρόνου, mihi, vt opinor, assentietur.

P.687.v.παίων) Mirum certè videri possit quòd quum antea in simili loco exemplaria vetera pro τὰς φυγὰς haberent τοὺς φυγάδας, hîc contrà lectionem illam τὰς φυγὰς & ipsa retineant. Locus autem cuius mentionem facio, extat in Philopœmenis vita, pag. 669, in principio. nam hæc quidem editio habet, τοὺς μὲν φυγάδας κατήγαγεν, sed præcedentes, τὰς μὲν φυγὰς κατήγαγεν. atq; adeò lectio hæc veterum codicum, aliis qui sequuntur locis confirmatur: vbi legitur, ὅπως ἐάσωσι τοὺς Λακεδαιμονίων φυγάδας κατελθεῖν. item, αὐτὸς κατήγαγε τοὺς φυγάδας. Neque tamen τὰς φυγὰς reiici debere existimo.

P.689.v.φιλοπολίτῃ) Accusa-

tiuus κεκοσμημένον repositus fuit pro datiuo κεκοσμημένῳ, quẽ præcedentes editiones habent. Verùm non casus duntaxat in casum mutandus, sed etiam vnũ verbum in aliud: nimirum κεκοσμημένον in κεκαμμένον.

P.690.v. καλλίστῳ) Videri possit abundare particula καὶ.

V. ἐγυς) Scribendum puto ἄστρον τι.

P.693.v. τοῦτο) Vel ἄ tolli debet, vel (quod mihi magis fit verisimile) scribendum est absque illis spiritus & accentus notis, vt πρῶτον significet: & intelligamus Plutarchum de primo libro historiarum Catonis loqui.

P. 694. v. ὁρκισμὸν) Repositus fuit accusatiuus hic ὁρκισμὸν pro accusatiuo ὁρισμὸν, quem præced. editiones habent. Nec dubium est quin reponẽdus fuerit. præsertim quum in Marci Catonis vita legatur itidem, προκαλευμένου δὲ τοῦ Κάτωνος εἰς ὁρκισμόν. Habetur autem & in alio huius operis loco idem nomen pro altero positum. atque adeò retinuit lectionem illã vnus ex interpretibus: quippe qui verterit, Sponsione Lucium prouocauit. Alter autem ὁρκισμὸν legit, vtpote ita interpretans, Luciòque, si quid dictum falsò putaret, iuramentum detulit.

P.696. v. οὐδ') Pro ἐπιβὰν legitur etiã ἐφέζεσι, eodem sensu. sed ἐπιβὰν metaphoricum est: ac videri possit id esse propriè quod Naso dixit Instare morientibus, hoc in versu, *At lupus & turpes instant morientibus vrsi.*

P.699.v. μέσων) Repositum fuit ὁπλισμοῖς pro πολέμοις.

P.700.v. στιλίων) Legitur etiam ἐπιχαλουμένας.

P.707.v. τὸν) Est & alia lectio, καὶ θαυμαστῆς ἀρετῆς λόγοι.

P.713.v. τῶν πολ.) Pro πολλῶν quidam cod. habent πολεμιστικῶν, sed me huic lectioni non astipulante.

P.725. v. ἀγῶνας) Scribendum puto, πρὸς τὸ πράσσειν. Dicitur autẽ ὁρῶ πρὸς τοῦτο, pro Intentus sum ad hoc. Quidam tamen absq; præpositione dixisse Xenophôtem tradunt, ὁρῶ τὸ πράττειν. quæ lectio illam Plutarchi confirmaret, nisi ipsamet suspecta esset.

P.732.v. πόνησον) Non dubito quin Plutarchus μνάμενος scripserit: quod hîc eleganti metaphora locum habet.

P.733.v. αἰ δὲ] Verba hæc, ἴσωμ καὶ τὸ ὑκχρτῶν ἄλλος, omnino esse deprauata, nemo non videt. Contigit autem illis (sicut aliis plerisque) hæc deprauatio ex eo quòd sint γλωσσηματικὰ, nimirum ex Dorica dialecto sumpta. Quanuis autem veram lectionem planè cõiectura assequutus mihi viderer, (& quidem aliquot ante hanc editionem annis) nihil immutandum esse censui: ne, quod in aliis plerisque plerunque reprehendo, ipse committerem. Illa igitur lectio quam tibi hunc in locum reseruaui, est hæc, ἴσσεται καὶ τεῦ κάῤῥων ἄλλος. id est, Te quoque præstantior alius quispiam existet. Quæ sententia quàm huic loco sit apposita, nemo, vt opinor, primo aspectu nõ videat. Ad hanc autem cõiecturã me velut deduxit vox κάῤῥονες quæ in aliis duob᾽ huiusce libri locis legitur. In Lycurgo enim pag.96, huius editionis, refertur illud à pueris decantari solitum, Ἄμμες δέ γ᾽ ἐσσόμεθα πολλῷ κάῤῥονες. vbi & præcedentes editiones habent quidem rectè scriptũ κάῤῥονες, sed malè πολλῶν pro πολλῷ. Alter autem locus qui illam vocẽ habet, extat pag.101, πολλοὺς δὲ

ἄνδρας Λακεδαίμων ἔχει τίνου κάῤῥονας. vbi rectius πολλὼς scriberetur, vt totus sermo esset Doricus. Significari autē isto nomine quod Latini dicunt Præstantiores in his quoque duobus locis, nec aliud esse κάῤῥονες quàm quod reliqui dicunt κρείττονες, nemo est qui neget.. Cæterùm libet & alîus cuiusdam erroris admonere qui hac in editione sublatus fuit, quum ex eadem origine esset ortus: nimirum ex eo quòd vocabulum in quo commissus fuit, peculiare vni ex Græcis dialectis esset. Is extat pag. 95, vbi Demaratus, quum à quodam improbo homine intempestiuis interrogationibus obtunderetur, (legendum enim ibi κόπτοντος potius quàm σκώπτοντος, vt in annot. docui) respōdisse fertur ὁ τὶν ἀνομοιότατος, id est, Qui tui est dissimillimus. Ita enim legendo elegantissima & Λακωνικῇ παῤῥησίᾳ conuenientissima est responsio: sed duæ istæ voculæ ὁ τὶν in vnam ὅτι conflatæ fuerant (vt in editionibus quæ meam præcedunt, videre est) ab iis qui τιν Doricè dici pro σοὶ ignorabant. Sed huius loci emendatio potuit & ex alio eiusdem scriptoris loco peti, nimirum ex opere quo βασιλέων καὶ στρατηγῶν apophthegmata recenset: licet non Demarato ibi, sed Agidi dictum illud tribuat. Imò verò nō tam emendatio quàm coniectura emendatrix (vt ita dicam) inde peti potuit. ibi enim ὁ τύνη scriptum est: vbi τυὼνη, quanuis lectorem ad verum loci sensum deducat, esse tamen corruptum arbitror. nam τυὼν Dores dicere in nominandi casu, (adiuncta particula νη ad τὺ, vt in ἐγώνη adiungitur ad ἐγὼ) & ex grammaticis & ex Doricis scriptoribus discimus: at τυὼν ab iisdem in dādi quoque casu vsurpari, neque hi neque illi nos docent, sed tantùm τὶν & τοὶ ab illis dici pro σοί. adeò vt vel ὁ τὶν vel ὁ τοὶ reponendum hìc quoq; sit. Ad illum verò Lycurgi locum quod attinet, deprauata lectio ὅτι, ad ὁ τὶν potius quàm ad ὁ τοὶ nos deducit. Lubenter autem hæc lectori consideranda proposui, vt quanti momenti dialectorum etiam cognitio sit, & quantum adiumenti ad plerosque locos emendandos pariter & intelligēdos afferre posit, perspiceret.

V. τη] In quibusdam cod. est Γοργονίοις: sed hanc scripturam minimè defendi posse existimo.

P. 736. v. καὶ τούτων] Rectius fortasse scribatur τοῦτον.

P. 748. v. σύ ς] Aptius hæc interrogatiuè legūtur: vel potius extra interrogationē non posse legi vidētur, quanuis eius notā præcedentes edit. non habeant. quas vnus interpretum sequutus est, ita vertens, Tu ergo bone vir relinquis nos, domúmque ad petitionē cōsulatus contendis. non enim satis tibi erit collega hoc meo filio (erat is adhuc adolescentulus) cōsulatū gerere. Alter autē ita reddit, Tu verò cogitas, homo præclare, relictis nobis domū redire & petere cōsulatum. Satísne maturè cum hoc meo filio consul fies? Vbi interrogatio quidē ponitur, sed sensus tamē minimè repræsentari videtur, nisi Satísne maturè pro Nónne satis maturè, accipiamus. Ego ita interpretatus fuissem, Quid? ánnon tibi satis erit si eodē quo & meus hic filius tempore cōsul fias? Cæterùm non πλεῖν, sed πάλιν prius legebatur ante ἐπ' οἴκου. Videndum autem an διανοοῦμαι ἐπ' οἴκου dici posit subaudiēdo infinitiuum, vt Latini dicunt Cogito domum, Cogito Romam,

infinitiui modi verbũ subaudiẽtes.

P.749. v. ἠπεῖτο) Si scribatur κτενεῖν, conueniet cum λήψεσθαι.

V. ἐπιφ.) In quibusdam inter αὐτοὺς δὲ & ἀπολέμους interiecta sunt duo hæc verba, τύχῃ σφαλέντας.

P.756. v. τοῖς στρ.) Ex ἀεὶ faciendum puto ὁ δὲ, iungendo cum πέμψας, & interpungendo post εἴσπλουν.

P.757. v. ἡμέραν) Magno, sed manifesto, errore scriptum erat antea θριάμβους pro θιάμβους.

V. λους) Pro ἐλευθερίας legitur etiam Ἰταλίας.

P.759. v. τες) Scribe potius Σεξτίοις, quum ad Latinorum scriptorum autoritatem etiam quorundam exemplarium testimoniũ accedat.

P.762. v. τοῖς) Antea legebatur αὐτοὺς δ' ἐξ ἴσου διαγωνίζεσθαι τοῖς Ῥωμαίοις.

P.768. v. ξάμενον) Quidam codices habent γέγονε post νίκη. sed verbi subauditio huic loco aptior esse videtur.

P.774. v. τοὺ πλείονας) In quibusdam vet. particula μὴ præfixa est accusatiuo πλείονας, & pro ἄλλους habetur ἄλλων. sed ego ne ex hac quidem lectione, nisi adimatur, aptum elici posse sensum existimo. Vnus interpretum ita vertit, Vel quòd ea re crederet fore vt plures alii domum suã celebrarẽt. Alter hoc modo, Siue ratus fore vt eo plures limina ipsius frequentarent. At ego puto hanc esse Plutarchi mentem, Siue hoc in causa esse existimans cur non plures aliorum quàm ipsius limina frequentarent. Vt autem hanc sententiam ex loco illo eliciamus, sequenda quidem erit vet. cod. lectio, sed ei addenda particula ἢ ante αὐτοῦ: vt ita scribatur, εἴτε τοῦτο αἴτιον οἰόμενος εἶναι τοῦ μὴ πλείονας ἄλλων ἐπὶ θύρας ἢ αὐτοῦ φοιτᾶν.

P.778. v. δυνα) Legitur etiam περικλυδωνιζόμενον.

P.779. v. ἑπομένους) Multo rectius περιαποκάμνειν legitur quàm ἀποκάμνειν, vt in præcedentibus editionibus habetur. Vel potius ne ferri quidem istud potest: quũ genitiui τῆς τελευταίας ἐλπίδος aliò quàm ad præpositionem περὶ ferri nequeant.

P.780. v. νιον) Puto ἡναρεία perperam conflatum esse ex ἢ ἀναρεία, præsertim quum aliquanto pòst nomen istud habeamus.

P.782. v. λω) Pro ἐπισκίου legitur etiam παλισκίου. antea autẽ legebatur & ἐπιλισκίου.

P.787. v. γλω) Post ἐστὶ in quibusdam exempl. est participium λέγων: sed minimè necessarium est, quum εἰργνύοιτο significare possit, εἰργνυόμενος ἔλεγε. Paulo pòst legitur in quibusdam Ὀρτιαίους pro Βαρδιαίους. Eodémque modo pag. 789, vbi scriptum est, ἡ τῶν καλουμένων Βαρδιαίων ἀσέλγεια, iidem illi codices habent Ὀρτιαίων.

P.790. v. Πείσων) Pro ἱστορικὸς legitur etiam τιμητικός.

P.795. v. πλοῖα) Existimo φορτηγικὰ in φορτικὰ esse mutatum, noua quadam & minimè permissa syncope. Alioqui φορτηγικὰ tolerabilius esset quàm φορτικά.

P.807. v. αἰνίττες) Pro οἰκεῖόν τι inuenitur scriptum ὁκοῖόν τι, necnon κατῆκον pro κατλῦσι. Illud ὁκοῖόν τι mihi reponẽdum videtur, at de κατλῦσιν adhuc ἐπέχω: nisi pro καθῆκον esse dicamus. Vnus interpretum vertit, De nauium numero quicquid statuere videbitur, id facitote. Alter, Quod de nauium numero statutum fuerit, id facite.

V. ἐργάσασθαι] Expungendum censeo articulum τὴν.

P.815.v.μένος]Particula τε post παρὰ, sicut aliis plerisque locis, pro γε posita est.

P.819.v.λοιπὰ] Repono σωύφαιναι.

P.821.v.ξεις] Pro ὁμοίως nõ dubito quin legi debeat ὁμοίας.

P.827.v.ἐξέπλ.]Ante εἰς Λιβύαν expungenda interpunctio, & Γουργούρθαι potius legendũ quàm Γουργούρθαν.

P.830.v.Σύλλα]Scribo Καππαλίαν.

P.833.v. πίων] Rectius fortasse scribetur ὁπλοιπεῖς: quod dictum sit pro ὁπλοίπους.

P.835.v.ἑαυτοῦ] Reponendum censeo ἑαυτῷ.

P.836.v.μονίαν]Mutandum videtur ἄσγε in ὅσγε.

P.839.v.φιλτύοσιν] Scribẽdum videtur βέλτιον εἴη.

P.840.v.πῖον]Pro καὶ ἀρετῇ legendũ puto βίᾳ τὸ προτέριον μᾶλλον ἢ ἀρετῇ κτώμενοι:aut certè βίᾳ τὸ προτέριον, ἐν ἀρετῇ κτώμενοι.

P.847.v.τὸ πεδίον] Aut τῶ δὲ Γαβινίου scribendum, aut de hoc loco idem quod & de aliis quibusdam dixi antea, est dicendum.

P.855.v.ἠπόρηκας] Aut mutari debet ἠπόρηκας in ἠπόρηκεν, aut mutatam esse orationis formam putandum est, nimirum ἀπὸ τῶ διηγηματικοῦ εἴδους εἰς τὸ μιμητικόν: vt fit interdum.

V.vlt.]Hi nominatiui οἰκουρῶν & περιεργάζομενος in accusatiuos mutandi esse videtur:nisi aliquid deesse dicamus.

P.861.v.λέγεις] Repone φασί.

P.865.v.σας] Vox Μάγνου ex Μαρίου detorta esse videtur, aut Μαρίου:& occasionem errori præbuisse accusatiuus præcedens Μάγνον.

P.872.v.χρύσης]Hæc verba, εἰς ἴνα τῶ φίλων, iungenda potius sequentibus.

P.876.v.πρεσβ.) Pro πολυδήμοις legitur etiam φιλανθρώποις.

P.878.v.μούσιος] Obserua hîc non iam τὸν δῆμον, sed τῶ δήμων scriptum esse:de qua scriptura dixi antea.

P.880.v.μεσὸς]Scribendum puto αἴτια πρὸς τοὺς μεγίστας.

P.891.v.πολιόρκ.] Rectius fortasse χρυσεῖα.

P.899.v.vlt.] Pro λαμβαίων repositum fuit λαμβαίον. quæ emendatio maioris momenti est quàm prima fronte videatur: quum errorem hunc non animaduertens vnus interpretum, participium illud λαμβαίων masculini generis ad Lucullũ retulerit, (ita vertẽs, Et propter varios in bello vsus subinde eum aliis atque aliis rebus Sylla præfecit)quum λαμβάνον scribi debeat,& ad vocem νόμισμα referri.

P.902 .v. Ορχομ.] Reposui ex vet. cod. ἀριστίας pro δυναστείας. Quũ autẽ mẽdũ & hîc esset, πρὸς Ορχόμενον καὶ Χαιρώνειαν, possẽtque accusatiuus in datiuũ mutari, vt à præpositione πρὸς regeretur, sicut & Ορχομένῳ, malui περὶ Χαιρώνειαν scribere, vt legitur pag.911.

P.905.v.κούλλου] Vide num potius legendum sit ἀμφισβητουμένης.

P.906.v.τηφόρον] Non χρυσοφόροις, sed χρυσορόφοις Plutarchũ scripsisse suspicor.

P.910.v.αστα] Quid si ἀρχαιοτέρου pro ἀκρίτου legamus?

P.926.v.μὲν] Pro πολιτικῶν legitur in quibusdam πορνικῶν.

V.λίους] Scriptum fuisse puto nõ ἐλάττους, sed οὐκ ἐλάττους. Neque enim illo, sed hoc modo, soleant historici loqui.

P.941.v.πολεμήσαντες ] Hunc locũ ita fuisse ab autore scriptum, nemo mihi persuaserit. Vnus tamen interpretum lectionem quæ hic (sicut & in aliis editionibus) habetur, sequutus est: ita interpretans, Quorsum ergo attinet nos nullum militiæ finem facere? quin nos quod reliquum est corporum animorúmque, ei reseruamus duci cui nullum pulchrius decus esse videtur quàm ditare milites? Sed non satis hæc duo inter se conueniunt, velle militiæ finem facere, & tamen de sequendo quopiam alio duce cogitare. Quare non dubito quin pro ἴδῃς scribendum sit, & à Plutarcho ipso scriptum fuerit, εἰ δεῖ. Cui meæ coniecturæ alterum interpretem assentiri comperi, ita reddentem hunc locum, Si igitur perpetuò est militãdum, nónne tali duci, cui pulcherrimũ videtur ornamentum militum opulentia, quod reliquum est corporis & animæ, reseruabimus.

P.952.v.vlt.]Pro μιᾷ, quod posteriore loco legitur, crediderim reponendum esse ἅμα. At hæc verba παραδόξω νίκας in vnam vocẽ conflanda esse puto, vt veram lectionẽ habeamus, & quidem cum mutatione aliqua: vt videlicet ω in ο mutantes, scribamus παραδοξονίκας. Ambo tamen interpretes eã quam habemus lectionem retinuerunt, qualemcunque potuerũt sensum inde elicientes. Vnus enim ita vertit, Cæterùm vt athletas qui vno die lucta simul & pancratio coronantur, vocant nouo more Victorias. Alter verò sic, Sed vt ex athletis eos qui eadem die lucta pancratióque coronam meruerũt, mira quadam consuetudine victores excellentiæ ergò nominant. Nam & hunc, quanuis non victorias sed victores interpretetur, nõ aliud tamen quàm νίκας legisse existimo. Verùm in cõpositione quidem hanc significationem habere constat, at extra compositionem nequaquam eam illi dari puto.

P.953.v.πάθοιεν]Non dubium est quin reponi debeat ἀφ' ἄν.

V.7δ]Est quidem valde suspectum verbum ἄδοιεν, sed nihil in mentem venit quod & ad eius scripturam accedat & loco conueniẽtem significationem habeat. fuit tamẽ scriptũ ἅδοιεν potius quàm ἄδοιεν, respiciendo ad eam verbi huius significationem qua pro Placere ponitur: sed omnino poeticũ verbum est. ac ne hi quidem ἅδειν sed potius ἁδεῖν dicunt.

P.956.v.σας τον ] Scribendum videtur ὑπερβαλεῖσθαι, quum ad idem participium feratur ad quod & ἀποδείξειν: nimirum ad ἐλπίσας.

P.960.v.το 7δ]Rectius scriberetur πολλὰ μὲν καὶ μεγάλα.

V.καὶ τί]Reponenda potius altera lectio, Καίτοι τί μαθὼν, vt stet versus: quum alioqui illam vet. quidã codices habeant. Post ταχὺ δίδου autem τελεία στιγμὴ ponenda est, vel potius interrogationis nota: quæ tamen in plerisque vet. libris post interrogatiuas particulas poni non solet. Qui enim sequuntur duo versus, cum præcedentibus hisce verbis iunctam sententiam non habent: quanuis Niciæ itidem mentionem faciant: atque adeò illorum etiam mensurã longè excedant. Fortassis igitur Plutarchus interiecerat aliquot verba, quibus eum hæc in alio eiusdem comœdiæ loco scribere significabat.

V.Ηκούσατ'] Hæc interrogatiuè dici existimo, ideóque interrogationis notam participio εἰλημμένον subiungendã censeo. Possent

tamē & citra interrogationem legi. Sunt autē duo hi versus multo præcedentibus longiores, vtpote quorum vterque trimetri & dimetri mensuram habeat. Verùm posteriori multo melius mensura sua constat quàm priori. Huic enim aliquod vocabulum deesse videtur, absque aliqua saltem mutatione illam diuisionem non plenè admittit. at ille ita diuidi potest, ὑμεῖς γὰρ οἱ συνεκλαβεῖς λάβοιτ' ἂν ἀνδρ' ἄρεσον ἐν κακοῖ τινί; Obserua autē interrogationis notam huic quoque à me subiungi, multo etiam magis quàm præcedenti necessariam: simul etiam reponi ἄν.

P.967. v. κίσ) Pro προσέχειν legitur etiam προσίππιον.

P.972. v. τοῦ σοφοῦ) Legitur etiā συμβόλοις: sed altera lectio cùm aliunde tum ex Xenophonte confirmari potest.

V. χοπὸ τῆς) Particulam negatiuam vnus interpretum expungendam censuit, vt ex hac eius interpretatione liquet, Ac crebrò quòd esset consiliis victus repetens animóq; versans. Non dubiū est enim quin hæc ita reddita sint quasi legeretur, τὸ κρατηθῆναι τοῖς λογισμοῖς. Alter autem non reiicit quidem particulam istam, sed verbo κρατηθῆναι nouam quandam significationem tribuit: ita interpretans, Crebróque animo suo reuoluens quòd suis consiliis non esset obtemperatum. At ego, nec particulam μὴ expungens, nec verbo κρατηθῆναι aliam quàm vsitatam passim significationem tribuens, sic interpretandum hunc locū censeo, Ac subinde repetentem, se nullis ratiocinationibus superatum fuisse. Id est, Nullis eorum qui suscipiendi huiusce belli autores fuissent, ratiocinationibus persuaderi se potuisse, sed contrà habuisse semper suas rationes quas illorum rationibus opponeret, & quibus illos ab incepto deterreret. Libuit autem, quum iam hæc scripsissem, Gallicam quoque interpretationem consulere, (cuius alioqui testimonio vti non soleo, non quòd eius apud me magna autoritas non sit, sed partim quòd ad eam quoque adeundam otium non suppetat, partim etiam quòd à multis eorum quibus hæc scribuntur non intelligatur) quam ita locum illum reddidisse comperi, *En repetant sonnent & sonnent redisant que raison n'auoit point eu de lieu en la conclusion de ceste entreprise*. Verùm μὴ κρατηθῆναι τοῖς λογισμοῖς dici quod non cum ratione susceptum est, (hoc enim verba illa Gallica sonant) quo exēplo probari possit? vt omittam, casum quem cum κρατηθῆναι iungere oporteret, deesse. Habet alioqui hæc interpretatio aliquid in quo mihi assentitur, nimirū quod attinet ad participia ἀναλαμβάνοντα & στρέφοντα. Itidem enim ego minimè ad cogitationem referenda puto, quum dicantur ἀναμβλῦναι τῶν συναρχόντας αὐτοῦ. quod tacita cogitatio efficere non potuisset. Sic autem dicetur aliquis verba aliqua στρέφειν, quum ea sæpe iterat seu repetit, vt ἀνακυκλεῖν ab eodem scriptore alibi dicitur.

P.973. v. ἀλλ' ἔπεσεν) Extat & alia lectio multo hac melior, & quidem quàm omnino sequi debemus, vt opinor, ita scribens, ἑτέρω φασὶν ἔργω τοῦτο τοῖς Ἀθηναίοις ψεῦδος ἐπιπλεῖς. Pro ὅσον autem rectè repositum fuit ὄν, ante χρόνον. Sed & λέγοντες suprà in λέγοντος non malè mutatum fuisset.

P.974. v. ἐδίδε) Accusatiuus γνώμην additus ex vet. codicibus fuit: possit tamen vel hic vel alius e-

iusmodi cum infinitiuo εἰπεῖν subaudiri.

P.975.v.ἥκιστα) Reponendum est λείπεται vel ἐλείπετο, vt conueniat cum ἐθάῤῥει. sed verisimilius est illud in λείπεσθαι deprauatum fuisse quàm hoc, vtpote vicinius. Hæc quidem certè verba, ἐξ ὧν ἐθάῤῥει, opponuntur illis οἷς λείπεται, nihilque aliud hoc loco valet ἐξ ὧν quàm οἷς. Quod tamen in ista interpretatione obseruatum non fuit, Cùm portus Syracusanos occupauit, tum eo in loco castra posuit qui & tutum aduersus ea quæ hostibus potiora esse putabat, præstare posset, & bello absque cuiusquam impedimento gerendo commodus videretur. At in ista contrà obseruatum fuit, Potitúsque est portubus, & locum cepit castris vbi hostes, quibus rebus præstabant, nihil ei poterant incommodare: quibus autem superior erat ipse, his pressurū se sperauit citra impedimētum illos. Poterant tamen illa, ἥκιστα βλαπτόμενος οἷς λείπεται τῶν πολεμίων, magis ad verbum reddi (magis etiam fortasse Græcorum vim exprimendo) hoc modo, Vnde minimè damnum acciperet ex iis in quibus inferior hostibus esset. Sic & illa his opposita, ἐξ ὧν ἐθάῤῥει, Iis in quibus fiduciam collocabat.

P.976.v.φέρειν) Post hæc aptè poneretur interpunctio, quæ ostenderet nō cum participio προσεκπονηθὲν, sed cum nomine λεῖμμα debere hunc genitiuum iungi Quod nomen non pro residuo seu pro reliquiis sed pro defectu accipitur, perinde acsi diceret, τὸ ἔλλειπες τοῦ ἔργου non ipsi Niciæ sed eius morbo imputari debere. Interpretes tamen λεῖμμα ποιεῖσθαι acceperunt simpliciter pro Imputare, seu Acceptum ferre. Vnus enim ita vertit, Cui morbo æquum est imputari siquid ab eo perfectum non fuit. Alter hoc modo, Cui, quòd residuum operis nō fuerit exactum, iure ferendum est expensum. (Qui tamen nescio cur Expensum hic quàm Acceptum dicere maluerit)

P.977.v.κίας) Stare non potest hæc lectio, ὧν δι' ἐλπίδος μεγάλης. ideóque repono ὧν δὲ δι' ἐλπίδος μεγάλης. Quanuis autem mihi nūc in promptu huius generis loquendi non sit exemplum, non dubito tamen quin δι' ἐλπίδος εἶναι ita dicatur vt δι' ἐλπίδος ἔχειν.

P.979.v.ἐφῶντις) Scribendum videtur, οὐχ ὁ Θουκυδίδης μόνον ἀλλὰ καὶ &c.

P.983.v.ὁ Βυζ.) Pro Λέων legitur etiam Γέλων.

V.ὑπὸ) Malim συντυγχανούσαν, vt quidam cod. habent.

P.984.v.θε) Pro ἐθύετο in quibusdam habetur, ἔθυε καὶ διεμαρτύρετο.

P.992.v.κίαν) Plutarchum existimo scripsisse, ἔοικε δὲ οὐ μία. Interpretes tamen lectionem quam habemus, sequuti sunt, sed vnus ea quam verbo ἔοικε tribuit interpretatione adiuuare illā conatus est. Vertit enim, Perhibent Romani multarum Crassi virtutum vnum hoc vitium luminibus obstruxisse, auaritiam. In specie quidem erat vnum: verùm, omnium in eo vitiorum quum esset valētissimum, offuscauit cætera. Alter autē sic reddidit, Sanè Romani tradunt multis Crassi virtutibus vnū auaritiæ vitiū offecisse. Mihi id vnū de multis ei⁹ vitiis quod esset reliquis vehemētius, cætera obscurasse videtur. At ego Plutarchum negatiuā particulam nomini μία præfixisse arbitror, vt dixi. atq; ita fuerit hic sensus, Videtur tamen nō vnū hoc eius vitium fuisse, sed quum &c

Atque ita nihil opus fuerit verbo ἔοικε significationem ab hoc loco alienam tribuere, vt certè tribuitur ab eo qui ἔοικε δὲ μία vertit, In specie quidē erat vnum. Nam & ἔοικε μὲν μία legendum esset, & infinitiuum ἀμαυρῶσαι, qui illi verbo ἔοικε iungitur, in ἠμαύρωσε mutari oporteret.

P. 993. v. φασὶ] Aliam quampiā lectionem sequutus esse videtur vnus interpretum, ita reddens hunc locum; Ferunt enim nullam ita exiguam aut abiectam fuisse causam quam non posset ex tempore agere. Nisi fortè negatiuam particulā ipsemet ex coniectura addidit. Sed nō video quid ea hîc opus sit, nec cur putandum sit Plutarchum de exigua & abiecta causa quàm de magna seu magni momenti, aut difficili, dicere maluisse. Imò verò si negatiua particula vlla fuisset, potius dixisset, vt opinor, οὐδεμίαν γὰρ οὕτω δίκην φασὶ μεγάλην οὐδὲ πολλοῦ ἀξίαν γενέσθαι, πρὸς ἣν ἀπαράσκευος ἦν ἐλθεῖν. quum dixerit contrà, οὐδεμίαν γὰρ οὕτω δίκην φασὶ μικρὰν οὐδ᾽ εὐκαταφρόνητον γενέσθαι, πρὸς ἣν ἀπαράσκευος ἦλθεν. Ideóque rectè alter interpres videtur reddidisse, Nullam enim referunt causam fuisse adeò tenuem & leuem ad quam imparatus accederet. Ac certè optimè hoc conuenit cum iis quæ dixit, illum ἐπιμελείᾳ καὶ πόνῳ τὸν ἀφυεστάτους ὑπερβαλεῖν. qui enim ἀπαράσκευοι ad agendas causas veniunt, & quidem agere illas possunt, illis cōtrà ἐπιμέλεια καὶ πόνος minimè necessaria sunt. Sed vicissim non satis conuenire hoc cum sequentibus, obiiciet fortassis alter ille interpres. quam etiam ad ea respexisse suspicor: præsertim quū ἀλλὰ reddiderit Itaque. Illis enim, Nullam fuisse causam quam non posset ex tempore agere, consentanea videntur hæc, Itaque aliis orare recusantibus, ipse patrocinium suscepit. Verùm vt omittam quam attuli rationem, ob quam hic locus negationem non admittit, nihil nos mouere debent hæc quæ subiunguntur, quum ἀλλὰ καὶ reddi possit Sed tamen.

P. 995. v. ὥρας] Repositus fuit datiuus ἡδοναῖς in locum datiui ὥραις ex vet. codicibus. Videtur autem genitiuus ὥρας huic errori occasionem præbuisse. quis enim mendosum hunc datiuum ὥραις hoc in loco non fateatur?

P. 1002. v. που] Pro σκυθρωπὰ legitur etiam χαλεπά. sed illam lectionem malo.

Ibidem, v. χρόνον] Non μικρῶν sed μακρῶν antea legebatur, manifesto errore: & qui tamen vnum ex interpretibus latuerit. vertit enim, Ac duobus millibus armatorum in eam insulam coniectis, bellum seruile illic denuò consciuit: quod non ita dudum sopitum, facilè potuit pestiferis facibus resuscitari. At verò alter mendum animaduertit, vt ex hac eius interpretatione apparet, Immissísque in eam insulam duobus suorum millibus, rursus ibi bellū seruile, haud ita pridem sopitum, ac exiguo tātùm aliquo fomite opus habens, resuscitare. Sed lubet locum proferre in quo litera κ literæ α par pari reddidit. in quo videlicet vocabulum μικρὰ sedem vocabuli μακρὰ occupauit, sicut hîc sedem vocis μικρῶν à voce μακρῶν occupatam esse videmus. Is est in AEschinis pro Ctesiphōte oratione. vbi quum ille Demosthenem genere loquendi Græcis familiari μακρὰν κεφαλὴν appellet, exemplaria quædam μακρὰν in μικρὰν deprauarunt. Hanc autem depra-

tiationem sequens Ioachimus Perionius Benedictinus Cormœriacenus monachus in sua interpretatione Demostheni paruum caput obiecit. Vide lector vt in erroribus alioqui leuibus ipsi etiam (si fas est dicere) monachi hallucinentur.

Ibidem, v. διαῤῥήσσ] Pro ἀποστάντων legitur etiam ἀποστραφέντων.

P.1009.v.σαυ] Hæc verba κατ' αὐτὴν in præcedentibus editionibus deerant.

P.1010.v.μετά γε] Malim scribere μέγιστον ἁμαρτημάτων γενόμενον.

P.1015.v.ἐρῶν] Repono δυσχερέστατον.

P.1016.v.νίας] Pro σκιὰς legitur etiam σκηνάς.

P.1017. v. μεν] Reponendum puto περιεχομένους.

P.1018.v.ταπεφρ.] Pro ὑφάσμασιν nonnulla exempl. habent σκεπάσμασιν.

P.1019. v. τι λαβεῖν] Scio afferri hîc ex côiectura aliam lectionem, mutantem στρατηγοῦντες in στρατηγοῦντα: sed nec eam admittei, (vt certè non vnam ob causam reiicienda est) nec aliam quàm eam quæ hic habetur quæret quisquis obseruarit apud Plutarchum verbi στρατηγῶ vsum cum infinitiuo: de quo vsu & antea aliquid me obiter dixisse arbitror.

V.δ' ἄλλην] Pro ἄτακτον legitur etiam quod contrariam significationem habet, nimirum εὔτακτον.

P.1020.v.ἔξωθεν] Rectius scriptum iri puto ἀμύνεσθαι. In tot locis tamen huius ipsius operis præsens infinitiui pro futuro iunctū verbis huiusmodi reperitur, vt propemodum an mendosæ sint tales scripturæ dubitem.

P.1023.v. πολλὴν] Infinitiuos κομίζειν & ἀπολιπεῖν obseruare potius (vt opinor) quàm suspectos habere debemus. Prima autem fronte se offert articulus τοῦ, qui vel præfigendus vel subaudiendus videri possit.

V.ζαν] Pro πρεσβύτης scriptū est etiam πρεσβύτερος.

P.1025.v.κιναῖς] In præcedentibus editionibus legitur καταβαλλόντων: quod participium nullum hic locum posse habere videtur. Sed & εἴχοντο reponi debet.

V.σύνατος] Hunc locum aliter interpunxi quàm interpūctus antea fuerit, quum στιγμὴ post genitiuum Καρχάνου posita esset: perinde videlicet acsi ὑπὸ Καρχάνου iungi posset cum verbo πυνθάνεται. Ac certè interpretes hanc interpunctionem sequuti sunt. Vnus enim vertit, Id verò consiliū quum maximè curandum fuisset nequis maturius Carrensium cognosceret, Andromachus homo perfidissimus ex ipso Crasso intellexit: imò & ducem eum itineris Crassus delegerat. Alter sic, Id quum nullum Carrenorum intelligere ante tempus oportuisset, intelligit ex Crasso perfidissimus omnium Andromachus, quem insuper delegit itineris ducem. Vsus est autem vterque verbo Deligere, quod nihil cum participio πιστευθεὶς commune habet. Estque obiter & hoc obseruandum, dixisse Plutarchū, καὶ τοῦτο πιστευθεὶς, τῆς ὁδοῦ τὴν ἡγεμονίαν, per appositionē: perinde videlicet acsi quis ita loquatur, καὶ τοῦτο πιστευθεὶς, ἤγουν τῆς ὁδοῦ τὴν ἡγεμονίαν. vel τῆς ὁδοῦ δηλαδὴ τὴν ἡγεμονίαν. Possumus etiam dicere, καὶ τοῦτο πιστευθεὶς, τῆς ὁδοῦ τὴν ἡγεμονίαν, perinde esse acsi dixisset, καὶ αὐτὴν πιστευθεὶς τῆς ὁδοῦ τὴν ἡγεμονίαν: hoc sensu, Non solùm resciuit eos fugam moliri, sed

eius etiam fidei cōmissum à Crasso fuit hoc negotium vt vix dux esset. Debuit autem vis participii πιστευθεὶς exprimi, vel eo nomine quòd Plutarchus in eo ad præcedens nomen ἀπιστότατος alludat: quasi diceret, dignum scilicet fuisse τὸν πάντων ἀπιστότατον cui Crassus & hoc πιστεῦσαι vellet.

P.1029. Pro prima huius paginæ voce Πομαξάθρης habetur alia in quibusdam exempl. videlicet Ἀξάθρης.

V.των) Post βαρβαρικὴν quidam codices habent genitiuum γυναικός.

P.1030.v.εἰς πόρνας) Præced.edit. habent duntaxat παννυχίδας sine adiectiuo illo ἀκολάστους. Sed bellè conuenit cum eo quod paulo antè dictum fuit τῶν Μιλησιακῶν ἀκολασημάτων.

P.1032.v.νον) Pro πρότερον scriptum est etiam μᾶλλον.

P.1035.v.πικῆς) Sequēda potius exemplaria in quibus habetur ἀπώλοντο.

P.1044.v.ιν) Pro διηκρίβησαν legitur & διημαρτήκασιν.

P.1048.v. -ψατο ) Non Λούσιον sed Κλούσιον, non Θαράνιον sed Θεράνιον, quædam exemplaria habent.

V.κινδ) In nonnullis cod. non μάχης sed τύχης scriptum est. Non dubito autem quin lectio illa huic anteferenda sit. Vertit autem vnus interpres hæc verba, πάσης ἐξαναδυομένῳ φανερᾶς μάχης, Qui omni se explicaret aperta pugna. Alter verbo Subterfugere vsus est: quod malo.

V.αἰθρώπων ) Pro ἄπυρον legitur etiam ἄσπορον. sed lectionem illam alii huius ipsius operis loci confirmant. Verùm δίαιται ἄπυροι non de iis tantùm dicitur qui sine pane viuūt, (vt vnus ex interpretibus δίαιταν ἄπυρον καὶ ἄσκηνον reddit Viuere sine pane & tentoriis ) sed de iis qui cibis non coctis vescuntur, quicunque illi sint. Sic etiam ἄριστον ἄπυρον dixit hic scriptor in Marco Catone, pag. 619, in quo cibi non cocti sed crudi eduntur. Itémq; apud eundē in libello qui inscribitur, Πότερον Ἀθηναῖοι κατὰ πόλεμον ἢ κατὰ σοφίαν ἐνδοξότεροι, legimus ἄπυρα σιτία. vbi scribit, οἱ μὲν στρατηγοὶ πολλάκις παραγγείλαντες ἄπυρα σιτία κομίζειν, ἐξῆγον ἐπὶ τὰς μάχας τοὺς ἄνδρας. Cui similis est hic apud Suidā locus, ὁ δὲ παρήγγειλε τοῖς Μακεδόσι πεντε ἡμερῶν σῖτα παρασκευάζειν ἄπυρα. Cui loco subiungit, ἄπυρον ἑφθὴν esse τὴν δι' ὀπώρας καὶ λαχάνων. veluti vbi dicitur de Zenone, eū ἀπύρῳ ἑφθῇ κεχρῆσθαι. Sed illum interpretem dum ἄπυρον vertit Sine pane, ad πυρὸς, nō ad πῦρ, respexisse existimo: quasi nimirum ex illo, non hoc, vocabulum istud compositum esset.

V.θαμβούς) Scribitur potius ἀχαρῆ quum nōn additur substantiuum, vt te docebit meus linguæ Græcæ thesaurus.

P.1056.v.τῶν βαρβ. In quibusdā est Τίγρην, non βαρβάρων.

P.1058.v.χωρήσ.) Scribe potius μεγαλοφροσύνης in genitiuo, vt & aliqui veteres libri habent.

P.1059.v.τὴν Ἰβ.) In edit. Ald. & Flor. legitur ἡγεμονία, litera α non habente ι subscriptum: quod facit vt pro accusatiuo ἡγεμονίαν (quem malo) irrepsisse existimem.

P.1061.v.σκηνὴν) In præced.editionibus legitur ἀναπονθῆναι, quod in ἀναπείσεσθαι ( ita enim scribi debet) rectè mutatum fuisse ex vet. cod. nemo non fatebitur, qui in autorum Græcorū lectione versatus fuerit. Passim enim aliquem ἀναπείθεσθαι πρὸς τὴν ἐλπίδα,

δεῖ, seu τὰς ἐλπίδας, & aliquem αὐτῇ περὶ διαφορὰς τὰς ἐλπίδας, metaphoræ elegantissima dicunt.

P.1062.v.μένοντος] Legitur etiam συμπίνοντας.

P.1074.v.καὶ τοῖς] Quamuis sequatur non multo pòst τοὺς ἵππους ἐγχαλινοῦν, minimè tamen χαλὸν hic in χαλινὸν mutari debere existimandum est. quum enim dicit, διεξπεδίσαντας αὐτοὺς καὶ τοῖς ἵπποις χαλὸν ἐμβαλόντας, perinde est acsi diceret, διεξπεδίσαντας αὐτοὺς καὶ τοὺς ἵππους.

V.χωρῆσαι] Reponi omnino necesse est ἐπιδρόμων.

P.1075.v.γονεν] Legitur etiam φειδόμενος pro κηδόμενος, non multum diuersa significatione.

P.1076.v.Max.] Pro hoc genitiuo habetur in quibusdam genitiuus πολεμίων.

P.1079.Pro συνεφάψηται (quod primum est huius paginæ vocabulum) legitur etiam νῦν ἐφάψηται. sed illam lectionē huic antepono.

P.1080. v.ματος] Non fuit necesse dicere προδιομένου vt conueniret cum genitiuo ἀγήματος: quoniam nomen hoc est collectiuum.

V.νῦ] Rectius scribetur αὐτοῖς, vt quidam cod. habet: vel αὑτοῖς, id est sibi: ita interpretando, Vociferantes Eumenē sibi vocare iubebant. Vnus tamen interpretum perinde reddidit acsi non scriptum esset βοῶν, Εὐμένη καλεῖν αὐτοῖς, sed βοῶντες Εὐμένη ἐκάλεσαν: ita interpretans, Cūm clamore Eumenem vocauerūnt. Est alioqui vsitatum & alibi hoc verbum βοᾶν cum infinitiuo, pro Iubere clamando, vel poscere, Cum clamore iubere, seu flagitare. vt in hac ipsa Eumenis vita, pag. 1085, ἄγειν βοῶν.

P.1081.v.ἔπεμψαν] Pro ἱπποτασρίαις καμήλοις non dubito quin reponendum sit ἱπποτασρίαις καμήλοις. Vnus interpretum vertit Hispastriis camelis, lectionem quam habemus retinens: alter autem, Dromedis. Quod vocabulum Dromedis typographico fortasis errore pro Dromadibus positū fuit. Est certè δρομάδων satis frequens mentio apud scriptores Græcos. Atque adeò apud hunc ipsum, in eo quod in manibus nunc habemus, opere, legitur cùm alibi tum in Alexandro: vbi scribit, τῶν πάλαι τις βασιλέων ἐκφυγὼν πολεμίους ἐπὶ καμήλου δρομάδος, ἐνταῦθα καθίδρυσεν αὐτήν. Apud Latinos quoque hæc appellatio reperitur. Liuius Maced. belli lib. 7, Ante hūc equitatū falcatæ quadrigæ, & cameli quos appellant dromadas. Vbi si Liuius intellexit camelos alio nomine dromadas vocari, (sicut Gallicè *dromadaire* appellatur quiuis camelus) ei minimè assentiri posim. Ita enim sentio, δρομάδας, velut epithetum, additum aliquando fuisse discriminis constituendi gratia. Sed ἱπποτάσριαι quæ erant? (liceat enim hîc fœminino genere Græcorū more appellare) aliúdne genus quàm earum quæ δρομάδες dicebantur? Hoc equidem mihi non fit verisimile: quin potiùs δρομάδας, alio nomine ἱπποτασρίας fuisse vocatas arbitror, ad differentiam earū quæ veterini generis essent, vt Pliniano vocabulo vtar. Quæ enim ad cursum velòciores erant, eædem certè inequitare volentibus aptiores. At nostra lingua dromadum appellationem latiùs extēdit, (vti dixi) vocās *Vn dromadaire* quemuis camelum: ac potissimùm ab antiquioribus huius linguæ scriptoribus id vocabulum vsurpatur.

P.1089.v.Λαμπρ.] In omnibus nostris codicibus scriptum erat Λαμπιδοῦς. Item Ἰωνίας pro Εὐπωλίας, in quibusdam.

P.1090.v.ἀπεῖπε] In nonnullis scriptum est, ἀπεῖπε μήτε πλαςῶν μήτε μιμητῶν τινα μιμήσασθαι. quæ lectio vereor ne profecta sit ab aliquo cui verbũ hoc μιμηλαῖ nouum fuerit: quum alioqui verã esse hanc lectionẽ, & Laconicè loquenti magis conuenientem, ex aliis etiam locis constet.

V.βασιλείδια] Hinc emendari potest locus huius scriptoris, initio libri περὶ παίδων ἀγωγῆς, vbi res eadem commemoratur. quum enim illic editiones quæ meam præcesserunt, habeant, ὑπειπόντες ὡς οὐ βασιλείας ἀλλὰ βασιλίδας παρέξειν αὐτοῖς διανοοῖτο, non dubium est quin βασιλίδας, quod reginas significat, mutandum sit vel in βασιλείδια vel in βασιλίσκους. Vtro modo quis scribat, perinde est: Quum eadem sit amborũ dimi nutiuorum significatio. Sed in illa voce βασιλίδας vnius potius dimi nutiui, nimirum βασιλείδια, quàm alterius vestigia habemus. Atque adeò verisimile est ex βασιλείδια fecisse quempiam βασιλίδας cui hæc forma ὑποκοριςικοῦ ignota esset. In mea tamen editione legitur βασιλίσκους, ex quorundam vet. codicum autoritate. Quo vocabulo vsus est Heraclides etiam quidam apud Athen. lib.13, eandem historiam his verbis referens: καί φασι περὶ Ἀρχιδάμου τοῦ βασιλέως, γυναικὸς αὐτοῦ καλῆς φαινομένης, ἑτέρας δὲ αἰσχρᾶς καὶ πλουσίας, ὡς ἀπέκλινεν ἐπὶ τὴν πλουσίαν, ζημιῶσαι τοὺς ἐφόρους αὐτὸν, ἐπιλέγοντας ὅτι βασιλίσκους ἀντὶ βασιλέων τοῖς Σπαρτιάταις γεννᾶν προαιρεῖται. Quem locum eo quoque nomine proferre libuit quòd ex eo aliquid amplius quàm ex vtroque Plutarchi discamus: nimirum Archidamum in ducenda parua vxore diuitiarum rationem habuisse. Sed ex Plutarcho vicissim adiuuandus esse videtur iste Heraclidis locus: quum minimè rationi consentaneum sit vt quæ deformis & diues est, fœtus pusillos edat potius quàm ea quæ formosa sit. Qua de re lectorem monuisse mihi nunc est satis. Is certè cuius interpretationem edidi, veram lectionem in eo Plutarchi loco sequutus est, vertens Reguncolos: (hoc enim maluit quàm Regulos) at is qui antea libellũ illũ verterat, falsa lectione decept⁹, reddiderat Reginas: si modò nulla eius interpretationi facta fuit ὑπό τινος παραδιορθωτοῦ iniuria.

P.1091.v.Μὴ σίδηρ] Pro βλάψῃ legitur etiam βλάςῃ. quod mihi valde placet. vt his verbis μὴ βλάςῃ σίδηρ significetur, ne ex ee nascatur. At βλάψῃ nec cum σίδηρ nec cum alio huius versus vocabulo iungi potest.

P.1092.v.νείαν] Est & alia lectio per datiuum, ἐπὶ τῇ κληρονομίᾳ: quam reponendam esse censeo.

V.προσπ.] Nõ dubium est quin reponi debeat προσπεπτωκότα.

P.1093.v.τῆς προς] Post ἁρμονίας quidam cod. habẽt ἢ προνοίας ἢ πομπότητος. quæ verba vereor ne supposititia sint: vel potius hoc ita esse persuasum habeo.

V.Ἀγησιλ.] Post πολεμῆσαι posita fuit interpunctionis nota: vt genitiuus Ἑλλάδος cum aduerbio ἀπωτάτω iungatur. Alioqui scribẽdum fuerit προπολεμῆσαι, quosdã ex vet. cod. sequendo.

P.1094.v.μιν] In quibusdam additur accusatiuus πάντα post συμπερῄποντες δὲ, non post Λυ-

σωφρονος: vt videlicet ad illud participium, non ad verbum ἐψηφίσαντο, pertineat. Paulo pòst autem aduerbium μόνον post ἑαυτοῦ positum est.

V. διαπρᾶξ.] Pro διαπεπρᾶχθαι ἀγαθὸν legitur etiam ἀγαθὸν ἅμα πεπρᾶχθαι.

V. ἐκεῖνον] Legitur etiam τῆς μετ' αὐτῆς, item θύουσί σε, paulo pòst.

V. τὸν Ἀγησ.] Pro ἔσφαξε scriptum est in quibusdam ἐσφαγίασε.

V. ξε μισθ.] Legi etiam posſit αὐτὸν, ſubaudiendo ex præcedentibus nominatiuum.

V. μισῆσθαι] Non ἀμαθίαν ſed ἀπάθειαν quædam exemplaria habent: quæ lectio valde mihi placet. habet enim hoc vocabulum huic facto peculiariter conuenientem ſignificationem: ac præterea qui ἀπάθειαν hîc dicit, non excludit ἀμαθίαν. quanuis alioquin ἀπάθειαν Pyrrho ſapienti tribuat, teſte Cicerone. Proximè autem ſequentia verba in præcedentibus editionibus ſunt τοῦτό τι ϛρατηγοῦ, quum manentibus iiſdem literis ſed ſyllabis aliter iunctis, legendum ſit τοῦ τότε ϛρατηγοῦ.

P. 1095. v. καὶ βαρεῖα] Scribe ὁπλίτας θύρας, ex conſenſu omniũ noſtrorum codicum.

P. οὐδεὶς] Legitur etiam ἐνδοξότερος pro δεινότερος. ſed hîc περὶ τῆς δεινότητος potius quàm τῆς δόξης agi videtur.

P. 1096. v. μοι] In nonnullis ſcriptum eſt, δὸς δέ μοι τινα πρᾶξιν καὶ χώραν.

V. σμος] Pro Μιθριδάτην legitur etiam Σπιθριδάτην. quæ lectio aliorum locorum teſtimonio comprobatur: ideóque rectè vnus interpretum Spithridatem, non Mithridatem ſcripſit.

V. φέρον] In quibuſdam eſt ἐπιβούλευσιν.

V. κία] Legitur & ϛρατηγίας, nec non ϛρατιᾶς. Huic quidem lectioni locus eſſe non poteſt, at illi non minus quàm ei quæ in textu habetur. Sic verò & alibi in his vocabulis variant exemplaria.

P. 1097. v. αὐτοὶ] Scribendum eſt νενικηκότας, vt conueniat hic participii accuſatiuus cum accuſatiuo μυρίους.

V. σον] Pro προσειπὼν legitur etiam προειπὼν, quod malo. Cõtrà verò pag. proximè præcedente, verſu tertio, quum itidem προεῖπεν habeant quædam exemplaria pro προεῖπεν, malo προσεῖπεν.

V. ταχὺ] In noſtris vet. exemplar. non ψιλῶν ὁπλιτῶν, ſed ψιλῶν ὁπλιτῶν legebatur. quã lectionem amplector, & mecum omnes amplecti debent: tum quòd rectè ψιλοὶ opponantur πολεμικοῖς, tum quòd contraria ſint quæ hîc coniunguntur, nimirum ψιλοὶ & ὁπλῖται. Neque enim ignotum eſt ψιλοὺς leuis armaturæ milites appellari: ὁπλίτας grauis armaturæ. Idcóque vnus interpretum alterum ex his genitiuis in ſua interpretatione prætermiſit: nimirum poſteriorem, ὁπλιτῶν: ita reddens hunc locum, Itaque Ageſilaus pro leuis armaturæ militibus multos & bellicoſos eos nactus eſt. Vbi pro Eos ſcribendum videtur Equites. Alter verò retinuit quidem vtrunque genitiuũ, ſed priori ψιλῶν aliam potius quàm paſſim receptã ſignificationem dedit. ſic enim locum iſtũ reddidit, Ita factum breui vt Ageſilaus pro vilibus peditibus frequentes haberet & fortes equites. Vide lector quid verè germanæ lectionis ignoratio faciat, quàm multa diuerticula interpretes quærere cogat, multum in iis laborantes, quum recta via nihil

omnino laboris exhibitura illis esset. Neque verò quum hoc dico, ignorationem talem vllis interpretibus, quicunque sint, adscribendam censeo, (nihilo certè magis quàm eum qui in tenebris rectam viam tenere non potuerit, accusandum esse dixerim) sed potius eorum vicem doleo, quibus ad molestum & grauem interpretandi laborem is etiam accedit quòd cũ mendosis exemplaribus illos conflictari oporteat. Nec vicissim tamen quorundam interpretũm plusquam supinam ignorantiam accusandam esse nego, qui sua exemplaria in apertissimis etiã mẽdis sequantur. Quãuis enim tenebræ obstare soleant ne recta via cernatur, (vt in illa comparatione maneam) sunt tamen & loca quædam quæ ita nobis longo vsu cognita esse debent vt ne Cimmeriæ quidem tenebræ quominus rectum iter per illa teneamus, obstare debeant. Apertissima autem mendá voco quale est in hac ipsa pagĩna, & quidem paucis ante versibus, ἀπόεργις in edit. quæ meam præcedunt, pro ὑπόεργις. Idem fortasse & de genitiuo μικρῶν pro μικρῶν dici possit in vita Crassi, (cuius erroris ibi mentionẽ feci) quãuis ab altero interpretum duntaxat sit animaduersus. Vicissímque illa μικρὰ κεφαλὴ (de qua ibi dictum à me fuit) pro μικρὰ, his annumerari fortasse possit.

V.σαῖς) Priore loco pro præsenti μάχεσθε inuenitur scriptum futurum μαχεῖσθε.

P.1098.v.τεῖ τῆς) Legitur ἀπεχθέστατον in omnibus nostris codicibus: quod malo: quoniã plus est ἀπεχθέστατος quàm ἐπαχθέστατος. Paulo pòst autẽ nõ dubiũ est quin ἀπέτιμα p ἐπέτιμα reponi debeat.

P. 1099. v. εἰς). Pro ἐπιφανῶν scriptum est ἐμφανῶν in omnibus nostris codicibus: & rectius. siquidem dicitur potius aliquis esse ἐπιφανὴς, id est Illustris, siue insignis: aliquid autem esse ἐμφανὴς, id est Apertum, Euidens.

P.1100.v.χεν) Legitur etiam πάλιν παραχθυομένου καὶ μεταβαλομένου.

P.1101.v.δῶρον) Non Ἀδαίῳ sed Ἰδαίου quidam codices habent.

P.1102.v.αὐτὸν) Pro ἀποστραφεὶς legitur μεταστραφεὶς in nostris codic. quæ participia valde differentem, hoc præsertim loco, significationem habent, vel potius cõtrariam. quum ἀποστραφεὶς sonet Auersatus, Auertens ab eo faciẽ: seu Auersa facie. at μεταστραφεὶς, Cõuersus ad eum, Conuersa in eũ facie. Non dubium est autem quin μεταστραφεὶς potius cõueniat huic loco. ideóque magis hanc interpretationem probo, Reiecto in eũ vultu: quàm alteram, Auersa facie. Iã verò & in verbis quæ Plutarchus eum μεταστραφέντα dixisse tradit, vel potius in vno eorum verborum, non parum est discriminis inter veterum codicum lectionem & eam quã editiones typographicæ habent, & ipsi quoq; interpretes sequũtur. Quũ enim dicatur in illis edit. ita loquutus esse, ὡς χαλεπὸν ἐλεεῖν ἅμα καὶ φρονεῖν, vet. cod. habent non φρονεῖν sed φιλεῖν. Qui infinitiuus quum prima fronte minus aptus videri queat, longè tamen aptior ex eo sententia & magis huic loco conueniens elicitur, vt apertè ostendã. Sed prius vt ab interpretibus versus est referam. Vnus ita reddidit, Vt arduũ est simul miserari & sapere. Alter, Difficilè est simul miserari & sapere. Ego χαλεπὸν nõ pro difficili seu arduo, sed pro graui seu acerbo accipiens, & lectionem veterũ cod. sequens, quæ est, ὡς χαλεπὸν ἐλεεῖν ἅμα καὶ φι-

λεῖν, sic interpretor, Quàm graue est misereri simul & amare. vel, Quàm acerbum est &c. Perinde acsi diceret, Quàm graue mihi est eum relinquere quẽ & misereor & amo. At verò retinẽdo alterum illud verbũ φρονεῖν, perinde erit ac si diceret vix fieri posse vt is qui miseratur sapiat. Quæ verba multo minus aptam sententiam habere vidẽtur. Cæterùm particula ὡς vel accipi potest in ea significatione quæ illi in præcedẽtibus interpretationibus datur, vt videlicet admirationi seruiat: vel accipi pro ὅτι, vt non interpungatur post εἶπεν :. & sit εἶπεν ὡς χαλεπὸν ἦν (subauditur enim hoc verbum) pro εἶπε χαλεπὸν εἶ).

V. τε σωφροσ.) Pro καὶ ἀπελείας legitur in vet. cod. καὶ τῆς ὀλιγωρίας. Sed ego pro ἀπελείας reponẽdum potius cẽsuerim vocabulum quod scripturam pene eandem habet, vnica videlicet litera differens, ἀφελείας.

V. πέραν) Adiectæ fuerunt hæ duæ voces, καὶ ἀπελασθέρα, ex vet. cod. sed videri potest accusatiuus ἀπελασθέραν magis ἐπεξηγητικὸς esse quàm orationi quicquam addere.

P. 1104. v. πόθον) Pro Δημοστράτου legitur in omnib' nostris vet. Ἐρασιστράτου, & quidem præfixo articulo τόν.

V. που) Hæc verba, ὡς ἴσχεσε δυνάμεως εἶχεν, in præced. editionibus non leguntur.

V. λεῖπε) Ex vet. libris petita est hæc lectio ἤδη πορθούμεθα. antea enim legebatur διαπορθούμεθα, non præfixo illo aduerbio.

P. 1106. v. vlt.) In vet. est ἑαυτοῖς: quam lectionem sequendo, in αὐτοῖς spiritus tenuis in asperum mutandus fuerit.

P. 1108. v. Ἀπωλ.) Legitur etiam Εὐπωλίαι καὶ Περαιῶται. . .

P. 1111. v. εἰς ἀέρας) In vet. legitur παραγγελλομένης. Paulo pòst ἐπόρθουν pro ἐπολιόρκουν.

P. 1112. v. κρίνατο) Hos accusatiuos in datiuos mutare oportet, assentientibus veteribus etiam: vt legamus, τοῖς δ' μὴ βουλομένοις.

P. 1113. v. καὶ στρατ.) Interpunctio post ἔφυγε est tollenda, & potius ante αἰσχυνόμενος ponenda: vt dicatur αἰσχυνόμενος εἰ ὀφθήσεται. Cæterùm pro στρατείαν repositum fuit στρατηγίαν. cuius vocum in exẽpl. permutationis facta fuit & suprà mentio.

V. ταζμένος) Pro Θεαπαῖς scriptum est & Θεράπναις.

P. 1114. v. σκέψασθαι) Repono σκέψασθαι pro σκέψασθαι, talis erroris in aliis plerisque locis memor. Paulo pòst autem προσιέναι pro προσιέναι.

P. 1116. v. τῆς) Videndum annon φθείρεσθαι sequentibus iungi debeat: sicut alibi hoc verbum cum præpositione εἰς vsurpat habente accusatiuum.

V. τὸ πεὶ) Non Λεῦκτρα sed Τεγύρας vet. cod. habent.

P. 1117. v. δεῖ) Post κοινὸν in nõnullis exempl. interiecta inueniũtur hæc verba, καὶ πρὸς τὴν Ἑλλάδα.

V. πονομεῖσθαι) In quibusdã scriptum est, αὐτονομεῖσθαι τοὺς Ἕλληνας.

P. 1119. v. ἄλλους) Legitur etiam λιπαροῖ τάτε σώματα καὶ τὰ πρόσωπα. sed hæc verba minimè addenda censeo.

V. ζουσιν) Est & alia lectio, τὰς ἐκ τῶν νόμων αἰτίας.

P. 1121. v. ἴφορον) Pro ὑποκαθέσθαι legitur etiam ὑποκρίνασθαι.

V. Θηβ.) Post Ἐπαμινώνδαν adiectum est in quibusdam διὰ τοῦ Εὐφόρου. sed hoc satis intelligitur, etiamsi non addatur.

P.1123.v. λεως ] Pro πάματος scriptũ est in vet. cod. πλάσματος. Vtitur autẽ verbo ἐπλάσαν in fine huius paginæ, à quo est nomen illud.

P.1124.v. κὴ τῆς ]Pro συμπορευομένων inuenitur in vet. codicibus συνοικιζομένων. Quod participiũ huic loco aptissimum esse videtur: sed dubitare quispiam possit an Plutarchus eo vti voluerit quũ tam vicinum sit illius simplex οἰκιζομένης.

V. βεῖν]Non Εὐθύνου sed Εὐάνου in nostris exempl.erat.

P.1125.v. μόνον ] Est & alia lectio, διάμα ἐσκῶαι χαινόν.

V. οὕτω] In vet.cod. præpositio ὑπὸ, quæ est αὐξητικὴ, nõ verbo ἠγάπησαν sed verbo ἐθαύμασαν iungitur, mutato etiam ordine: hoc modo, οὕτω γὰρ ἠγάπησαν καὶ ὑπερθαύμασαν αὐτόν.

P.1126.v. σιω ] Pro ἀπεινὴς scriptum est etiam ἀπηνής. sed alterã illam lectionem minimè reiiciendam censuerim.

V. νον] In vetustis cod. non τὴν οἰκουμένην, sed duntaxat τὴν πόλιν dicitur δόξης ἐμπεπλησκέναι.

P.1127. v. βίζλω ] Post λιτότητα additur in vet. καὶ καθαρειότητα.

P.1129. v. σιω ]Pro αὐτοῦ scribendum esse videtur αὐτοῦ.

V. ἃ ναι.] Non μὴ βουλόμενος, sed φοβούμενος quidam codices habent.

P.1132. v. χλδ.]Præcedentes editiones post ἐνίους interpungunt, vt ἤδη iungatur cum χλεῖν: at ego cum χλευάζοντας potius iungi crediderim. De hoc tamen subdubitãs, & suum cuique iudicium liberum relinquẽs, neutri loco interpunctionis notam adhibui. Idémque & aliis plerisque locis à me factum esse moneo.

P.1134. v. οἷς]Pro δυσειδὴς scriptum est etiam ἀπαθής.

V. ἄδοξοι] Pro αἰγιλάδ inuenitur etiam ἀπελάται.

V. ὁ Πομπ. ] Vel ἐπεὶ δὲ pro ἔπειτα δὲ poni dicendum est, (de quo particulæ huius vsu in principio harum annotationũ disserui) vel particulam δὲ vacare post ὄντος. Si hanc vacare dicamus, tunc post ἑαυτὸν non fuerit ponẽda τελεία στιγμὴ, vtpote sententia adhuc pendente. Videntur autem interpretes hoc censuisse, quum illam vsque ad hæc verba, ἐν δὲ τούτου, continuent: id est, sententiam seu periodum non claudant ante hæc verba. Vnus enim ita vertit, Postquam ad Cinnam in castra profectus ex crimine quodam & calumnia metuere sibi cœpit, citóque se inde subduxit: quum nusquam cõpareret, per castra rumor & sermo peruasit, interfectum à Cinna adolescẽtem esse. Alter nõ solùm eousque periodum continuauit, sed longius etiam perduxit: sic totum hunc locum interpretans, Quum ad Cinnam in castra profectus, ac ob criminationes & calumnias aliorum sibi metuens, clam sese è medio subduxisset, rumore in castris exorto, adolescentem à Cinna necatum esse, milites iampridem infestos animos gerentes, impetum in Cinnam fecerunt: atque is fugiens à quodam centurione stricto gladio insequẽte deprehensus, ad genua ei accidit, sigillúmque, quod magni erat pretii, protendit. Ego periodum vel non tam longè, vel certè longius etiam perduxissem: quoniam cum vltima (vt ita dicam) parte velut cohærent quæ sequuntur, Cui cẽturio acerbè admodum insultans, Atqui, inquit, nõ veni &c. Potius tamen periodum clausissem his verbis, Impetum in Cin-

nam fecerunt. Sed hoc obiter dictum ſit. quod autem ad ἐπεὶ attinet, nõ dubito quin multum multos torſerit, eum quem dixi eius vſum non animaduertentes, tanquam videlicet imperfectam ſententiam relinquente ſcriptore: aut ſaltem tanquam illi voculæ ſuam ἀπόδοσιν non dante. Quum autem vel pro ἔπειτα poni dici poſsit, vel particula δὲ in ſequentibus abundare, (quam fuiſſe interpretũ opinionem oſtendi) ego alios Plutarchi locos cum iſto conferens, non minus illud quàm hoc admiſerim.

P.1138.v.ρανικὰ] Inſerendum eſſe dico articulum τὰ inter τυραννικὰ & articulum τοῦ: vt legatur, τυραννικὰ τὰ τοῦ γάμου. In fine autẽ huius verſus pro τοῦ Πομπηΐου βίῳ ſcriptum eſt in quibuſdã τοῖς Πομπηΐου δήμοις.

V.βουλεύτ.] Pro τηρεῖν ſcriptum eſt etiam φρονεῖν in quibuſdam exempl. quod magis placet.

P.1139.v.ὁ δὲ] Scribere malim Ῥωμαῖον.

V.Γάϊος] Pro ἀπανθρώπως legitur etiam ἀπαθῶς.

V. Πομπήϊον] Repone τὸν αἴτιον.

P.1140.v.εἰς Σικελίαν] Ita legitur in vet. codicibus, non εἰς Ἰταλίαν.

V.πολεμ.] In antiquis exempl. ſcriptum eſt ὀκτακισχίλιοι.

V.νοσφίου] Legitur & hoc modo, δόξα τοῖς ἄλλοις παρέςη πᾶσι.

P.1144.v.ςὴν] In vet. cod. non σεαυτοῦ ſed σεαυτῷ ſcriptum eſt, vt hîc habetur. necnon κατισχύσας pro περισχύσας. Verùm ad iſta quidem verba quod attinet, nihil in ſignificatione diſcriminis habent: at illa caſus mutatio ſententiam immutat. Nam ſi σεαυτῷ legatur, intelligetur ἰσχυρότερον quàm antea: ſin σεαυτοῦ, ad ἰσχυρότερον referri manifeſtum eſt.

V.θῆσαι] Hîc quoq; ἐπεὶ δὲ pro ἔπειτα δὲ accipiendum fuerit, vel periodus vſque ad hæc verba, οὐ διεμέλλησεν, ſuſpendenda: ideóque ante ὁ δὲ συνάρχων hypodiaſtoles duntaxat nota collocanda.

P.1146.v.τὸν φίλ.] In præcedentibus editionibus legitur αἰθυπάτων pro αἰθ' ὑπάτων. quam lectionem interpretes quoque ſequuti ſunt. verùm αἰθύπατον, quod præcedit, nõ reddiderunt nomine cõpoſito, ſed perinde acſi αἰθ' ὑπάτου ſcriptum eſſet. Ita enim vnus locum iſtum vertit, Quo tempore (vti aiunt) quum quidam in ſenatu quæreret, ecquid Pompeium pro conſule ad bellum mittendum putaret: Philippus, Nequaquam, inquit: ſed pro conſulibus. vtrunque conſulem nullius eſſe pretii exiſtimans. Alter quoque ita vertit acſi ſcriptum eſſet αἰθ' ὑπάτου, & quidem hæc verba Pro conſule, in ipſa reſponſione etiam repetens: hoc modo, Quo tempore aiũt rogante quodam in ſenatu & mirante, Pompeium an pro conſule Philippus eſſet in Hiſpaniam miſſurus, Non tantùm, inquit, pro cõſule, Philippus, ſed pro cõſulibus: notans ambos illius anni conſules nullo numero eſſe. Mihi autem nõ liquet vtrum αἰθ' ὑπάτου pro αἰθύπατον reponendum cenſuerint, ideóque verterint Pro conſule, non Proconſulem, voce compoſita: an potius vt dicti huius feſtiuitatem apertiorem redderent, ita interpretati ſint. Sed retinẽdo αἰθύπατον, itidémque interpretationem conſuetam illi dando, minimè obſcura eſſe videtur huius reſponſi vrbanitas qua ad ſignificationem nominis αἰθύπατος, id eſt proconſul, alluditur. Ideóque re-

ctè quidem pro αἰθυπάτων fuiſſe repoſitum αἰθ᾽ ὑπάτων. at non itidem αἰθύπατπν in αἰθ᾽ ὑπάτου eſſe mutandum cenſeo.

P.1150.v.τῆς λαμπρ.] Pro τῶν τότε πολιτευομένων legitur etiam τῶν πώποτε πολιτευομένων: quæ certè multo maior laus fuerit. Sed ſi τότε in πώποτε mutetur, videtur etiam πολιτευομένων in πολιτευσαμένων vel πεπολιτευμένων mutari debere. Quæ tamen mutatio ex vet. libris itidem non annotatur, haud ſcio an per incuriã prætermiſſa.

P.1151.v.ἐράσμια]Pro ἄγων legitur & ἔχων: ſed dura hæc repetitio participii tã propinqua videri queat.

P.1152.v.πλαν] Scriptum inuenitur & ἀσύμμετρος, vt referatur ad βίος. verùm altera lectio magis mihi placet.

P.1153.v.παν] Scribendum καὶ τὸν Ἴσθμοῖ.

P.1157.v.πολλοὺς] In quibuſdã vet, copula καὶ huic accuſatiuo præfigitur: ſed non placet καὶ πολλοὺς, quum iam multitudinem eorum declararit, dicens, δισμυρίων πλείονας γενομένους. Malim igitur ſcribere, καὶ πολεμικοὺς τοὺς πολλοὺς ὄντας, vt eos magna ex parte bellicoſos fuiſſe intelligamus. Vnus tamen interpretum hanc ſignificationem nomini πολλοὺς non dedit, ita vertens hunc locum, Ipſos prædones, plus viginti millia, neque interficere ſtatuit: neque, vt diſſiparentur aut coirent deintegro inopes & bellatores multi, ſinere exiſtimauit ſecurum. Alter autem eam quam dico ſignificationem nomini πολλοὺς dediſſe videtur: quippe qui ita verterit, Ipſos autem piratas, quorum erat ſuper viginti millia numerus, occidere ne cogitauit quidem: dimittendos porrò, committendúmque vt homines egeni & bello viuere ſoliti plerique, aut in varias regiones diſſiparentur, aut inter ſe rurſus coirent, nullo mòdo cenſuit. Verùm vti dixi, τοὺς πολλοὺς potius ſcribendum eſſe putarem. vt pag.1165, circa finem, legimus, ἀπλισμένους δὲ φαύλως καὶ δέρμασι θηρίων τοὺς πολλούς.

P.1159.v.μαίαν] Non dubium eſt quin pro ἀφικνεῖσθαι reponendum ſit ἐφικνεῖσθαι. qui error & alibi reperitur.

V.πολλὰ]Eſt & alia lectio, τοῦ νόμου πολλὰ κατηγορήσας καὶ τοῦ δημάρχου. μηδένα δὲ πείθων. Eam autem quam habemus lectionem poſſumus aliter quoque interpungere: vt nimirum δήμου ad κατηγορήσας referatur. Vt enim hîc interpunctus eſt iſte locus, δήμου cũ μηδένα iungitur: vt ſit μηδένα δήμου pro τῶν ἐκ τοῦ δήμου. Quẽ loci huius ſenſum eſſe putauit qui ita vertit, Catulus quum multis legẽ reprehendiſſet, neque de populo quenquam mouiſſet. Alter autem interpres, δήμου ad verbum κατηγορήσας referens, ita vertit, Catulus ſolus legem grauiter diſſuaſit, atque populum increpauit. qui neminem quum permoueret, &c. Vtrolibet autem modo locum hũc interpungamus, mirum ſi Plutarchus δήμου, non τοῦ δήμου, ſcripſit.

P.1162.v.σημαστν] Pro ἐπεῖναι ſcribendum videtur ἐπιέναι: quam lectionem ſequutus eſt interpres qui vertit, Irruere Pompeium nũtiantes. Alter autem ἐπιέναι retinuit: quippe qui reddiderit, Pompeium nuntiantes adeſſe. Poteſt autem illud ἐπιέναι aliter quoque verti.

P.1164.v.ἀπιᾶσθαι] Repono ἀφηρῆσθαι.

V. κῆς) In quibusdam non πιτρα κισμυρίων sed πιτρακισχιλίων scriptum est: quod non probo.

P.1169.v. νου) Vel post σοβαρῶς vel ante interpungi potest. Vnus interpretum cum sequentibus iunxit, ita reddens hunc locum, Illum accubuisse, ac præ fastu pileũ vsque ad aures capiti attraxisse. In altera interpretatione incertũ est vtrò referatur. ita enim in ea redditur hic locus, Memorant enim, opperiẽte in conuiuiis atque excipiente alios Pompeio subinde, illum iam accubuisse fastuosè aures & caput habẽtẽ toga obtecta. (Iũgo autem aduerbium subinde præcedentibus, quanuis in mea editione sequentibus iungatur) Obiter autem obseruare oportet & interpretationem horum verborum, ἔχων δὲ αὐτῶν κατὰ τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον. Mirum sanè videri possit, Plutarchum non aliter potius quod significare volebat expressisse: nisi pro κατὰ κεφαλῆς illum καὶ κεφαλῆς scripsisse dicamus: vt certè legisse videtur & vnus interpretum, is nimirum cuius est posterior interpretatio. In ea autẽ minus placet (nam & hoc obiter attingam) nomen ἱμάτιον reddi togam. potius enim eo significari arbitror tegmen capitis, assentiente etiam Budæo: vt in meo Thesauro docui. vbi & aliud huius significationis exemplum ex eodem scriptore in hac ipsa vita protuli, ὑπεξανιστάμενος τε προσιόντι τῷ Πομπηίῳ, καὶ τῆς κεφαλῆς ἀπάγοντος τὸ ἱμάτιον.

P.1173.v. κεῖνον) In quodã exẽplari nõ legitur τοῦ μεγάλου: qui tamen datiuus planè est necessarius. Cæterùm hæc, ἑτέρας ἀποχρῶντα πομπῆς ἀξίωμα καὶ κόσμον εἶ), non rectè ab vno interpretum fuerunt versa, Ad alia exornanda spectacula reseruata. Illa enim Plutarchi verba non aliud sonant quàm, ea quæ θέας ἐξέπεσεν, ad aliam pompam cohonestandam & exornandam satis esse potuisse. Sed propter illa etiam verba quorum interpretatio aliquid difficultatis habet, libet totum locum proferre. Ita igitur ab eodem est redditus, Magnificentiæ autem triumphi, licet in duos dies diuisi, tempus non suffecit: & multa eorum quæ apparauerat, ista pompa exclusa sunt, & ad alia exornãda spectacula reseruata. Alter verò ita vertit, Triumphi quanuis in duos diuisi dies non cepit tempus magnitudinem: sed apparatus magna pars, quæ ad decorandum & exornandum alium triumphum satis suppeditasset, non fuit spectata. Ego θέας ἐκπίπτειν dici puto pro τοῦ τῆς θέας χρόνου vel potius καιροῦ.

P.1175.v. κατέβαλεν) Reponendum puto accusatiuum Λεύκουλλον, qui iungatur cum verbo ἐδέξατο: ideóq; post illum interpungendum fuerit.

P.1177.v. πᾶσαν) Pro καὶ suspicor scribendum esse κακίαν. Hoc quidem certè cõstat, aliquod substantiuum desiderari quod cũ πᾶσαν iungatur, contrà verò particulam καὶ pro superuacanea haberi posse.

P.1178.v. αὐτοῦ) Pro αὐτοῦ scribendum esse dico αὐτῷ.

P.1180. v. μετεῖναι) Si μετεῖναι rectè scriptũ est, rectè scriptũ fuerit & αὐτοῖς: sin μετεῖναι in μετιέναι mutandũ est, itidem αὐτοῖς in αὐτοὺς mutare oportebit. Pro hac autem lectione μετεῖναι facit quod paulo pòst habetur, εἰ μετῆσιν ὑπατείας. vt omittam, plerisque locis hos infinitiuos compositorum ab εἰμὶ pro infinitiuis cõpositorũ

ab εἶμι inueniri. Sed fortaſsis & hunc ſingularem pro illo plurali ponendum illic quiſpiam cenſuerit.

V. ψῆφον) Rectius fortaſſe τάχιστα iungetur præcedentibus. vt ἐπεὶ ᾑρέθησαν τάχιστα ſit pro ἐπεὶ τάχιστα ᾑρέθησαν: & ſignificetur, Quumprimùm deſignati eſſent cõſules: vel, Simulatque deſignati eſſent: vt vnus interpretum vertit. Alter autem eam interpũctionem quam & mea editio habet, ſequẽs reddidit, Si deſignati eſſent, quàm primùm vt curarent &c.

P. 1184.) Poſt primum huius paginæ vocabulum Πομπηΐου tollenda eſt interpunctionis nota.

P. 1191. v. γον) Vel παρὰ τὰ δεινὰ vel παρ' αὐτὰ τὰ δεινὰ ſcribendum eſt.

P. 1192. v. πόλιν) Repone διαπέφρασαν.

P. 1196. v. ἐγὼ) Pro οὐδὲ τῆτες ἴσασι legitur etiam οὐδ' ὅτι τ' ἴσασι.

V. πρὸς τὸν) Poſt ἐξεβιάσαντο additur in nonnullis καὶ συνεπεαπάσαντο. ſed mihi adiectio hæc parum placet.

V. ἐξ ζομένους) Repono αὐτόν.

P. 1202. v. ἔχουσι) Aut ἀπεῖναι pro ἀπιέναι poni, aut potius hoc pro illo reponi debere, dicendum eſt. Quòd ſi quis illud retinere mallit, nullis aliis, vt opinor, locis ſententiam ſuam tueri poſsit quàm iis qui mendi itidem ſuſpecti eſſe debent. Iterum enim hîc lectorem admoneo, pleriſque huius ipſius ſcriptoris locis, & quidem in hoc opere, infinitiuos compoſitorum ab εἶμι pro infinitiuis compoſitorum ab εἰμι poſitos inueniri, aut ſaltem illos eam ſedem obtinentes quam hi potius ſibi vendicant. Atque vt ad exempla veniam, hoc ipſum ἀπεῖναι pro Abire, id eſt ἀπιέναι, itidem habetur ſuprà pag. 1154, in principio. Sic de ἐπεῖναι pro ἐπιέναι, pag. 1162, de μετεῖναι pro μετιέναι, pag. 1180, dictum fuit.

P. 1204. v. ἐγὼ) Reponẽdum videri queat τὸν pro τί. vt huic accuſatiuo τὸν ſequẽte μὲν, reſpondeat alter accuſatiuus τὸν ſequente δέ. Sed ei interpretationi minimè aſſentior in qua hæc perinde reddũtur acſi Plutarchus Pompeium quæſtionem de prouidentia propoſuiſſe, & ei Cratippum reſpondiſſe diceret. Ita enim illa, Etenim Pompeio de prouidentia ſui caſus cauſam quærẽti, reſpondebat Cratippus, ita accidiſſe quòd vitioſus reip. ſtatus monarchiam iam expoſceret. Viciſsímque quærebat, At quomodo nos quóve argumẽto certi ſimus te melius quàm Cæſarem vſurum fortuna fuiſſe? Atqui non dicit Plutarchus ἤρετο, ſed ἐρέσθαι ἄν. Ideóque magis placet altera hæc interpretatio, Nã quæſiuiſſet tandem Pompeius de prouidentia aliquid. Ille demonſtraſſet, propter peruerſam rempub. rebus principatu vnius opus eſſe. Quæſiſſet præterea, Qui & quo Pompeie ſigno credamus, ſi Cæſarem viciſſes, rectius te quàm illum fortuna vſurum fuiſſe? Hoc etiam addo, hunc interpretem in iis quæ proximè præcedunt, vertiſſe participium ὑποκατακλινομένου, Aſſenſus eſt. Alterum autem, Subterfugiente certamen. quæ interpretatio non omnino reiicienda eſt, meo quidem iudicio. Dicitur enim hic Cratippus ὑποκατακλίνεσθαι nõ quòd aſſentiretur, (alioqui verbo συγκατατίθεσθαι, vel συνεπαινεῖν, vel συγκαταινεῖν, alióve huiuſmodi, vti potuiſſet hîc ſcriptor, atque adeò vti debuiſſet) ſed quòd pertinaciter aduerſus Pompeium hac de re nollet contende-

re, ideóque eius argumentis non valde refragaretur velut succumbens. Bud. in suis collectaneis (è quibus plurima deprōpta in Thesauro meo linguæ Græcæ inuenies eius nomine singulis adscripto) hoc verbum ὑποκατακλίνομαι vertit Cedo, item Non obsisto: atque hunc ipsum Plutarchi locum in exemplum affert. At ego malim (hoc præsertim loco) interpretari cum aliqua adiectione, Ex parte cedo, vel Aliqua ex parte cedo. item, Non valde obsisto, Nō valde refragor. Hæc autem sunt hominis certamen subterfugientis: ideóque alteram illam interpretationem non reiiciendam esse, tanquam omnino alienam; iterum dico. Verùm vt ad loci huius emendationē redeam, quāuis dicam reponendum videri τὸν μὲν ἐρέσθαι: referendo videlicet τὸ ad Κράτιππον: fateor tamen hanc emendationem non omnino mihi satisfacere, & hunc locum suspectum habere, tanquam omissa quæpiam aut perturbata, aut etiam perperam scripta, habētem. Magis enim placeret hæc à Pompeio dici, τοῖς πράγμασιν ἤδη μοναρχίας ἔδει διὰ τὴν κακοπολιτείαν. Cratippum autem excipere, πῶς ὦ Πομπήϊε, &c. Quum verò his quæ dico obstent illa, τὸ μὲν ἐρέσθαι τὸν Πομπήϊον ἦν ὑπὲρ τῆς προνοίας, de his dicam quod sentio. Verbum ἐρέσθαι deprauatū esse arbitror, & pro eo scriptum à Plutarcho fuisse aliud quod cū accusatiuo Πομπήϊον iungeretur. Simul autem non τὸ sed τὸν scriptum fuisse dicendum fuerit. Sed & verba quæpiam alia desiderari ante vel post ὑπὲρ τῆς προνοίας, verisimile est. Quocunque autē modo se res habeat, tria sunt quæ hæc verba, τὸ μὲν ἐρέσθαι, suspecta mihi reddūt. Vnū, quòd τὸ mutari necesse sit: & mutando in τὸν (quæ maximè vicina est vox) durè dicatur, τὸν μὲν ἐρέσθαι τὸν Πομπήϊον ἦν, pro τὸ μὲν ἐρέσθαι τῷ Πομπηΐῳ ἐξῆν. Alterum, quòd ἔρομαι περὶ τούτου, sicut & ἐρωτῶ περὶ τούτου, potius quàm ἔρομαι ὑπὲρ τούτου dicatur. Tertium, quod verisimile non sit Plutarchum, si hic ἐρέσθαι scripsisset, statim pòst idem verbum repetiturum fuisse. Præterea verò vt Plutarchū illa verba περὶ τῆς μοναρχίας Pompeio adscripsisse existimem, facit quod sequitur, ἐρέσθαι δέ. Neque enim puto Plutarchum de eodem dixisse τὸν δ' ἀποφαίνεσθαι, & ἐρέσθαι δέ. His autem omnibus non video quid aliud opponi posſit quàm quod paulo antè scriptum est de Pompeio, eum μέμψασθαι καὶ συνδιαπορῆσαι βραχέα περὶ τῆς προνοίας. Sed hæc non obstant quominus credamus Plutarchum subiunxisse, Cratippum potuisse (nisi timuisset ne λυπηρὸς atque ἄκαιρος esset) multa in defensionem τῆς προνοίας afferre. & Pompeio inter alia dicenti rempub. in tam malo statu fuisse vt monarchia opus haberet: obiecisse, Sed si ad te monarchia illa deuenisset, victoria potitum, quid nobis fidem facere posſit, te melius quàm Cæsarem fortuna vsurum fuisse? Hæc mea est de isto loco sententia: qua tamen nihil laudi interpretū (quorum doctrinam & iudicium magni facio) derogare velim. Idémque & de aliis locis in quibus ab illis dissentio, sentiendum esse dico.

V. ὁρμήσαι) Vide num legēdum potius ὅπως quàm ὅπου.

V. μὲν οὖν] Vide an malis φύξιμος: quod exempl. quædā habent.

P.1206. v.ἰα] In præced. edit. est διάσεως. sed non dubium est quin διάξεως reponendum fuerit:

quam & interpretes lectionem recte sequuti sunt.

P.1207.v.παθὼν)Pro ἤρετο fortasse reponendum fuerit ἤρχετο: aut certè ἐπῆρτο.

P.1208. v. Σεπίμιος) Repone πρέποντες.

V.χαμαὶ) Rectius scribetur δέξη.

P.1209.v.παρ' Αἰγ.)Scribendum potius εἰς Αἴγυπτον: vt paulo antè legitur, ἐλθὼν εἰς Αἴγυπτον.

V.ἐθέντα) Scribendum potius τὸ Ἀλβανόν.

P.1210.v.θος) Ex Εὐρυπῶντι δὲ fieri debere Εὐρυπωντίδαι, planè persuasum habeo. sed simul etiam ἀπόρνησιν in ὑπόρνησιν mutandum fuerit, tollendo interpunctionem quæ subiungitur, & παρέχειν in παρέχειν. vt ita legatur hic locus, ὡς αὐ ὑπόρνησιν Εὐρυπωντίδαι γνήσιον καὶ ἀρτίποδα τῇ Σπάρτῃ βασιλέα παρέχειν. Huic autem loci istius emendationi vtraque interpretatio assentitur. huius enim lectionis sensum ambo interpretes expresserunt.

P.1213.v.ἐν Αἰγ.) Legitur etiã καὶ ὑπονοίας pro ὑπ' ἀνοίας.

P.1220.v.τὰς φιλοφρ.) Legitur etiam τὴν φιλοφροσύνην.sed plurali vtitur & alibi Plutarchus: vt pag.1226, ἀλλ' αἱ φιλοφροσύναι τὸ σφοδρὸν ἐκεῖνο καὶ σερκτικὸν οὐκ ἔχουσαι.

P.1221.v.φασιν)Malim hæc interrogatiuè legere, ponẽdo interrogationis notã post accusatiuum Ἥραν. Vnus interpretum mihi assentitur, ita reddens hunc locum, Nunquámne me Alexander Iunoni inuisam reddere desinet? Alter verò citra interrogationẽ hæc legit, ita vertens, Non desinet Alexander in crimen me apud Iunonem vocare. Nisi fortè interrogationis nota incuria typographica prætermissa fuit.

P.1226.v. λῶν) Hæc verba καὶ φιλομαθὴς ab interpretibus versa non sunt, quòd in præcedentibus editionibus non extent, huic meæ ex vet. codicibus addita. Sic autem alia pleraque vocabula in hac leguntur, quorum interpretationem apud illos eandem ob causam non inuenies. Cæterùm rectè adiungi illa in vet. codicibus, & pro Plutarchi verbis agnoscenda esse, ostendit hic in Pompeii vita locus, ἐπιστάμενον γὰρ ὡς ἐστι φιλολόγος ἀνὴρ καὶ φιλομαθὴς ἐν ὀλίγοις ὁ Οὐαλέριος. Hic enim itidem φιλομαθὴς cum φιλολόγος copulari vidiemus.

V.κὸν) Pro σφοδρὸν legitur etiã στερρόν.

P.1227.v.παρὰ) Reponendum Κηφισὸν, vt rectè interpretes legerunt.

P.1228.v.λιπαρὸς) Non dubito quin ἰόντα pro ὄντα scribi debeat. fueritque hoc mendum simile illis quorum antea mentionem feci: positorum videlicet infinitiuorum, ἀπεῖναι, ἐπεῖναι, μετεῖναι, pro ἀπιέναι, ἐπιέναι, μετιέναι. vt enim hic composita ab εἰμὶ pro compositis ab εἶμι ponuntur, ita illic ὄντα participium ab εἰμὶ, positum fuerit pro ἰόντα participio ab εἶμι. vterque interpres tamen hanc, non illam, lectionem sequutus est: quũ tamen nimis durum esse videatur ὄντα εἰς τὸ δωμάτιον pro ὄντα ἐν τῷ δωματίῳ. Sed & hoc obiter addo, δωμάτιον melius reddi Cubiculum ab vno quàm Domum ab altero.

P.1235.v.Βουκ.) Legitur etiam βουκέφαλος: sed vsitatum est hoc nomen in illa etiam terminatione.

V.διςμύριοι ] Quidam codices habent duntaxat μύριοι.

P.1236.v.λαβὼν) In quibusdam scriptum est τὴν χαλκουμβήν.

P.1237.v.λοῦτο] Pro γλυκέσθαι scribendum puto γλυκύσταθι.

V.ὥστε] Quidam pro ἀσγάνδου reponunt ἀσκαίτου: sed ἀστάνδου reponendum esse, ex Hesychio & Suida cōstat. Ἀστάνδης, (inquit ille) ἡμεροδρόμος. Additque, ἢ κράβατον, ἢ ἄγγελον, Ταραντῖνοι. Hic autem, Ἀστάνδαι, οἱ ἐκ διαδοχῆς γραμματοφόροι. Vocarique eosdem & ἀγγάρους, addit: & ambo hæc nomina esse Persica. Fateor tamen inueniri & ἀσκανδὴς in alio eiusdē Hesychii loco, exponētis ἄγγελος: sed alteri loco potius assentior, vtpote qui scripturā autoritate Suidæ comprobatam habeat. Quod autem ad alteram expositionem attinet, qua ἀστάνδης significare etiam κράββατον ab Hesychio dicitur, in ea duas scripturas in vnam confundi arbitror: id est, huic nomini ἀστάνδης eam quoque significationem tribui quæ non eius est, sed nominis ἀσκαίτης. quum idem lexicographus huic significationem illam, necno Suidas & Etymologus tribuat.

V.τρῶν] Futurum βοηθήσειν in præsens βοηθεῖν mutandum videri possit: ac mutandum certè fuerit si ἐθάρρει pro Auderet accipiamus: vt vnus interpretum accepit, qui vertit, Quum de cæteris medicis nemo auxilium adferre auderet. Sed ἐθάρρει accipio potius pro Confideret: & tunc futuro infinitiui locus erit: interpretando ita, Quum cæterorum medicorum nemo remedium se allaturum esse confideret.

P.1239,v.μοῦ] Pro Πινδάρῳ scribendum esse arbitror Πίνδῳ: quāuis vterque interpres lectionem illam sequatur.

P.1241.v. Ἀριστόβουλος] Stare nullo modo potest hæc lectio καλῆς καὶ γενναίας καὶ τὸ κάλλος. Videndum igitur an tollenda sit vocula καὶ, an mutanda in κατά. Ego potius tollēdam quàm mutandam in κατὰ censuerim: quoniam in huiusmodi locis solet potius subaudienda relinqui hæc præpositio. Vnus interpretum reddidit, Mulierem & natalibus & forma nobilem. Alter autem perinde hunc locū interpretatur acsi καὶ παρὰ τὸ κάλλος scriptum esset: sic vertens, Elegātem mulierem & præter formam generosam.

P.1244.v.περιέβαλλον] Legitur etiam Ἀλεξανδρίτην.

P.1246.v. γύπου] In quibusdam editionibus habetur ἐβεβούλετο: quod verbum ex ἐβουλεύετο deprauatum videri potest.

P.1249.v. Ἕλλησι] Rectius fortasse ὑποφειδομένως: sicut à φείδομαι est aduerbium φειδομένως, nec non πεφεισμένως.

P.1251.v.καὶ μυστεῖ] Pro ἐξ ἰδεῖ scribēdū puto ἐνδεῖ. dicitur enim potius ἐνδεῖ μοι τοῦτο, quàm δεῖ μοι τοῦτο, quod sciam. Sed quum desideretur nominatiuus, videndum est an οὐδὲν huic verbo ἐνδεῖ præfigendum sit, aut ἄλλο: an dicendum subaudiri.

P.1253.v.ἀπορρήτους] Meminerit hîc lector loci in præcedentibus à me annotati, in quo perperam τῷ Φοίβῳ σφαγιασάμενος pro τῷ Φόβῳ σφαγιασάμενος scriptum est, (is in Thesei vita extat, pag. 23 huius voluminis) & num hic quoque eadem scripturæ mutatio facienda sit, perpendat.

P.1255.v.φθέγγοντες] Pro μένοντας inuenitur scriptū & μέλλοντας.

P.1257.v.τρῶν) Verba hæc διπλοῦς σφόδρα in præcedētibus editionibus desiderantur: sed particula καὶ, quam eædem ante γελοίας

ſed eiuſmodi qui neminem decipere poſsit.

V.σιν) Pro ἀδηρίτως legitur etiam ἀκρίτως. Quæ autem ſequuntur, τὸ δὲ πρωτεῖον, ὅπως τῇ δυνάμει καὶ τοῖς ὅπλοις πρῶτος εἴη, μᾶλλον· ἀλλ' ἀχολήθεις ὑφεῖναι πρὸς ὅπερ ἡ φύσις ὑφηγεῖτο, &c. vnus interpretum ita vertit, Primum enim laudis locum dimiſit, non quòd potentia & armis primus omnium eſſe mallet, ſed quia negotiis obrutus, ad id inclinauit ad quod natura rapiebat. Sic autem interpretans non ὅπως ſed οὐχ ὅπως legit. At ego nullum hîc negatiuæ particulam habere locum dico, ſed potius ſenſum ei quem Plutarchus verbis ſuis ſubeſſe voluit, contrarium efficere. Significare enim hîc voluit quod in iſtis alterius interpretis verbis habemus, Primas verò in vrbana facundia, vt potentia potius & armis eſſet primus, reliquiſſe aliis. Sed quum particula ἀλλὰ orationis huius ſtructuram perturbet, ex pungendam cēſeo: vt ὑφεῖναι quidem cum πρωτεῖον, participium autem ἀχολήθεις cum ὅπως iungatur. perinde acſi dixiſſet, τὸ δὲ πρωτεῖον ὑφεῖναι, μᾶλλον ἀχολήθεις ὅπως πρῶτος εἴη τῇ δυνάμει. &c. Fuiſſe autem additā particulā ἀλλ' poſt μᾶλλον veriſimile eſt ex repetitis à librario per imprudentiam primis literis vocis μᾶλλον: ex qui bus deinde ἀλλ' à quopiam factum fuerit. Participiū verò ἀχολήθεις ſcio videri poſſe præter conſuetudinem aduerbio ὅπως eſſe iūctum: ſed ita accipiendum fuerit acſi dictum eſſet, ἀχολήθεις περὶ τοῦτο ὅπως &c. Illorum autem verborum πρὸς ὅπερ ἡ φύσις ἐξηγεῖτο τῆς ἐν τῷ λέγειν δεινότητος ἐκ δίκης μύθος, nō ſatis rectè expreſſus fuit ſenſus. Vult enim ſignificare Plutarchus, eum non ad illum vſque gradum eloquentiæ perueniſſe ad quem naturæ inclinatio eum deducebat.

P.1300.v.ταβολῶ) Suſpicor ante μικρὰ deeſſe οὕτω. vt dicat Plutarchus, Nullum vllius rei initiū eſſe tam paruum vt non aſsiduitate magnū citò reddatur, vel, Tam paruum quin aſsiduitate &c. Atque ita perinde fuerit acſi ita loquutus fuiſſet, οὕτω μικρὰ ἐστι μὴ ταχὺ ποιεῖν &c. Alioqui non addendo οὕτω videtur fuiſſe potius dicendum, οὐδεμίαν ἀρχὴν πράγματος ἡγητέον μικρὰν ἣν ἂν ταχὺ ποιῇ μεγάλην τὸ ἐνδελεχές. hoc ſenſu, Nullum principium exiguum eſſe putandum quod aſsiduitas magnum faciat. Id eſt, Si quidem aſsiduitas magnum efficere id poſſit. Vnus interpretum ita hunc locum vertit acſi lectionem illam priorem ſequeretur: hoc videlicet modo, Adeò nullius rei initium ita paruum eſt putandum, quaſi nō id aſsiduitate magna incrementa, idque breui temporis ſpatio, facere poſsit. Nam hîc Ita paruum, eſt οὕτω μικρά. Sed alia particula quàm Quaſi vtendum fuiſſe videtur. Alter interpres illud aduerbium non addidit: ita vertens, Animaduerterunt nullum cenſendū eſſe rei alicuius paruum exordium, quod non ilico grande reddat continuatio. Eſt autem iſtud quoque hîc obſeruandum, poſſe particulam ὡς iungi cum verbo ἤδοντο: vt hæc verba, μεγάλης καὶ δίκαια τετύπου γενομένης &c. interiecta ſint, & γενομένης reſoluatur in ἐπειδὴ ἐγένετο: itidémque βαδίζούσης in ἐπειδὴ ἐβάδιζεν. Cum qua expoſitione conuenit interpunctio quam mea editio habet. Sed poteſt etiam fortaſſe τελεία στιγμὴ poſt accuſatiuum μεταβολῶ collocari. vt hæc verba ὡς οὐδε-

μία &c. velut ἐπιφωνηματικῶς sub iungantur. Hæc autem interpunctio in præcedentibus editionibus spectatur: eámque sequutus est ille interpres qui vertit, Adeò nullius rei initium ita paruum est putandum &c. Verùm idem non rectè post verbum ἤσθοντο interpunxit, & ipsum à sequentibus genitiuis separauit, μεγάλης καὶ δυσανατρέπτου &c. ita enim vertit, Serò admodum errorem suum animaduerterunt, quum ea potentia grandis iā & inexpugnabilis non occultè iam ad mutationem reipublicæ spectaret. Adeò nullius rei &c. Quum potius iungendo ἤσθοντο cum μεγάλης φυομένης & cæteris genitiuis, (neque enim nouum est ἤσθοντο γινομένης pro ἤσθοντο γίνεσθαι: itidémque ἤσθοντο βαδιζούσης pro ἤσθοντο βαδίζειν) debuisset ita interpretari, Serò, eam grandem & inexpugnabilem euasisse & iam ad mutationem reipub. spectare animaduerterunt. Quum autem ἤσθοντο non iungeret cum his quibus iungi debet genitiuis, sed ab illis separaret, coactus est aliqua de suo addere. Dicens enim, Serò admodum errorem suum animaduerterunt, hunc accusatiuum de suo addit.

P.1302.v.λειπμίας] Scribo προσδιανεισάμενος.

P.1303.v. δυνάμεως], Scribere malim ἄδηλόν ἐστι.

P.1304.v.πεντ.] Pro πεντακοσίαις in quibusdam legitur ἑπτακοσίαις.

P.1307.v.σὺ ἐστ.] In præcedentibus editionibus interrogationis nota huic loco apposita non fuit: quæ tamen apponēda esse visa est. Sic & suprà huius particulæ ἧπου interrogationi seruientis facta mētio fuit.

V.φρος] Pro ἤδη in quibusdam legitur ἰθύνειν.

P.1309.v.κοὺς] Scribendum puto, τῇ πρὸς τὴν σύγκλητον διαλαβείᾳ.

P.1312.v.πορείας] Aduerbium ἀπλήκτως quædam exempl. habēt ante ἀπομαχόμενος.

P.1315.v.τῶν] Pro τετρακοσίους quidam codices habent πεντακοσίους.

P.1319.v.πλασμ] Pro προσήγαγον repono προσήγαγεν.

P.1325.v.το τας] Obseruet hîc lector ἐπεὶ δὲ, & meminerit eorū quæ antea dixi de vsu quem interdum apud Plutarchum habet ista particula ἐπεί.

P.1334.v.ἴσω] Aliquis mēdosum esse putet hîc ἐπῄνει, & reponi debere συνεπῄνει: sed inuenitur & illud simplex in huius compositi significatione, nimirum pro Assentiri: potius tamen apud poetas.

P.1336.v.ξιν] In Pompeii vita dicit εἰς τὸν Πομπήϊον.

P.1337.v.δὲ] Verbum hîc non à librario prætermissum, sed potius ab ipso autore consultò omissum esse putandum est, vt quod subaudiri posset: nimirum ᾤοντο, seu ἐνόμιζον: aut etiam ἔλεγον.

V.νει] Scribendum puto πῶς τὸ θράσους ἐχόμενον. Alioqui post πῶς ponendam interrogationis notam censuerim: vt hic intersistat oratio: iungendo hoc aduerbium cum præcedente verbo ἐλπίζομεν.

V.διὰ τὸ] Hoc vocabulum ἀχήλην (quod perperam in quibusdam huius editionis exempl. deprauatum fuit in ἀμύλην) in alio etiam huius scriptoris loco extat, vbi eadem res narratur: nimirum in Pompeio, ὑπεστάς τις αὐτῷ διὰ τοῦ στόματος τὸ ξίφος, ὥστε τὴν ἀχήλην περιέχουσαν ἐρχέσθαι κατὰ τὸ ἰνίον. Fortasse tamē alterum vocabulum ἀκμήλην rectè seruatum fuisset, quoniam

quoniam ξίφει tribui videtur ἀκμὴ potius quàm αἰχμή.

P.1348. v. Κασσίαν] Pro τόπον reponendum suspicor τότε, quod iungatur sequentibus, interpungendo post ἐκπεσεῖν δόντι.

P.1353.v. ζοντος) Non videntur sequenda fuisse exemplaria quæ habent accus. ἐπιστολὰς pro datiuo ἐπιστολαῖς.

P.1361.v. τῆς πόλ.) Pro ῥήματι legitur etiam ῥήτορι.

P.1362.v. λον) In quibusdam scriptum est ὅταν ἀτυχῶσιν, non ὅταν δοκῶσιν ἀτυχεῖν.

P.1370.v. στεφάνων) Præcedentes editiones habent συνεξαναστῆναι. sed præterquam quòd significatio huius verbi non conuenit, ipsum recusat etiam genitiuus quẽ hic habemus.

P.1372.v. λάσαις) Legitur etiã ἀφῆκε. Sic tamen verbo ἀφῆκε vtitur & pag.1377, circa medium.

P.1377.v. δεῖ) Pro Φωκίων inuenitur scriptũ & Φῶκος. Quam scripturam sequendo subaudietur nominatiuus ille Φωκίων. Erat autem Φῶκος nomen filii ipsius Phocionis: vt mox docebo.

V. τὸν ἵπ.) Pro Φώκις repositum fuit Φῶκε, non solùm quòd in vet. cod. ita scriptum sit, sed etiam quòd illæ ipsæ editiones quæ hîc Φώκις habẽt, in alio huius vitæ loco habeant Φῶκος, non Φωκίων. nimirũ pag. 1385, Φῶκος γε τοῦ παιδί. itidémque versu qui hunc proximè sequitur.

P.1384.v. εἶπεν] Post ζητῶ non posita fuit τελεία στιγμή: quòd pendeat sententia, cuius initium est, καὶ τοῦτο ὅπερ ὕστερον &c. ita enim hæc inter se iunguntur, καὶ ὅπερ ὕστερον ἀνὴρ ἄγροικος εἶπεν, τοῦτο πολλοῖς ἐπῄει λέγειν. Sed ante ὅπερ positum est τοῦτο, necnon ante πολλοῖς: quod alterutro in loco vacat.

V. χοσων) Legitur etiam κακοῦ δεσπότου καὶ τυράννου. verùm altera lectio retinenda est. quoniam non vult negare eum fuisse κακὸν δεσπότην καὶ τύραννον, sed illius χαλεπὴν δεσποτείαν καὶ τυραννίδα ob eam quam affert rationem, fuisse ἐπαχθεστέραν intelligit.

P.1385.v. Ἄγνων.) In quibusdã editionibus Ἀγωνίδης perperam scriptum est, pro Ἁγνωνίδης, vt in vet. cod. Nam illæ ipsæ in sequẽtibus locis scripturam istam sequuntur.

P.1392.v. Κανων.) Malo μισθοῦ præcedentibus iungere.

V. ἐν Λυκ.) Rectius scribetur Λυκείῳ.

P.1397, v. λεγόμενος) Credibile fuerit Plutarchum scripsisse αὐτοῦ ὀχουμένων: ferri tamẽ & altera lectio potest. Hoc verbis iisdem repetitum videbis initio paginæ 1400.

P.1398.v. δὲ οὐ) Malim hæc interrogatiuè legere.

P.1399. v. μετιὼν) Pro δι' αὐτοῦ quidam codices scribunt διὰ τοῦτο. Vnus interpretum δι' αὑτοῦ legit, vt editio ista habet, ( aspirãdo priorem huius pronominis syllabam, vt sit pro ἑαυτοῦ) siquidem ita vertit, Lege lata ne eã didati haberent nomenclatores, tribunatum militum petens, solus legi paruit, & per se elaborauit salutare atq; appellare ciues. At verò alter ita reddidit hunc locum acsi scriptum esset δι' αὐτοῦ cum tenui, planè alium sensum eliciens. Ita enim interpretatur, Deinde quum lex esset lata, ne iis qui magistratum ambirent, nomenclatores adessent, tribunatum militum petens, solus eam legem

violauit: monitorísque vsus ministerio, ciues nominatim salutauit atque compellauit. Prior ille non solùm δι' αὑτοῦ legit, aspirans hoc pronomẽ, sed etiam ἐπείθετο pro ἐπέθετο: itidémque Lapus ante ipsum illam lectionem sequutus erat. At posterior scribens αὐτοῦ spiritu tenui, & ad ὀνοματολόγον referens, Ciceronis loco se tuetur, obiicientis Catoni in oratione pro Murena, eum nomenclatoris opera fuisse vsum. Sed fieri potest vt Plutarchus non ex Cicerone hanc historiam, sed ex alio petierit, rem omnino aliter (vt fit) narrantis. Verba quidem certè ipsius Plutarchi negant quod ait Cicero, nisi vim aliquam eis afferamus. Primùm enim durum est δι' αὐτοῦ pro δι' αὐτῶν, vtpote præcedente plurali ὀνοματολόγοι, nõ singulari ὀνοματολόγος. Deinde hoc loquendi genus ποιησάμενος ἔργον tali sentẽtiæ minimè adhibiturum fuisse Plutarchum, ex aliis illius colligere locis possumus, in quibus verba illa vsurpat. Ne autem longè abeamus, in hac ipsa vita, circa finẽ paginæ 1408, scriptum est, ὅσγε καὶ τὰ τῶν ἐπαρχιῶν πράγματα καὶ δόγματα, καὶ κρίσεις καὶ πράξεις τὰς μεγίστας ἔργον πεποίητο διὰ τῶν ἑκασταχόθι ξένων καὶ φίλων πέμπεσθαι πρὸς αὐτόν. Equidem vel ex hoc loco perspici (meo quidem iudicio) potest, illam phrasin aliud significare: & Plutarchũ, si voluisset declarare, Ministerio eius vsus, aliis potius vsurum fuisse verbis quàm istis, ποιησάμενος ἔργον δι' αὐτοῦ. Quod autem in altera illa interpretatione ex ἐπέθετο faciendum est ἐπείθετο, & αὐτοῦ ex αὑτοῦ, mouere neminem debet, quum tales lapsús sint longè facillimi & frequentissimi.

P.1406.v.ἐκ τῶν] Legitur etiã τῶν πρότερον.

P.1412.v.χθέντας) Rectius ἐκβάλλειν scribetur.

V.νον ἐ(] Scribẽdum puto ἔξαρνον ἐ(), καὶ λέγειν &c.

P.1413.v.πρὸς τὸν] Non video quomodo γεγραμμένης ferri possit, nec dubito quin mutari in γεγραμμένον debeat.

V.γος καθ.] In præcedentibus editionibus inter λόγος & καθάπερ nulla interpunctio habetur: quum tamen καθάπερ initium sit alius sententiæ, qua sermo præcedens clauditur. Ac fortasse scripsit Plutarchus, καθάπερ οὖν ἐν δράματι &c. quanuis sæpe particulas huiusmodi in opere isto omissæ comperiantur.

P.1415.v.μένη] Pro ἀρετὴ legitur etiam ἀρετῆς, & ἀγωνιζομένης pro ἀγωνιζόμενος. quæ lectio prima fronte fortassis non placebit, sed attentè cõsiderata, magis probabitur quàm altera. Sed post Κάτωνος interpungendum erit: hoc modo, ἡ δὲ Κάτωνος (subaudi πολιτεία) ἀρετῆς ἐνθουσιασμὸς ὑπὲρ τῶν καλῶν καὶ δικαίων ἀγωνιζομένης.

V.ἐπεὶ] Meminisse hîc oportet eorum quæ de ista particula ἐπεὶ alibi dixi, id est de vsu quem in quibusdam Plutarchi locis habet.

P.1416.v.βοῇ] Post μένειν δὲ interpunxi, vt datiuum ἀλλήλοις separarem: quippe qui fertur ad præcedens verbum διεκελεύσαντο. Vnus tamen ex interpretibus datiuum illum cum μένειν iungit, ita vertens hunc locum, Vocéque Catonẽ, vt bono animo esset, cohortati sunt, atque inter se consisterent cohærerentque. Sed altera interpretatio mihi assentitur: quæ ita habet, Et alta voce ipsum vt pergeret ita, se autem mutuò, vti manerent, cohortati sunt.

P.1417.v.παντάπασι] Hîc quoque ἀπεῖναι pro ἀπεῖναι positum est. Dico autem hîc quoque, quoniam eandem scripturæ mutationem in aliis etiam locis inueniri, admonui suprà.

P.1418.v.νεος ὡς] Pro ὡς τυραννίδος legitur etiam τυραννικῶς.

V.τῇ φιλ.] Pro φιλίᾳ inuenitur scriptum & φιλανθρωπίᾳ.

P.1420.v.νεὶ καὶ δὲλ.] Si ὡς δὲ εἶχεν accipiamus pro ἐπεὶ δὲ εἶχεν, parenthesis ista locum habebit, & particula οὖν post φοβηθέντες vacabit: sicut & alibi vacare comperitur. At si parenthesi locum dare nolimus, nec particulam οὖν pro superuacanea habere, tunc certè ὡς δὲ ταῦτα λέγων, non aliud significabit quàm ταῦτα δὲ λέγων: atque ita particulã ὡς πλεονάζειν dicẽdũ erit. Ambo certè interpretes ita verterunt acsi illa abesset. Ita enim vnus, Hæc dicenti & senatus assensus est, & ex populo nõ pauci cõprobarunt. Alter verò ita, Hæc illi dicenti cùm senatus adstipulabatur, tum aliorum quoque haud pauci se adiungebãt. Si tamen particulam ὡς nõ omnino vacare vellemus, dici fortasse posset, ὡς δὲ ταῦτα λέγων, significare, Quatenus autem hæc dicebat. At si hæc verborum esset series, εἶχε δὲ τὴν βουλὴν ὁμόψηφον, ὡς ταῦτα λέγων, tũc ὡς reddi posset Vtpote.

P.1421.v.νάτῳ] Affertur etiam ἀδυνάτων pro γεγονότων: sed fieri non potest vt exemplar in quo legeretur hîc ἀδυνάτων, haberet itidem ἀδυνάτῳ in proximè præcedente loco. Ego aliam lectionẽ quàm nostram quærendã non censeo: & ἐν δὲ ἀδυνάτῳ τοῦ μεταστῆσαι perinde esse acsi dictum esset, ὄντος δὲ ἀδυνάτου τοῦ μεταστῆσαι: vel, ἐπειδὴ δὲ ἀδύνατόν ἐστι τὸ μεταστῆσαι. siue, εἰ δὲ ἀδύνατόν ἐστιν. Nescio autem quid sequens aut quò respiciens vnus interpretum, illa sic verterit, Atque in eo quod fieri non posset, mutare factum iactare se velle, stulti esse & amentis. Alter ita est interpretatus, In apertum verò se conicere periculum eius rei causa quæ rescindi nullo modò iam possit, id verò væcordis planè esse & insanientis.

P.1422.v.κόλπων] Post κόλπων nisi expungatur interpunctio, meritò aliqua verba deesse existimabuntur. Vnus interpretum vertit, Hominem ex Pompeii sinu: alter, Hominẽ ex sinu Pompeii natum.

V.ναὶ] Post Κύπρον in cunctis codicibus scriptum erat, καὶ Πτολεμαῖον. quæ lectio cõuenit cum his verbis paginæ 1424, ὁ δὲ ἐν Κύπρῳ Πτολεμαῖος.

P.1424.v.πλήσιν] In Ald.exempl. scriptum est συμβουλευόντων, mendosè, simúlque ambiguè inter συμβουλευόντων & συμβουλεύοντος. Hoc ex vet. cod. repositum fuit, habetúrque in Florẽtina etiã editione: illud autem ad genitiuum λόγων posse referri videretur nisi tam multa interiecta essent.

P.1426.v.τακοσίας] Pro μακρὸν in quibusdam scriptum est μικρόν, parum diuersa scriptura, valde diuersa significatione. Itẽ pro προσέχετο legitur προσήρτητο.

V.τὸν αἰαπλ.] In editionibus quæ hanc præcedunt legitur καίτοι ἐνίοις τοῦτο ἐφαίνετο καὶ αὐθαδείας. quam lectionẽ nullo stare modo posse manifestum est: quum desideretur adiectiuum quod particula καὶ cum αὐθάδης copulãdum est. Rectè igitur ex vet.cod. repositum fuit καίτοι σκαιὸν τοῦτο ἐφαίνετο καὶ αὐθάδης. Sed rectius fortasse legeretur, καίτοι σκαιὸν ἐνίοις τοῦτο &c. Non video enim cur ἐνίοις hinc tolli debeat: neq; σκαιὸν

in ἐνίοις mutatum fuisse credibile fuerit.

P.1429.v.τὸν νόμιμον)Inter δῆμον & ἦσαν aliquot verba deesse puto. Qua de re & vnus interpretum admonet: qui totum hunc locũ ita reddidit, Ac decreuerunt vt qui prætores essent electi, ii statim magistratum iniirent, non interposito solito tempore: necui fraudi ambitus esset, eiúsque causa dies ei posset dici. Simúlque ipsi amicos suos & administros ad petendum præturam subornarunt. Alter verò ita vertit, Vbi per infrequẽtiam decretum fuit vt designati prætores extemplò magistratum inirent, præciso legitimo tempore quo illos qui populum corrupissent largitionibus, postulare licebat. Deinde quum plebiscito effecissent vt soluti essent à causa dicenda, clientes & amicos suos ad præturã prouexerunt: Simul autẽ obserua pro προεστῆγον paulo pòst scribi προῆγον: quod verbũ hic interpres expressit illo Prouexerũt.

V.τηγὸς)In nonnullis cod. legitur στρατηγῶν. Si retineatur στρατηγὸς, subaudiendum erit participiũ ὢν. id est, εἰ στρατηγὸς εἴη.

P.1430.v.γοντος)Pro τοῦ legitur etiã αὐτοῦ. quã lectionẽ longè alteri præfero. vt sensus sit, turbam sequutam fuisse, audientem Catonẽ dicẽtem, se vnà cum ipso Trebonio ire, in carcerem videlicet. Potest tamẽ & aliter accipi, λέγοντος nimirũ pro κελεύοντος: vt aliquoties apud Thucydidẽ significationẽ istã habet, sequente infinitiuo. Ambo interpretes σὺν τοῦ legerũt, nõ σὺν αὐτοῦ: & vnus quidem λέγοντος vertit Differentem: ita hunc locum reddens, Sequuta eũ plebs est, audiens inter eundum differentem. Alter verò λέγοντος accepit pro κεκράζοντος seu κραυγάζοντος, (quia præcedit μετ κραυγῆς ἐγκελευόμενος) ita interpretans, Sequebatur autem eum multitudo, auscultabátque, eo interim dum abduceretur, clamitante. Sed λέγοντος cum ἀκροώμενον potius iungendum est, quàm pro absoluto genitiuo accipiendum.

P.1432.v.τυεχ) Legitur etiam παρετίθεντο.

V.ἔχειν) In quibusdam pro singulari δικαστηρίου habetur pluralis δικαστηρίων.

V.Κλώδιος) Pro καταῤῥυεὶς scriptum est ὑποῤῥυείς.

P.1433.v.θέντος)Pro ἀρετῆς repono ex vet.exempl. ἀρχῆς. Quam lectionem & vnus interpretum sequutus esse videtur, ita reddẽs, Pòst Fauonio ædili creato, cùm in cæteris magistratus muneribus præstò fuit, tũ ludos eius in theatro curauit. Alter ἀρετῆς retinuit, & aliquẽ ex hac lectione sensum elicere conatus est, ita vertẽs, Pòst ædilitatẽ consequuto Fauonio, diligẽter eum in eo officio adiuuit, ínque theatro spectacula adornauit.

P.1434.v.πράγματα) Legitur etiam ἑκουσίως.

P.1435.v.ται τοῦ) Legitur & πείθεσθαι: sed retinendum nobis est πείσεσθαι. Post ζητεῖν autem interpunctionis nota collocari debet, ne iungatur hic infinitiuus sequenti: quum hic locus perinde sit intelligẽdus acsi verba ita collocata essent, οὔτε γὰρ ῥᾴδιον ὁρίσαι ὅπου στήσεται ζητεῖν τὰ προημαρτημένα. Sed articulum τὸ ante τὰ desidero: ac Plutarchum ipsum ita scripsisse suspicor, ὅπου στήσεται τὸ τὰ προημαρτημένα ζητεῖν. id est, Quis futurus sit inquirendi in præterita delicta finis. Vnus interpretum ita vertit, Haud enim, vbi præteritis peccatis sub-

sisteret excutiendis, procliue futurum statuere: &, si recentiores sanciantur mulctæ offensis, iniuriam passuros hos, &c. Quæ interpretatio magis mihi placet quàm altera ista, Nam neque finem inquirendi in antè peccata constiturum, &, si noua eorum decernantur supplicia, de iniquitate querendi occasionem habituros, &c. Illum quidem certè comparatiuum πρότερα ita hic vertit acsi pro positiuo positus esset: quum tamen suam comparatiui significationem ei dare oporteat. intelligit enim, πρότερα ἢ τὰ ἀδικήματα: nimirum quæ post delicta iam commissa sancita fuerint. Cæterùm quod ad parentheseωs notam attinet, eam prætermitti posse sciendum est.

P.1436.v. χαρὶν) Legitur etiā τῷ Κάτωνι. quæ verba iungenda essent præcedētibus, vt τῷ Κάτωνι dictum esset pro ὑπὸ τοῦ Κάτωνος. Sed Plutarchum ita vsum esse datiuo, persuadere mihi nequeo. Quod verò ad alteram lectionem attinet, eam vnus interpretum omnino sequutus est: ita reddens hunc locum, Multi enim euersi iudicio sunt, quòd Catonem declinare, non niti innocentia putarentur. Alter autem ita vertit, Multi enim eo damnabantur quòd Catonem recusantes iudicem, malè sibi conscii viderētur. Quæ interpretatio magis mihi placet: sed eam sequendo mutandum aliquid in lectione nostra fuerit, vel poti⁹ aliquid ei addēdum: nimirum διὰ τὸ ante εὖ θαῤῥεῖν. Posit idē sensus & ex ista lectione elici, ἥλωσαν γὰρ οὐκ ὀλίγοι τῷ τὸν Κάτωνα φεύγειν δόξαντες εὖ θαῤῥεῖν τοῖς δικαίοις. vt ita resoluatur hæc oratio, δόξαντες οὐ θαῤῥεῖν τοῖς δικαίοις, τῷ τὸν Κάτωνα φεύγειν. id est διὰ τὸ:

quæ duæ voculæ non minus quàm τῷ locum ibi habere possint.

V. δέξασθαι) Legitur etiā προτεινόμενον: quæ lectio magis placet: vt Cato dicatur προτείνασθαι χεῖρας. At προτεινόμενοι superuacuū videri possit, quum satis esset dixisse, προσέφερον ὡς ὄνειδος μέγα.

V. ἤδη αὐτῷ) In præcedentibus editionibus legitur προσέφερον: pro quo ex vetustorum exempl. autoritate reposui ἀνέφερον. Vnum videndum est, an posit ἀνέφερον actiuè vsurpari in ea significatione qua dicitur à Latinis Recreare. vt Recreare se ex magno timore, apud Ciceronem. Eodem enim modo dicentur hîc Catonis præmonitus Pompeium ἀναφέρειν ἐκ πολλῆς ἀπιστίας, nimirum ex illo ἀπιστίας errore, tanquam ex morbo quopiam. Vicissim autem meritò dubitarit quispiam an προσέφερον, quod in textu habetur, (& videri potest ex præcedēte periodo manasse, vbi legitur προσέφερον) reddi posit Excitabant, vt verterunt ambo interpretes. Estque hoc quoque in vnius eorum interpretatione animaduertendum, eum verba ista, ἐκ πολλῆς ἤδη τῆς πρόσθεν ἀπιστίας, sequentibus iungere. Ita enim locū istum reddit, Iam Catonis prædictiones Pompeium nonnihil excitabant post longam incredulitatē, veluti per insomnium animo periculum imaginantem. Quæ sanè interpretatio valde apta fore videtur, si verba illa sequentibus iungenda sint. quod certè & aduerbium ἤδη persuadere posit: quum videatur Plutarchus ἤδη ibi posuisse tanquam iungere volens cū participio ὀνειροπολοῦντα. Sed liquidò sciri non potest nisi prius de verbo quod post προαγορεύοντος est ponendum, nobis constet.

in ἀρχοῖς mutatum fuisse credibile fuerit.

P.1429.v.τὸν νόμιμον) Inter νόμιμον & ἤσαν aliquot verba deesse puto. Qua de re & vnus interpretum admonet: qui totum hunc locũ ita reddidit, Ac decreuerunt vt qui prætores essent electi, ii statim magistratum inirent, non interposito solito tempore: necui fraudi ambitus esset, eiúsque causa dies ei posset diei. Simúlque ipsi amicos suos & administros ad petendum præturam subornarunt. Alter verò ita vertit, Vbi per infrequẽtiam decretum fuit vt designati prætores extemplò magistratum inirent, præciso legitimo tempore quo illos qui populum corrupissent largitionibus, postulare licebat. Deinde quum plebiscito effecissent vt soluti essent à causa dicenda, clientes & amicos suos ad præturã prouexerunt. Simul autẽ obserua pro προσῆγον paulo pòst scribi προῆγον: quod verbũ hic interpres expressit illo Prouexerũt.

V.τηγὸς) In nonnullis cod. legitur ςρατηγῶν. Si retineatur ςρατηγὸς, subaudiendum erit participiũ ὤν. id est, εἰ ςρατηγὸς εἴη.

P.1430.v.γοντος) Pro τοῦ legitur etiã αὐτοῦ. quã lectionẽ longè alteri præfero. vt sensus sit, turbam sequutam fuisse, audientem Catonẽ dicẽtem, se vnà cum ipso Trebonio ire, in carcerem videlicet. Potest tamẽ & aliter accipi, λέγοντος nimirũ pro καλοῦντος: vt aliquoties apud Thucydidẽ significationẽ istã habet, sequente infinitiuo. Ambo interpretes σὺν τοῦ legerũt, nõ σὺν αὐτοῦ: & vnus quidem λέγοντος vertit Differentem: ita hunc locum reddens, Sequuta eũ plebs est, audiens inter eundum differentem. Alter verò λέγοντος accepit pro κεκράγοντος seu κεκραγότος, (quia præcedit μετὰ κραυγῆς ἐγκελευόμενος) ita interpretans, Sequebatur autem eum multitudo, auscultabátque, eo interim dum abduceretur, clamitante. Sed λέγοντος cum ἀκροώμενον potius iungendum est, quàm pro absoluto genitiuo accipiendum.

P.1432.v.τυεχ) Legitur etiam παρεπέθεντο.

V.ἦγεν) In quibusdam pro singulari δικαστηρίου habetur pluralis δικαστηρίων.

V.Κλώδιος) Pro καταῤῥυεὶς scriptum est ὑπορρυείς.

P.1433.v.θέντος) Pro ἀρετῆς repono ex vet. exempl. ἀρχῆς. Quam lectionem & vnus interpretum sequutus esse videtur, ita reddẽs, Pòst Fauonio ædili creato, cùm in cæteris magistratus muneribus præstò fuit, tũ ludos eius in theatro curauit. Alter ἀρετῆς retinuit, & aliquẽ ex hac lectione sensum elicere conatus est, ita vertẽs, Pòst ædilitatẽ consequuto Fauonio, diligẽter eum in eo officio adiuuit, ínque theatro spectacula adornauit.

P.1434.v.προσήγματα) Legitur etiam ἱκεσίας.

P.1435.v.ται τοῦ) Legitur & πίθεσθαι: sed retinendum nobis est πίσεσθαι. Pòst ζητεῖν autem interpunctionis nota collocari debet, ne iungatur hic infinitiuus sequenti: quum hic locus perinde sit intelligẽdus acsi verba ita collocata essent, οὔτε γὰρ ῥάδιον ὁρίσασθαι ὅπου σήσεται ζητεῖν τὰ προημαρτημένα. Sed articulum τὸ ante τὰ desidero: ac Plutarchum ipsum ita scripsisse suspicor, ὅπου σήσεται τὸ τὰ προημαρτημένα ζητεῖν. id est, Quis futurus sit inquirendi in præterita delicta finis. Vnus interpretum ita vertit, Haud enim, vbi præteritis peccatis sub-

fisteret excutiendis, procliue futurum statuere: &, si recentiores sanciantur mulctæ offensis, iniuriam passuros hos, &c. Quæ interpretatio magis mihi placet quàm altera ista, Nam neque finem inquirendi in antè peccata constiturum, &, si noua eorum decernantur supplicia, de iniquitate querendi occasionem habituros, &c. Illum quidem certè comparatiuum πρότερα ita hic vertit acsi pro positiuo positus esset: quum tamen suam comparatiui significationem ei dare oporteat. intelligit enim, πρότερα ἢ τὰ ἀδικήματα: nimirum quæ post delicta iam commissa sancita fuerint. Cæterùm quod ad parentheseωs notam attinet, eam prætermitti posse sciendum est.

P.1436.v. κρατεῖν) Legitur etiā τῷ Κάτωνι. quæ verba iungenda essent præcedētibus, vt τῷ Κάτωνι dictum esset pro ὑπὸ τοῦ Κάτωνος. Sed Plutarchum ita vsum esse datiuo, persuadere mihi nequeo. Quod verò ad alteram lectionem attinet, eam vnus interpretum omnino sequutus est: ita reddens hunc locum, Multi enim euersi iudicio sunt, quòd Catonem declinare, non niti innocentia putarentur. Alter autem ita vertit, Multi enim eo damnabantur quòd Catonem recusantes iudicem, malè sibi conscii viderētur. Quæ interpretatio magis mihi placet: sed eam sequendo mutandum aliquid in lectione nostra fuerit, vel poti⁹ aliquid ei addēdum: nimirum διὰ τὸ ante οὐ θαρρεῖν. Posśit idē sensus & ex ista lectione elici, ἥλωσαν γὰρ οὐκ ὀλίγοι, τῷ τὸν Κάτωνα φεύγειν δόξαντες οὐ θαρρεῖν τοῖς δικαίοις. vt ita resoluatur hæc oratio, δόξαντες οὐ θαρρεῖν τοῖς δικαίοις, τῷ τὸν Κάτωνα φεύγειν. id est διὰ τό: quæ duæ voculæ non minus quàm τῷ locum ibi habere posśint.

V. δέξασθαι) Legitur etiā προτεινόμενον: quæ lectio magis placet: vt Cato dicatur προτείνεσθαι χειρός. At προτεινόμενοι superuacuū videri posśit, quum satis esset dixisse, προύφερεν ὡς ὄνειδος μέγα.

V. ἤδη καὶ) In præcedentibus editionibus legitur προέφερεν: pro quo ex vetustorum exempl. autoritate reposui ἀνέφερεν. Vnum videndum est, an posśit ἀνέφερεν actiuè vsurpari in ea significatione qua dicitur à Latinis Recreare. vt Recreare se ex magno timore, apud Ciceronem. Eodem enim modo dicentur hîc Catonis præmonitus Pompeium ἀναφέρειν ἐκ πολλῆς ἀπιστίας, nimirum ex illo ἀπιστίας errore, tanquam ex morbo quopiam. Vicisśim autem meritò dubitarit quispiam an προέφερεν, quod in textu habetur, (& videri potest ex præcedēte periodo manasse, vbi legitur προύφερεν) reddi posśit Excitabant, vt verterunt ambo interpretes. Estque hoc quoque in vnius eorum interpretatione animaduertendum, eum verba ista, ἐκ πολλῆς ἤδη τῆς πρόσθεν ἀπιστίας, sequentibus iungere. Ita enim locū istum reddit, Iam Catonis prædictiones Pompeium nonnihil excitabant post longam incredulitatē, veluti per insomnium animo periculum imaginantem. Quæ sanè interpretatio valde apta fore videtur, si verba illa sequentibus iungenda sint. quod certè & aduerbium ἤδη persuadere posśit: quum videatur Plutarchus ἤδη ibi posuisse tanquam iungere volens cū participio ὀνειροπολοῦντα. Sed liquidò sciri non potest nisi prius de verbo quod post προαγορεύσεις est ponendum, nobis constet.

Sed ecce, quũ de verbis περιύφερον & ἀίφερον annotassem quæ proximè præcedunt,& iam typographico prelo ea commisissem, incidi in verbum ἀναφέρειν in ea significatione actiua quam isti loco aptam quidem esse, sed eius exemplum me desiderare dicebã. Inueni autem in vita Agidis,pag. 1462, τὴν πόλιν ἐκ τῶν ἄλλων ἀναφέρειν ἁμαρτημάτων. Hoc igitur duntaxat perpendendum lectori fuerit, velítne verba illa ἐκ πολλῆς, &c.ad illud αἰέφερον referre, (quanuis & ibi sit αἰέφερεν cum illa præpositione ἐκ) an potius ab eo separare,sequendo quæ hac de re dixi. Interim autem obseruet hic lector ἐπεὶ δὲ in principio trium periodorum quæ contiguæ sunt, & eorum quæ de istis particulis antea dixi, recordetur.

P.1439.v.στρατοπ.] Legitur etiã πολλὴν & πλαίων:sed πλαίον quoque dici,cùm ab aliis tum ab Eustathio annotatur.

P.1440.v.ὡς ἦν]Pro ἦσι repositum fuit ἦν δή. quod mendum & in alio huius operis loco emendatum fuit.

P.1441.v.ὅπλα] Hæc verba καὶ χρήματα in præced. editionibus non habentur.

P.1442.v.δῶν]Pro παῖδες in Aldina editione scriptum est πρεσβύτερος. qui error manauit ex ignoratione huius compendiariæ scripturæ π'ς.quæ & in Florentina editione spectatur.

P.1447.v. μὴ] Hæc verba μὴ ὀλίγων ex vet. cod.addita fuerunt.

V.χρόνον] Aptius scriberetur καὶ καθαπερ. Paulo pòst autem habes μεθίησι pro μεθίστησι quod in præcedentibus editionibus legitur.

P.1449.v.ζ[ι]σθαι]Legitur etiam σώζεσθαι πρὸς αὐτόν.

V.μείναντας] Pro φυγὴν quædam exempl.habent φρουράν.

P.1450.v.στας] Contrarium est quod in vet. cod. legitur, videlicet,οὐ γὰρ ἦν ἄδηλος.

V.ἐς] Post χαλεῖς in quibusdã exempl.scriptum est τὸν βίον.

P.1455.v.πανελθ.) Legitur etiam, καὶ φερόντος πάλιν πολλὴν ἡσυχίαν &c.

V.στάσις] Pro datiuis τῇ τιμῇ habentur genitiui τῆς τιμῆς in vet. exempl.

P.1458.v.λιχρινὲς]Pro μικρὰ in præced. editionibus scriptum est μικρά. Ambo tamen interpretes μικρὰ retinuerunt, vnus, minuta, alter,exilia reddens.Ita enim redditus est hic locus ab vno, Nullum sincerum aut laude constanti dignum, sed adulterina pleraque & exilia facinora edunt. Ab altero sic, Nihil sincerè agunt vel constanter:verùm aliàs aliis rapti studiis,& motus sequentes alios, res gerũt adulterinas & minutas multas. Sed nemo non videat quanto aptior ex voce μικρὰ sensus eliciatur,nec loco solùm sed & vocabulo νόθα cum quo copulatur, conuenientior.

P.1460.v.καλὸν] Pro τὸ πεπαῦσθαι in vet. cod. scriptum est τὸ παύσασθαι. Vnus interpretum lectionem hanc sequutus est, ita vertens, In eas delati res,imprudentes sunt,vbi iam nõ erat illud dici quod solet, Rectum licet non sit, turpe est desistere. Alter verò retinuit πεπαῦσθαι, ita reddens, quibusdam additis, Imprudentes ad eas res tentandas delati sunt, quas quum parum honestas sentirent, tamen iam inhonestas esse (notum enim illud est, Quod non honestum est, iam turpe esse sentias)colligere non potuerunt. At ego non dubito quin τὸ παύσασθαι genuina sit lectio: sed vereor ne

aliud quoq; mēdum loco isti subsit, & potius scribendum sit, ἐπεὶ μὴ καλὸν, οὐκ ἀρχὸν ἤδη τὸ παύσασθαι. Certè, vt omittam, multo magis proposito Plutarchi esse accōmodatam sententiam quæ ex ista lectione elicitur, non video quomodo ἐπεὶ μὴ καλὸν reddi possit, Rectum licet non sit.

P.1462.v.μὴ] Pro αὐτὸν legitur etiam αὐτὴν. quarum lectionum vtraque sensum eundem efficit: sed si δι' αὐτὸν retineas, nominatiuus verbi ἀναλήψοιτο erit βασιλεία: sin mutes in αὐτὴν, nominatiuus erit αὐτός.

P.1464.v.ζηλοῦν] Veram lectionem esse puto διαδαιμονιζομένης, vt habent vet. exempl. Sic αὐτὴν in versu proximè sequenti repositum ex iisdem fuit.

V.νίδων] Post παρηγάλου posita fuit interpunctionis nota, quòd hæc verba ὄντα πρεσβύτερον iungantur potius sequentibus quàm præcedentibus: hoc modo, παρηγάλου ἐπιλαμβάνεσθαι τῆ Ἄγιδος, vtpote qui esset πρεσβύτερος.

P.1466.v.αἰαρ.] Interrogatiuè fortasfis hæc legenda sunt.

P.1472.v.αὐτὸν] Inter αἰδῶς & σωτηρίαν in quibusdam cod. interiectum est pronomen αὐτῆ.

P.1476.v.μόνον] Lubenter scriberem καὶ κατ' ἰδίαν ἑκάστου.

P.1478.v.γαμοὺς] Rectius scribetur αὐτὸς, vt in quibusdā exemplaribus.

P.1479.v.πολ.] In præced. edit. legitur ὁπόσοι pro οὐ πόσοι. Quanuis autem hāc lectionem rectè in locum illius fuisse repositam constet, (nam vel propter ἀλλὰ negationem præcedere oportet) superest tamen hîc quod nobis negotiū facessat: nimirum aduerbium μάτην. Si enim interpreteris, (dando illi aduerbio μάτην suam significationem) Frustra interrogare Lacedæmonios nō quot sint hostes, sed vbi sint: non consentanea suæ gloriationi loquetur Cleomenes. Ideò vnus interpres vertit Nunquam: ita hunc locum reddens, Qui dixerat, nunquam de hostibus quærere Lacedæmonios quot essent, sed vbi essent. At quid pro μάτην legendum putauerit, (neque enim hoc aduerbium ita potuit interpretari) cōiectura non assequor. Alter autem interpres retinuit quidē aduerbium μάτην, sed nouum quendam vsum illi tribuit. quinetiam ita vertit quasi ὁποῖοι vel ποῖοι scriptum esset, non ὁπόσοι vel πόσοι. Ita enim interpretatur, Non debere interrogare Lacedæmonios, quales, sed vbi hostes essent. Ego alteri interpretationi potius assentior, donec de vera lectione constare possit. Sed (vt interim coniecturam meam in medium proferam) quid si οὐ μάτην scriptum à Plutarcho fuisse dicamus? Neque verò ita duntaxat legi posse auguror, εἰπόντος ὅτι οὐ μάτην, sed etiam hoc modo, (aliam negatiuæ particulæ sedem tribuendo) εἰπόντος οὐ μάτην ὅτι Λακεδαιμόνιοι &c. Nec dubito quin hæc lectio magis etiā quàm illa prior placitura sit: vt videlicet οὐ μάτην à Cleomene gloriante dicatur: perinde acsi ita scriptum esset, καὶ τὴν παλαιὰν πρὸς αὐτοὺς αἰνιξάμενος βασιλέων, ὃν ἔλεγχον οὐ μάτην εἰπεῖν ὅτι Λακεδαιμόνιοι &c.

P.1482.v.βλαβ.] Pro νόμῳ tam manifestum est scribi debere φόβῳ, vt scriptura hæc in contextu poni debuerit. Sed accedit & vet. exempl. autoritas.

P.1483.v.ἐπέχε] Genitiuum δεομένης in accusatiuum δεομένην mutare non dubitauerim.

V. πρὸς αὐτοὺς] Participium istud ἐπισφοδρυνάμενα pro ἐπισφαδρυνάμενα repositum fuit ex vet. cod. Conuenit autem cum sequēte ἀνατεινάμενον.

P.1485.v. τοῦς] Malim scribere τοῖς.

P.1487.v. νατο] Fortasse scribendum fuerit ἄλλως γέ πως. Sic certè plerisque locis particulam γε locū particulæ τε occupare obseruaui.

P.1489.v. προάξηται] Pro καθομιλήσας legitur in vet. cod. καθομολογήσας.

V. ῥωννυμένων] In quibusdā scriptum est νεῶν δὲ pro ἐνίων δέ.

P.1494.v. τῆς ποι.] Ab ea quam habemus hîc lectione discedere videntur ambo interpretes. Horum enim verborum, αἱ τύχαι δὲ, ὅπως ἂν ὁ δαίμων διδῷ, πάρεισι, manifestum est hunc esse sensum, Fortuna autem, talis vel talis obtingit, prout numini tribuere libuerit. At illi verterunt: vnus quidem, Fortuna ea vtemur quæ diuinitus obtinget: alter verò, Casuū verò, prout permiserit deus, erit exitus.

P.1495.v. κὰν] Malo δειπνοποιησάμενος, vt in vet. cod. & alibi passim legitur.

P.1496.v. καὶ βασιλ.] Rectius scribetur βασιλικώτερον.

P.1498.v. νεῶν] Est & alia lectio, συνεστρέφοντο.

V. μύρτοι] Scribe potius Κυλλάραβιν. vt habes suprà, in Pyrrho, pag. 739: necnon apud Hesychiū. Sed apud hunc legitur oxytonως, scribērem, Κυλλάραβις, δίσκος ἢ γυμνάσιον ἐν Ἄργει.

P.1499.v. πραγμ.] In quibusdā scriptum est, εἰς τὰ τοῦ πολέμου πράγματα μάλιστα. sed malim lectionem nostram retinere, vt articulus τὰ iungatur cum aduerbio μάλιστα posit' πλεοναζόντως, (qui vsus satis est frequens) nomen autem πράγματα ex præcedentibus subaudiamus: quum eius repetitio non solùm non necessaria sed etiā auribus sit dura.

V. χρήματα] In vet. cod. est προφθάσαντου, & in quodam φορτία. Vt illud admitto, ita hoc reiicio. Neque certè alium quærendum esse puto sensum quàm eum qui se primo aspectu nobis offert: nimirum nauem pane & reliquo commeatu prius instruendam esse quàm remigio.

P.1501.v. τεῖχος] In quibusdam scriptum est κατάρρουν ἐλαιηρόν.

P.1502.v. ποῖ] Scribendum arbitror τὰ μακρὰν διώκοντες. Sed nō video quomodo hoc ita intelligi possit vt intellectū fuit ab eo qui ita vertit, Cur quæ in promptu sita fugientes, eadem procul quærimus? Immo dixissem potius, Alia procul quærimus?

P.1505.v. βλέπων] Pro ἀφεισκοπῶν scriptum inuenitur παρεπισκοπῶν. quæ lectio conuenit optimè cum præcedētibus verbis ὑποβλέπων ἀτρέμα.

V. χερσὶ] Scribitur etiam τῶν ἱερέων.

P.1506.v. καὶ δυς.] Pro δυσθήρητον reponendum esse puto δυστήρητον, id est, seruatu difficilem. vt dixit Phocylides, Κάλλος δυστήρητον ἔφυ παίδων τοκέεσσιν. Optimè autē cōuenit cū eo quod addit, ἀμελῶς φυλάττουσι καὶ ῥαθύμως. Oportet enim contrà quod δυστήρητον est, φυλάττειν ἐπιμελῶς. Ambo tamen interpretes lectionē illam sequuti sunt, vel potius ita verterunt quasi δυσθήρητον dici deberet pro δυσθήρατον. Ita enim vnus, Castigauit acriter custodes quòd sæuam feram

captúque difficilem seruarent segniter & socorditer. Alter autē, Acerbè obiurgauit custodes qui ingentem feram venatúque difficilem tam negligenter seruarent.

P.1508.v. παρεχ.] Ex vet. cod. addidi τὸν νεκρόν. Quòd si non τὸν νεκρὸν vel τὸ σῶμα, vel tale quid addidisset, scribere debuisset ἔχοντα, non ἔχοντος.

P.1509.v. κριμάσαι] Pro καταβυρσώσαντας legitur etiam καταμυρίσαντας, longè diuersa significatione. Vt autem prius de voca bulo illo καταβυρσώσαντας dicā, in eius interpretatione interpretibus nullo modo assentiri possem: quorum vnus Excoriare, alter eodem sensu, Pelle nudare vertit. A βύρσα enim non καταβυρσοῦν sed potius ἀποβυρσοῦν dicendum esset pro Excoriare, sicut à δέρας & δέρμα deducūtur ἀποδέρειν & ἀποδερματοῦν, quæ hoc significatum habent. Quid igitur est καταβυρσοῦν? Apud Thucydidem certè est Pelle seu corio contegere, vel pellibus seu coriis. lib.7, pag.255, meæ editionis, τὰς γὰρ πρύμνας καὶ τὰς ναῦς ἄνω ἐπὶ πολὺ κατεβύρσωσαν, ὅπως αἱ ἀπολιθοῦνται καὶ μὴ ἔχοι ἀντιλαβὴν ἡ χεὶρ ἐπιβαλλομένη. An autem corpus eius corio contegi vel operiri voluerit vt diutius integrum maneret, corio videlicet ipsum à variis iniuriis qui bus expositum alioqui fuisset, defendente, an potius alia id de caussa factum fuerit, lectori perpendendum relinquo: excoriari quidem certè voluisse (præterquam quod participium illud significationem istam non admittit, vti dixi) minimè credibile fuerit: quoniam hoc ne vel ad breue tempus conseruari posset, obstitisset. Quod autem ad alteram lectionem attinet, quæ habet participium quo Vnguento vngere significatur, nullo modo mihi placere potest. Nam fateor quidem vnguentis vngi fuisse solita, apud AEgyptios præsertim, defunctorum corpora, vt diutius illabefacta manerent: sed interim tantum honoris eius qui suspenderetur corpori deferri voluisse Ptolemæum, (præsertim quum aliis modis efficere posset vt diu corpus suspensum conseruaretur) mihi non fit verisimile.

P.1523.v. ἱερὸν.) Non dubito quin pro ὁρισμὸν reponere oporteat ὁρκισμόν. Sic certè & alibi hoc mendum obseruaui.

P.1524.v. δίδωσι) Scribendum censeo οὐκ ἄτοπον εἶναι.

P.1525.v. καὶ) Addidi ex vet. codicibus καὶ παραιτεῖσθαι. quæ vocabula possunt etiam abesse.

V. τούς τε) Pro genitiuo στρατιωτῶν repositus fuit hic στρατιῶν.

V. δεῖσθαι) Pro δῆμον in vet. cod. scriptum est δήμαρχον, necnon ὑπὸ pro ἀπό. Quam lectionem sequendo alia esset verbi ἐπικαλεῖσθαι significatio quàm in altera.

P.1529.v. γε φέρετ.) Pro ἔχειν, vel εἶχεν vel ἔχοι reponendum esse dico.

V. μῦθος) Pro ἄλλως inuenitur scriptum & ἀδόξως.

P.1536.v. ὄντων) Pro κατάγων legitur etiam καταπατῶν.

V. χεῖρες) Expungendam præpositionem ἐν censuerim, quum potiꝰ dicatur ἁμίλλος τοῖς quàm ἁμίλλος ἐν τοῖς, vt pag.1548, τοῖς πρώτοις ἁμίλλους Ῥωμαίων γενέσθαι στρατηγοῖς.

P. 1537. v. τις.] Nominatiuos διαχραίνουσα & βουλομένη lubenter mutarem in accusatiuos διαχ-

φαίνουσαν & βουλομένην: sublata interpunctione post σύγκλητος, vt cum ἑαυτὴν hi accusatiui iungantur.

P.1539.v.ἀρχ.] Pro οἱ πλεῖστοι inuenitur etiam scriptum οἱ πρῶτοι.

P.1542.v.κάγὼ)Pro φῆναι est & alia lectio, ἀφεῖναι.

P.1546.v.ἀναισθήτοις) Post οὖσιν expungenda est interpunctionis nota. Planè enim nomini ἀναισθήτοις Plutarchus significationem participii dedit, præfixa negatiua particula, dicens ἀναισθήτοις οὖσιν ὅσον ὄφελός ἐστι, pro ἐκ αἰσθανομένοις ὅσον ὄφελός ἐστι. Atque ita lusit in duplici vocabuli ἀναίσθητος significatione. Vnus tamen interpretum ἀναισθήτοις non ita accipit: sed vertit Stupidi, subaudiens (vt opinor) aliquid ante ὅσον. Ita enim hunc locum interpretatur, Itaque & nonnulli eam propter senium vel magnitudinem calamitatum à mente desertam sensúque malorũ priuatam putauerunt. stupidi profectò ipsi, qui non sentirent quantum bona indoles rectáque educatio hominibus ad vacuitatem dolorũ cõferat momenti: & quòd in retinendis quidem bonis sæpenumero fortuna virtutem superat: amissis verò iis prudenter casus nostros moderatéque ferendi facultatem ei non adimit. Alter verò ita hunc locum reddit, Vnde amens ex senio vel ex cladium magnitudine habita quibusdam est euasisse, atque occalluisse ad sensum calamitatum: quum reuera illi sensum nullũ habuerint, quantum ex præclara indole bonísque natalibus & disciplina momenti ad pellendum hominibus mœrorem accedat: & quòd virtutem fortuna vsquequaque sequentem honestum sæpenumero vincat: cæterùm in cespitãdo, quî ferat casum sapienter, id nõ adimat. Libuit autem vtranque huius loci interpretationem afferre, vt ostẽderem etiam quã lectionem vterque interpres proximè in fine huius periodi sequutus sit. Vnus certè φυλαττομένοις retinuit, vt hîc habemus: alter verò in φυλαττομένης mutauit. At ego cur mutatio hæc necessaria fuerit non video.

P.1549.v.ἑτέρας] In quibusdam scriptum est συμβαπτίζειν.

V.Σωσσῖε] Legitur in quibusdam καὶ αὐτός. quæ lectio magis mihi placet. Compellat autẽ Sossium Senecionem: sicut in Cleomene pag. 1460, quum ei dicit, ταῦτα μὲν οὖν ἐπικρινεῖς αὐτὸς ἐκ τῆς διηγήσεως. Sic & initio quarũdam vitarum, eiúsque etiam cui primus in hac editione datus est locus, ipsum cõpellat, & quidem nominatim.

P.1551.v.ζῇ)Pro εὐδόκιμον legitur in quibusdam εὐδαίμονα.

P.1552.v.ἡμῖν)Stare non potest hæc lectio. videat igitur lector num ita scribendum sit, ὡς δὲ ἐκ τῶν πραγμάτων ἀμωσγέπως ἔχομεν ἐμπειρίας.

P.1558.v.λεῖ ῥαπ.]Ex vet. exempl. autoritate reposui ῥαπτομένας ἐπιθρῆναι.

P.1559.v.αὐτοῦ)Legitur etiam πρεσβυτέρου.

P.1568.v. φαιηφ.) Pro καλῶς reponendum puto καλὸν, & ἔτι δὲ pro εἰ δέ. perinde acsi hæc esset verborum structura, ἐγὼ δὲ ὡς μὲν καλὸν στεφανηφορεῖν, ἔτι δὲ καὶ θύειν ἐπὶ θανάτῳ βασιλέως, (addendo quæ sequuntur) ἐκ ἂν εἴποιμι. Quoniam autem pendet sententia in μὲν, eíque redditur sententia quæ incipit ab ὅτι μέντοι, parentheseos nota inclusi quæ interiecta sunt.

P.1571.v.Ἅρπαλος) Pro βασιλικῇ est alia etiam lectio, βαρβαρικῇ.

V.παντὸς) Lubentius scriberem βουλόμενον: licet defendi altera lectio possit.

P.1574.v.(οὐ γὰρ) Rectè pro ἐψηφίσαντο repositum fuit ἐσοφίζοντο, ex vet. codicibus. Quam lectionem & interpretes coniectura assequuti videntur. Vnus enim vertit, Hoc modo eluserunt legem. Alter, (magis etiam significanter) Legem huiusmodi commento eluserunt.

P.1577.v. μοσθ.) In quibusdã scriptum est ἀπέχεις.

P.1578.v.αὐγ.) Nemo (vt opinor) negare posset motũ sua sede esse articulum τῶν: & hunc in eam reponendo, scribẽdum esse τὰ μὲν πρῶτα δύο τῶν ὀνομάτων.

P.1581.v.πλάσιν) Non dubito quin scribendum sit ἐτέτρατο.

P.1583.v.παρέμεινε) Vnus interpretum hunc locum ita reddit acsi πολλοὺς expungendum esset. Sic enim vertit, Verùm quòd laudari se mirum in modum gauderet, veheménsque cupiditas gloriæ, quã ad extremum vsque retinuit, effecerunt vt sæpe ab optimis deturbaretur cogitationibus. In qua interpretatione animaduertendum etiam est, non solùm omitti accusatiuum πολλοὺς, sed etiam subaudiri pronomen αὐτόν: perinde acsi scripsisset Plutarchus, καὶ πολλάκις αὐτὸν τῶν ὀρθῶν ἐπετάραξε λογισμῶν. At ego, nisi insolens mihi videretur hæc verbi ἐπιταράττω constructio, Plutarchum scripsisse putarẽ, ὃ καὶ πολλοὺς πολλάκις &c. Quum autem de illa cõstructione dubitem, lubenter alteram hanc interpretationem amplector, (secundum quam πολλοὺς τῶν ὀρθῶν λογισμῶν per genitiuum partitionis dictum fuerit pro πολλοὺς λογισμοὺς ὀρθοὺς) Verumenimuerò auebat supramodum celebrari, tenebátque eum perpetuò cupiditas immensa gloriæ, quæ multa eius præclara consilia frequenter interpellauit.

V.λιπικῶν.) Non dubito quin desit hîc aliquis datiuus qui cum εἴθιζεν iungatur, simúlq; cum genitiuo ὀνομάτων. Nisi præcederet γνῶσιν, credi posset eum scripsisse τὴν ὀνομάτων γνῶσιν. Fortasis autem credibile fuerit eum τῇ τῶν ὀνομάτων scripsisse, subaudiendo ipsum nomen ex fine præcedentis periodi.

P.1584.v.Τερεντ.) Pro διώδεκα legitur etiam δέκα.

P.1585.v.λελυμένου) Reponendum est εἶπεν.

V.δὴν) In præcedentibus editionibus non habetur participium istud δοκῶν, sine quo tamen, aut alio quopiam huiusmodi, stare sententia non potest.

P.1597.v.κίνδυνον) Legitur etiam τὰ πράγματα.

P.1607.v.πολλὰ) Videtur dicendum potius fuisse πρὸς τὴν Ἰταλίαν. Paulo pòst autem καλεῖσθαι ex vet. cod. mutaui in καλεῖν αὐτόν.

P.1614.v.τασίαν) Repono συγκατάθεσιν.

P.1621.v.σαν) In quibusdã vet. cod. post εἰς θάλασσαν additur εἰς Ἄστυρα.

P.1625.v.ερος) Scribendum potius μεγαλοπρεπέστερος.

P.1630.v.Ἀντιγ.) Pro Κοῤῥαίου legitur & Φεραίου.

V.κίνεατε) Non ἐπιφάνεια sed ἐπιφύεια quidam codices habent.

P.1634.v.πὸν) Rectius scribetur διαπυρσεύσειν.

P.1636.v.Μεγ.) Reponendum videtur ἁρπαγήν.

P.1637.v.μνημα) Si pro ὦ scribas ἂν, parentheseωs nota verba hæc includenda non fuerint.

V.ᾠδαγ.) Vide num potius scribere oporteat χρησμῳδαγίαι.

P.1638.v.τῆ δὲ) Legitur etiam τῇ τῆς Διονυσίων ἐγίνετο.

V.Τὰς) Vt stet versus, scribendum puto, τιμὰς ποιοῦντ' αἰθρωπίνας. Interdum enim corripi verbi ποιῶ priorem syllabam, satis notum est.

P.1639.v.θῇ τύχῃ) Legitur etiam δεδόχθαι, & Ἀθηναίων pro Ἀθηνῶν, paulo pòst. Fortasse autem non malè quis suspicetur δέδοκται fuisse scriptum: vt videmus in aliorum quorundam ψηφισμάτων principio scribi. Quinetiam hæc duo verba ἀγαθῇ τύχῃ seorsim legi posse videntur.

V. Εὐριπ.) Scribendum puto τὸ Εὐριπίδειον. Fuit autem fortassis in causa cur omitteretur articulus hoc in loco is qui proximè præcedit. Quòd si non scribamus τὸ Εὐριπίδειον, scribendum fuerit (vt opinor) Εὐριπίδειον ἐκεῖνο.

P.1643.v. εἰπεῖν) Posſint fortaſsis hæc interrogatiuè etiam legi.

P.1645.v.δηλοῖ) In præcedentibus editionibus desideratur genitiuus μοῦ.

V.λθῶσιν) Scribẽdum puto ἀπὸ ἓξ καὶ εἴκοσι.

P. 1646.v.ὁ Καιῶ.) Pro διάθεσιν inuenitur etiam scriptum διάλυσιν.

V.θέσιν) In præced.edit. legitur τέλους: pro quo minimè dubiũ est quin scribendum fuerit τέλος: vt habes hîc. sed perperam ante τέλος & ἔχειν posita fuit interpunctionis nota. Constat enim sensum esse, Cui parum aberat quin absoluta esset.

V.φθεῖραι) Vel ἱμαρῆσαι αὖ vel ἱμαρώσειν Plutarchum scripsisse puto.

P.1653.v.αὐτὸν) Locus hic aliquandiu me torsit: sed coniectura tandem veram lectionem assequutus mihi videor. vt nimirum scribatur, τίνα γὰρ (εἶπεν) πλὴν ἐμοῦ σκοπὸν ἔχουσι; Quum autem initio putarem interpretes quoq; quod subest mendi deprehendisse, animaduerti omnes aliquem alium quàm verum (id est, eũ quem verum esse puto, & quem, vt opinor, ipsimet verum esse fatebũtur) finxisse. Vnus autem ita vertit, Quo verò proposito isti (inquit) me petunt? Alter hoc modo, Nimirum (inquit) nam quis me defendit? Quidam verò significari putauerunt, Quo signo me internoscunt? Sed quis vnquam σκοπὸν in vlla istarum significationum vsurpauit? Præsertim autem de duabus posterioribus loquor. Nam in prima expositione datur quidẽ huic nomini significatio quam habere constat: quum dicit, Quo proposito isti me petunt? sed ἐμοῦ expungendum esset. Adde quod hæc responsio non satis apta fuerit. At legens, vti dixi, τίνα γὰρ πλὴν ἐμοῦ σκοπὸν ἔχουσιν, & propriam nominis σκοπὸς significationem retinebimus, & responsum non interrogationi solùm sed iis etiã quæ Plutarchus narrat aptiſsimum habebimus. Quum enim ab omnibus propemodum deseri se videret, aliis ad hostes deficientibus, aliis terga dantibus, iure optimo illi qui dicebat multos hostes in eum tendere, respondet, Quem enim alium quàm me scopum habent? Perinde ac si diceret, Nil mirum: quum solus ego illis velut scopus propositus sim. Loquitur autẽ tanquam de tela dirigentibus.

P.1655.v.τὸ] Reponendum puto genitiuum σκηνῆς pro accusatiuo σκηνήν.

P.1656.v. βουλόμενον] Legitur etiam παύσας.

V.μυριάκις]Seruata fuit hîc omnino aliarum editionũ scriptura habentiũ itidem ἐν θύσῳ & disiũctim,& litera ω habente ι subscriptũ. Hoc enim semper faciendum censui,in huius & aliorum pariter scriptorũ locis deprauatis, & quorum emẽdatio manifesta non est, vt lectio quæ in aliis editionibus habetur,sine vlla vel leuissima mutatione retineretur. quoniã sæpenumero cõperi in iis quæ primo aspectu offendere possint, tanquã deprauationem augentia,veræ lectionis vestigia tandẽ inueniri.Ita igitur ex ἐν θύσῳ facere nolui ἐνθύσω,à verbo ἐνθύμαι:quanuis nõ ignorarem Budæũ, Galliæ nostræ simúlq; doctrinæ literarũ Græcarum lumen, ita legere, tanquã de hac lectione nullo pacto ambigentem. Ἐνθύμαι,(inquit)In animum induco. Plutarchus in Demetrio, οὐ μὴν ὑπέπτηξε Δημήτριος &c. Atque hãc Budæi interpretationem vnus interpretũ sequitur, ita vertẽs hunc locũ,Nihil trepidauit tamen Demetrius:sed, vt sexcentis pugnis aliis(inquit)victus sim,nõ inducã in animũ vt Seleuci affinitatẽ amplectar mercede. Atq; vrbes illas præsidio firmauit. Alter autẽ ita vertit,Neq; verò Demetrius concessit,sed inquiens,se,ne simillies quidẽ victus esset,nunquã mercede sibi Seleucũ generũ adsciscere dignaturum,vrbes eas præsidiis muniit.At ego ἐνθύναι nec pro In animum inducere posse dici existimo,nec ἐνθύναι γαμβρὸν pro Adsciscere generũ. si tamẽ alterutrã harũ interpretationũ eligere necesse foret,posteriorem, vt è duobus malis minus, eligerem.

P.1657.v.τῶν]Duriuscula est infinitiui γενέσθαι repetitio.ideóque satius fuerit expungere, præsertim quum in quibusdam vet.codicibus non habeatur.

P.1658.v.τῶν] Malit quis fortassis ἀφ' ἑαυτοῦ.

P.1659.v.φυλάττεσθαι] Post αὐτοῦ expungendam censeo interpunctionis notam, vt δρᾶν iungatur cum μὴ διαφυγεῖν. Quæ tamen orationis structura parũ mihi placet,sed non video quàm aptiorem excogitare quis hoc loco possit. Vnus interpretum ita vertit,Nam quum cauere sibi nollet,ne cauere vicissim doceret illum, dum cunctatur efficere ne ille euadat, insidiis quas machinabatur,est occupatus.Quæ interpretatio iungit ὃ ἐμηχανᾶτο cum παθὼν ἔφθασε. Sed mirum videri possit cur non potius dixerit Plutarchus, δρᾶν μέλλων αὐτὸς,continuando sub eodem casu quod de vna eadémque persona dicitur. Alter autem interpres loci huius sententiam potius quàm verba conatus est interpretari. ita enim eum reddit, Hic Alexander metuens ne si ab hospitio Demetrii sibi caueret, eum quoque quem in cõuiuio necare statuerat,cautiorem suo exẽplo redderet, seipsum in manus Demetrii prior tradidit. Equidem absimile vero non est, Plutarchum vel aliter scripsisse, vel aliqua quæ hîc desunt verba interiecisse.

P.1660.v.πόλεμον] Aut expungẽdam esse præpositionem ἐν, aut in ἀν mutandam arbitror.

P.1668.v.φαίνονται) Pro τραγικῆς legitur etiam στρατηγικῆς:sed τραγικῆς genuinam lectionem esse puto: quum pagina 1664, dictum

ſit itidem, οἱ δὲ ἄλλοι, καὶ μάλιστα Δημήτριος, ὡς ἐπὶ σκηνῆς τὸ βάρος ὑποκρίνοιντο καὶ τὸν ὄγκον τοῦ ἀνδρός. Quibus ſubiungit, ἦν δὲ ὡς ἀληθῶς τραγῳδία μεγάλη περὶ τὸν Δημήτριον.

V.Χ' ὤτων) In præcedentibus editionibus legitur αὖθις: ſed non dubium eſt quin αὐτῆς (vt habent vet.codices) germana ſit lectio. Atque adeò extat & in alio Plutarchi loco, nimirum in libro περὶ πολυπραγμοσύνης: vbi eoſdem verſus affert.

P.1669.v.αὐτὸν) Pro αὐξήσεις καὶ φθίσεις legitur etiam τάξεις καὶ ἀποθέσεις. quæ lectio mihi non placet, ac præſertim illud τάξεις.

P.1677.v.τὸν) Pro τύχῃ legitur etiam χάριτι. quod vocabulum minimè admittendum cenſeo, ſed potius retinendum τύχῃ. Verùm paulo pòſt ex διδούσης faciendum cenſeo διδούσῃ: vt ad τύχῃ referatur. Ambo certè interpretes ita legiſſe videntur. Vnus enim vertit, Ea re nuntiata negauit Seleucus, ipſius fortuna incolumẽ eſſe Demetrium, ſed ſua: quæ cum reliqua felicitate humanitatis ſibi & clementiæ materiam oſtenderet ac præberet. Alter autẽ hoc modo, Seleucus Demetrii ſalutem fatus non ipſius ſed Seleuci bonæ fortunæ adſcribi debere, quæ ſibi præter reliqua bona materiam etiam humanitatis clementiæque exercendæ obtuliſſet, adminiſtris mandauit &c.

V.ἄξειν) Poſt ὑποδοχὴν adiectũ habẽt quidam cod. accuſatiuũ μεγαλοπρέπειαν, præfixa particula καί: ſed expungẽdum fuerit aduerbium μεγαλοπρεπῶς, ſi accuſatiuum illum addere velimus.

P.1674.v.μήτειος) Repoſitum fuit ἐπέστελλε pro ἀπέστελλε, ex vet. cod. Sed in iiſdem habentur datiui loco iſtorum accuſatiuorũ præfixam habentium præpoſitionem πρός: neque υἱὸν ἀπὸ τῶν ἡγεμόνων ſeparant, vt hic ſeparari videmus. Ita enim ſcriptus eſt in illis hic locus, ἐπέστελλε τοῖς περὶ τὸν υἱὸν καὶ τοῖς περὶ Ἀθήνας καὶ Κόρινθον ἡγεμόσι καὶ φίλοις.

P.1686.v.ταῦτα) Rectius fortaſſe πρὸς τὸ ἀναγορεῦσαι.

P.1687.v.τοῖς ἐργ.) Pro βασιλευόντων minimè dubium eſt quin reponi debeat βασιλευομένων, aſſentientibus etiam vet. exemplaribus. Ideóque rectè interpretes ab altera illa lectione diſceſſerunt.

V.παρείπετο) Legitur etiã, Καίσαρ δὲ τῆς ἀρχῆς ἀπέστη.

P.1689.v.των) Pro ἀδελφῆς repone ἀδελφιδῆς, vt repoſitum fuit ſuprà, pag. 1686, καὶ τὸν τῆς ἀδελφιδῆς υἱὸν Ὀκταουϊανόν. Nam hîc quoque ἀδελφῆς præcedentes editiones habent.

V.τε τῇ) In vet. cod. ſcriptum eſt ὠκειοῦτο τὴν βουλήν. quæ conſtructio minimè reiicienda, ſenſum alioqui eundem efficiens.

P.1690.v.ἀπολ.( Legitur etiam παραστρατοπεδεύσας: ſed ita legẽdo nullus erit aduerbii πλησίον vſus.

P.1694.v.κέλευσεν) Additum fuit ex vet.cod.hoc verbũ ἐκέλευσεν. Pauló pòſt autem, malè repetita ſunt in præcedentibus editionibus illa verba πολλῶν χρημάτων ἀξίαν οὖσαν: ideóque & hic vet. exẽplaria ſequuti ſum'. Et paucis interiectis ex πρὸς ἰδίας fecimus πρὸς ἴδια, ex eorundem autoritate: ſed fortaſsis retineri etiam poſſit ἰδίας expuncta præpoſitione. Verùm ante διέβαινεν præpoſitionem abeſſe mallem.

V.ἀκροάσεις) Scribendum potius ἔγραψε, vt in vet.cod. ſimúlq; αὑτοῦ reponendum pro αὐτοῦ. Id

est, Relaxationem suam (intellige, relaxationis suæ tempus) ad eas res conuerteret.

V.πι) Pro ἐπιείκεια rectius scribetur ἐπιεικὴς, vt in vet.

P. 1695. v. ἡ Ἀσία) Possumus ταῦτα iungere sequentibus, vt intelligamus, εἰ μὲν ἐκ εἴληφας ταῦτα.

P.1696.v.τὸ πλήσμ.) Post πλήσμιον interpungendum censeo. Qua tamẽ in re ab vtroque interprete dissentio. ambo enim τὸ πλήσμιον iungunt cum θρασύτητι. Siquidem vnus ita vertit, Ignorans liberam linguam nonnullos, sicut condimentum subastringens, adulationi admiscere, quò detraherent satietatem audaciæ & loquacitati, qua vtebantur inter pocula, machinantes ne cedere in seriis & assentiri adulatoriè viderentur, sed quia vincerentur prudentia. Alter verò sic, Non enim intelligebat esse qui adulationi libertatem veluti subausterum condimẽtum admiscerent: quo proteruæ inter pocula loquacitati tædium & satietatem dimoueant: idque consequantur, vt assentientes & concedentes, quoties de re graui sermo incidit, non gratiam captare, sed prudentia inferiores viderentur. At ego post πλήσμιον interpungẽs, (vti dixi) & cõtrà post λαλιᾷ interpunctionem auferens, longè alium efficio, & eum quidẽ comparationi qua vtitur, consentaneum: quod de altero dici posse non videtur. Quod enim παῤῥησίαν appellauit, vocat postea θρασύτητα. quum autem dixerit eos παῤῥησίαν admiscere adulationi tanquã condimentum subacidum, quomodo τὸ πλήσμιον de eadem vsurparet? Ita igitur se res habet. Plutarchus eos qui cautè adulabantur, dicit libertatem quandam loquẽdi veluti condimentum quod gustum aliquantum astringit, adulationi suæ solitos admiscere, atque ita efficere ne huius dulcedo (hoc enim ex comparatione intelligendum est) satietatem afferret, & nauseam tandem pareret. Quibus addit, eos, quædam inter pocula paulo liberius deblatterando, hoc consequutos, vt quũ sermones de rebus seriis orirentur, si tunc eius cui assentari volebant, sententiæ assentirentur, eiúsque se iudicio velut submitterent, in eo non gratiam aucupari sed ab eo prudentia superari viderentur. Hunc esse verum & germanum huius loci sensum, nemo, vt opinor, qui attẽtè quæ dixi cõsiderauerit, inficiabitur. Sic autem interpungendo & interpretando, θρασύτητι & λαλιᾷ datiui instrumentales erunt, (vt grammaticam vocem vsurpem) perinde acsi dictum esset διαμηχανώμενοι διὰ τῆς θρασύτητος καὶ λαλιᾶς. Sed siue hanc quam dico siue alteram interpunctionem sequamur, structuræ orationis aliquid difficultatis subesse videtur. est enim huiusmodi, διαμηχανώμενοι τὴν ὕφεσιν μὴ πρὸς χάριν ὁμιλοῦντες φαίνεσθαι. quum potius dicendum esset, διαμηχανώμενοι τὴν ὕφεσιν μὴ πρὸς χάριν ὁμιλίαν φαίνεσθαι. Ego nullum in præsentia remediũ aptius inuenio quàm vt præpositionem κατὰ articulo præfigamus. At sæpe subaudienda relinquitur: dicet quispiam. Hoc ego fateor: sed hunc locum ex iis qui subauditionem illam admittant, esse nego. Hoc etiam addo, videri posse cum substantiuo πραγμάτων adiectiuum aliquod desiderari, quo eum de seriis rebus seu grauibus loqui intelligatur. Sed alibi quoque obseruasse mihi videor πράγματα sine adiectione

de rebus illis dictum: sicut nimirum in vernacula lingua vocabulum *affaires*, quod alioqui generalem nominis πράγματα significationem habet, ad illam restringimus. Ne hoc quidē, licet leuius, prætermittam: si ὑπόσυφον scribatur, (quem accẽtum editio mea ex præcedentibus retinuit) videri nomen esse illud vocabulum: quum tamen nomen esse non possit. idcóque scribendum esse ὑποσύφον, participium à verbo ὑποσύφω.

P.1697.v.ταῖς δὲ] Pro μαγγανεύμασι inuenitur scriptum & μαγγεύμασι.

P.1699.v.ἀνάλωμα] Pro ἀμίμητος βίον reponendam censuerim compositam vocem ἀμιμητοβίων: vt legimus infrà, in hac ipsa vita, αὐτοὶ δὲ τὴν μὲν τῶν ἀμιμητοβίων ἐκείνην σύνοδον κατέλυσαν, ἑτέραν δὲ συνέταξαν, οὐδέν τι λειπομένην ἐκείνης ἁβρότητι καὶ τρυφαῖς καὶ πολυτελείαις, ἣν συναποθανουμένων ἐκάλουν. vbi obserua & alteram hanc σύνοδον genitiui casus nomine itidem appellari.

V.δὲ οὕτω] Videtur abundare particula δέ: aut certè aliquod verbum deesse post μὴ μικρόν.

P.1702.v.τι τὸν] Pro ἐκείνης videtur reponendum ἐκείνη.

V.τος] Suspectū esse possit participiū παρακεκριμένων: sed quid pro eo reponi possit, non facilè dixerim. Nam παρακειμένων quod primo aspectu mihi placuit, nunc displicet.

P.1704.v.λιμόν] In præcedentibus editionibus est tantummodo ἐλάας, sine adiectiuo ἱεράς. Sed hoc si abesset, subaudiendum relinqui dicendum foret: articulo ἐξοχὴν indicante.

P.1706.v.τοῖς] Deerat huic loco participium ἰσχύσας: quod tamē necessarium esse videtur. Nam ἀπείμας per se stare non potest: at verò ἀφείμας ἰσχύσας scimus idem valere quod ἀπειμούσας.

P.1707.v.θουσαν] Legitur etiā Βορυώνην, necnon Καμιώνην.

P.1710.v.ἀφ'] Desunt in superioribus editionibus hæc duo vocabula ἀφ' ἑκάστης.

P.1713.v.θανον] Reponendum censeo σκηνάς.

P.1718.v.νιος] Pro διαβιβάζεις legitur etiam διαβάσαζε.

P.1720.v.τὸν Μῆδον] Pro Μῆδον rèpone Πάρθον, vt rectè interpretes legerunt. Sed accedit & vet. exempl. autoritas. Pro Φραόρτην autem legitur etiā Φραάτην, necnon Φραάρτην. Apud Horatium legimus Phraatem, duobus locis: sed vbi canit Redditum Cyri solio Phraatem, quidam Phraortem legendum censent. Existimantur certè ex duob' regibus vnus hoc, alter illud nomen habuisse.

P.1723.v. ποιήσας] Rectè pro στρατηγὸν repositum fuit στρατόν.

P.1726.v.τοσαλ.] Legitur etiā Καλουίττος. sic & paulo pòst.

P.1730. v.μης] Legitur etiam συμβούλιον.

P.1732.v.πραγ.] Repono μεγάλῳ σιδήρῳ συνηρμοσμένῳ.

V.ὅλως] Aptius legeretur ἅπας.

P.1733.v. τύχη] In quibusdam est ἐκδιώκων pro ἐκδικῶν. Sed præcedens participium διώκων occasionem illi scripturæ præbuisse videri potest.

P.1735.v. Τοιοῦτον] Legitur etiam πολιτείᾳ.

P.1737. v. Τίμων] Pro ἐσοικίζω legitur etiam ἐς ὅσιον. In pentametro autem inuenitur & hæc lectio Εἰπὼν οἰμώζειν μακρά.

P.1740.v. νυκτὶ] Aptior videtur fore datiuus μισούσῃ.

V.τυραννῶν] In quibusdam scriptum est ἀθορύβας.

P.1742.

P.1742.v.δείξειν] In aliis est ἀποστάς.

P.1743.v.μισεῖν) Cum genitiuis λῃστρικῶν ξιφιδίων vel desideratur vel subaudienda relicta est vocula τι. Pro λῃστρικῶν autem legitur & σπειρικῶν.

V.δὲ,τῆς) Hæc verba καὶ τὸ μέγεθος in præcedentibus editionibus non habentur.

P.1748.v.δὲ πλείω) Datiuus Ἀντωνίῳ in vet.cod. legitur post συνεύξασα δέ. qui tamen subaudiri etiam posset.

V.συνῴκισε) Repone συνῴκησε.

P.1749.v.κατ.] Legitur etiam καταδεδουλωμένου, eodem sensu.

P.1751.v.τόλμη] Obseruatione digna est emẽdatio huius loci quã mea editio habet: nimirum καὶ οὔ τις αὖ ἥκιστα pro καὶ οὔ τις αἰνίκιστα. De qua emendatione minimè dubitari potest, quum videamus iungi οὖ cũ κακοῦ, & ἥκιστα cum οἴεσθαι: atque esse manifestum simul & aptum huic loco sensum: quem vnus interpretũ ita expressit, Quod verò minimè coniunctum existimes esse cum deliciis & voluptatibus vitium, sæuitiam, id Demetrii lasciuiæ adest. At verò alter interpres alteram illam lectionem quæ mendosa est sequens, ex ea & ipse sensum elicere conatus est: ita vertens, Et quod extremum potest hisce libidinibus adiungi, crudelitatis malum, id cupiditas voluptatum eius admisit. Sed ne hæc quidem sententia ex illa mendosa lectione sine magna mutatione elici potuit.

P.1761.v.θυγατ.] Vel μηδὲν φράσας.

P.1769.v.ἐντεῦθεν) Sequendo hanc lectionem, αὐτοῦ δὲ Πλάτωνος &c. imperfecta manet sententia. ideóque pro δὲ reponere non dubitem μέν: præsertim quum sequatur, Σπευσίππου δὲ &c. Sed & articulum τοῦ lubenter genitiuo Πλάτωνος præfigerem. Dicitur enim potius αὐτὸς ὁ Πλάτων, quàm αὐτὸς Πλάτων.

P.1770.v.νας] Scribendum videtur νομίζοι.

P.1772.v.πεπ.] Legendum potius πεποιημένους.

P.1791.v.σωμα] Non video quomodo ἵνα cum τρέφειν iungi possit, quum hoc substantiuum fœminino genere vsurpari soleat: ideóque siquis ἵνα cum ἕκαστον iungere velit, legendo τὴν μὲν Συρακουσίαν ἵνα ἕκαστον ἐκάλεσεν &c. is me sibi astipulaturum esse sciat.

P.1795.v.δήμου] Scribendum puto ἔχειν, quod referatur ad σχῆμα.

P.1797.v.ὀλίγας] Aptior erit hæc lectio, καθ' ἡμέρας δι' ὀλίγας.

V.ὀργῆς] Tolerabilior esset lectio, μικρὰν ἀπαρχὴν καὶ παιδιὰν λαβούσης. sed vereor ne aliud potius mendi genus huic loco subsit.

P.1800.v.νόμου] Rectius fortasse legetur ἄρχοντας.

P.1804.v.δεῖν ἀρνεῖσθαι] Locum hunc quanuis non itidem deprauatum (id est, vt deprauatus est ille cuius paulo antè mentionem feci) vnus interpretum rectè, alter perperam reddidit. Vnus enim ita vertit, Dicere solebat, eos qui nihil denegare valerent, parum sibi videri honestè ætatis florem collocasse. Alter autem ita est interpretatus, longissimè a mente autoris aberrans, Dicere solebat, videri sibi malè illos tempus suum collocasse qui nihil didicerint denegare. Eadem certè in significatione dixit alibi οὐκ ἐλευθερίως προεῖσθαι τῆς ὥρας, nimirum in Cicerone, Quod loquendi genus

habemus & apud Hesychium in Θεόδωρος ubi scribit, Θεοδώρους ἔλεγον τι κωμικοὶ τοὺς ὑπὸ τοῦ ὥρου ... Θεοδώρου πρὸς ... τῆς ἑαυτοῦ ἀρχῆς προσηνωμένου.

P.1809.v.ἐπίκλησιν] In superioribus editionibus legitur Λαζινόν: sed alteram lectionem, nimirum Λάζινον, confirmant cum aliorum autorum loci, tum verò iste qui eiusdem est, in Cæsare, ἐν δὲ τούτῳ Δέκιος Βροῦτος, ἐπίκλησιν Ἀλβῖνος, πιστευόμενος μὲν ὑπὸ Καίσαρος &c.

P.1816.v.Ἀντ.]Rectius legetur ἐπιτυχόντα.

P.1836.v.αὐτὸν] Stare non posse accusatiuū προσελαύνοντας, nisi quid in hac oratione mutetur, & video & antea vidi: sed quoniam non vno modo potest emēdari hic locus, liberum lectori iudicium relinquere volui, sitne scribendum, τοῖς δὲ περὶ αὐτὸν, ἱππεῖς ἑωρῶντο πολλοὶ προσελαύνοντες; an οἱ δὲ περὶ αὐτὸν ἱππεῖς ἑώρων πολλοὺς προσελαύνοντας.

P.1846.v.ὃν δεσ.]Suspicor scriptū à Plutarcho fuisse καὶ ἀφηλικόσι.

P.1847.v.ἂν μὲν] Tolerabilius videtur fore ὡς quàm ἂν.

V.μον]Aptius hæc per interrogationem lectum iri puto, ἢ τοῦτ' ἀντιστρέφει πρότερον;

P.1852.v.ὑπέρφυᾶ] Legitur etiā Ῥωμίσου.

P.1853.v.λοιμῷ] In præced. editionibus scriptum est τῆς αὐτοῦ. quæ lectio quāuis prima frōte placere posit, admitti tamen nequit. Neque enim de Artoxerxis mensa loquitur, sed de mensa cuiuslibet superiorum regum.

V.καὶ τὸν]Superiores edit. habēt Οστάνην καὶ Οξάθρην. Legitur autē & Οξάρτην pro Οστάνην.

P.1855.v.τοσ δὲ] Legitur etiam δεινῶς.

P.1861.v. ἐκ τούτου] Legitur etiā τὸ ὄλεθρον. quā lectionē malo. Scimus enim ὄλεθρον elegāti' dici in Græco sermone quàm ὀλέθριον: vt quum perniciem pro pernicioso dicimus.

P.1862.v.εὐνοῦχοι]Scribendum puto, καὶ ἄλλοις οἷς ἔλαβε &c. Alioqui dicendum fuisset ὧν ἔλαβε. Accepisse autem eum à rege non vestem solum, sed & alia, ex proximè sequentibus eunuchi verbis patet. Desunt porrò in Aldina editione omnia illa verba quæ sunt inter prius βασιλέως & ἐστὶ δέ: quòd bis posito genitiuo illo, librarius ab vno ad alterum transierit, omissis quæ interiecta sunt.

V.λαβε] Pro δειπνεῖν legitur etiam πίνειν.

P.1863.v.κέχρημ.]Vt paulo antè admonui de quibusdam verbis omissis, quòd ex vno genitiuo βασιλέως ad alterum trāsisset, ita hîc ἐγχέουσιν excluserat καταχέουσιν & quæ interiecta erant. Ista enim verba post ἐγχέουσιν desiderantur in superioribus editionibus, εἰς τὸ σῶμα ἢ καὶ τῇ τοῦ προσώπου καταχέουσιν. fuerúntque & ab vtroque interprete prætermissa.

P.1875.v.χάλινον] Hîc itidem ex vno datiuo πράγμασι ad alterum trāsierat librarius, ea quæ interiecta erant transiliens. Nā in superiorib' edit. post πράγμασι desiderantur ista verba, χαλινὸν ἀξιοῦντες φρονεῖν, τοῦ μὲν ἀδελφοῦ διὰ τῆς γυναικωνίτιδος ἐνδυομένου τοῖς πράγμασι. quæ tamen omninò sunt necessaria. Sed in iis quæ proximè sequuntur, particulam εἰ præfigo verbo οἴεται. vt sit sensus, ἀξιοῦντες φρονεῖν εἰ οἴεται βέβαιον αὐτῷ τὴν διαδοχὴν ὑπάρχειν, τοῦ μὲν ἀδελφοῦ &c. τοῦ δὲ πατρὸς ἔχοντος &c.

V.ἀποδέδειγμ.]Scribe αἰδέσιμος vt iungi posit cum ἦν.

P.1878.v.εἰ)] Reponendum videtur διχπίθεται.

P.1881.v.μέτρα] Pro ἄβατον legitur etiam ἄπορον.

P.1883.v.πύργου] Vel πρὸς αὐτὸν legendum esse videtur, vel αὐτὸν mutandum in αὐτῷ. sed illam lectionem malo.

V.xος] Legitur etiã παρεξευῦθαι.

P.1889.v.Δαίμον' ἴσον] In præcedentibus editionibus legitur δαίμονι σῷ.

P.1898.v.ζῶντα] Legitur & συμφωνίαν pro συμφυΐαν.

V.μεγάλαι] In quibusdam est ἐπῶσιν.

P.1905.v.μέχλω] Est & alia lectio, δυναστῶν.

P.1906.v.γυς] Legitur etiam τῶν ἐλπίδων.

P.1910.v.ἀκόντων] Scribendum puto, ἢ εἰ ἀπεγνώκει.

V.ὑπεκ.] Muta hunc nominatiuum in accusatiuum ὑποκορζόμενον.

P.1916.v.νάζοντο] Pro αποσδαὶ legitur & πομπαί.

V.ριος] Scribendum potius φανερῶς γε.

P.1919.v.τον ἐλ.] Interpunge post ἐλαύνοντα. Neque enim intelligendum est ἐλαύνοντα ἂν ἐφέστιος, sed ἐλαύνοντα ἀδικῶν, vtpote ὢν ἐφέστιος.

V.πειτα] Pro πολιτικαὶ scribe potius Ἑλληνικαὶ, cum vet. exẽpl.

P.1921.v.γῶν] Quidam vet. habent τόπῳ.

HAEC sunt quæ in Plutarchi vitas parallelas, nimirum in locos qui aliter leguntur, aut legendi videntur, licuit annotare: omissis plerisque eorum qui in ipso contextu emendati fuerũt. De quorundam enim emẽdationibus (quas deprehendet qui hanc editionem cum superioribus conferet) mẽtionem facere minimè necesse existimaui, quòd minimè cõtrouersæ possent esse, præterquam quòd veterum exemplarium autoritate confirmarentur. Neque enim quicquam nisi ex illis petitũ in contextum admittendum putaui: quum alioqui meas in quosdam locos cõiecturas haberem de quibus refragaturum mihi neminem verisimile erat. Exempli gratia, hũc Pyrrhi locum, (vbi Laconica est dialectus) αἰ μὲν ἐσσὶ τύ γε θεὸς, οὐδὲν μὴ πάθωμεν· (οὐ γὰρ ἀδικεῦμεν) αἰ δὲ ἄνθρωπος, ἔσσεται καὶ τεῦ καρτερῶν ἄλλος, poteram ex mea cõiectura restituere, fœdè alioqui deprauatum, & ita vt multis negotium exhibuerit. Iam tum enim animaduertebam ita emendanda esse postrema verba, ἔσσεται καί τευ κάρρων ἄλλος, vt in annotationibus docui. Quæ emendatio eiusmodi est vt meliorem expectaturus non sit (nisi valde fallor) quicunque illorum verborum sensum assequetur. Tantum abest tamen vt emendationem istam in contextum recipere voluerim, vt ne in aliis quidem multo leuiorib' id mihi permiserim. Non dubito autem quin & illa emendatio & aliæ multæ in vet. codicibus inueniri queant, quanuis ex illis annotatæ non sint. Talis enim multarum emendationum omissio contingere ex eo potest quòd in conferendis typographicis editionibus cum vetustis exemplaribus pronuntiationis vicinitas in lectionibus alioqui valde diuersis aures eius fallat qui legentem audit.

Cæterùm earum quæ in contextum receptæ fuerunt emendationum & aliarum etiam quas in annotationibus habes, pleræque in doctissima & elegantissima in-

[GG].ii.

terpretatione Gallica obseruatæ fuerunt, ex iisdem exemplaribus petitæ: in Latinis non item. Alicubi tamen vnus interpretũ (de duobus posterioribus loquor, quorum laudi tãtum abest vt derogare velim vt contrà lectionis harum Plutarchi vitarum studiosos multum illis debere, & plus laboris quàm prima fronte videri posśint, impẽdisse suis operibus profitear) emẽdatam lectionem sequitur, vbi alter mendosam. veluti in Theseo quum Φόζῳ σφαγιασάμενος pro Φοίζῳ σφαγιασάμενος reponendũ esse constet, (vt ipse reposui in hac editione ex veterum codicum cõsensu) eorum tamen alter duntaxat lectionẽ rectam sequutus, vertit, Quum sacrificasset Pauori, non autem, Quum sacrificasset Apollini. Alioqui tamen in nominum propriorum (præsertim quæ sunt Romanorum) emendatione magnam ambo diligentiam adhibuerunt. Inueniũtur autem posita etiã pro propriis nominibus appellatiua. vt initio vitæ Coriolani ὄνομα θυγατριδοῦς pro ὁ Νουμᾶ θυγατριδοῦς. qui error (quod mirum videri posśit) itidem in opusculo eiusdem scriptoris quod περὶ τῆς Ῥωμαίων τύχης inscriptum est, cõmissus fuit. legitur enim & ibi ὄνομα pro ὁ Νουμᾶ. vbi scribit, τρίτος μὲν γὰρ ἱδρύσατο τύχης ἱερὸν Μάρκος Ἄγκος ὄνομα θυγατριδοῦς καὶ τέταρτος ἀπὸ Ῥωμύλου γενόμενος βασιλεύς. Imposuit certẽ hic error initio huius vitæ Guarino Veronensi, qui vertit, Martius Caius nomine Nepos. imposuit & illi qui prior aliquot Plutarchi vitas in Gallicum sermonem transtulit: at non item duobus quorum memini interpretibus. Immò illud etiam Γάϊος emendarunt, mutantes in Ἄγκος. scripserunt enim Ancus Martius. Sed ego, quãuis hanc emendationem illo quoque altero eiusdem scriptoris loco cõfirmari viderem, (vbi vicisśim pro Μάρκος reponere hinc posśumus Μάρκιος) expectandum putaui dum ex vet. cod. eam itidem haberem. Eadémque cautione & in aliis quamplurimis vsus sum. alioqui & Τόλλιον (quod proximè sequitur) in Τύλλον mutandum videri poterat. Iam verò & hoc sciendum est, duplicem nonnunquam aut etiam triplicem in vno eodémq; nomine proprio inueniri scripturã. Ac ne longè abeamus, ille error cuius modò mentionem feci, inde contigit. quũ enim scribatur non solùm Νουμᾶς, sed etiã Νομᾶς, facilior fuit lapsus ex ὁ νομᾶ in ὄνομα, quàm ex ὁ νουμᾶ. Atque vt hic ꝓ diphthõgo inuenitur alicubi simplex vocalis, sic etiam in aliis nonnullis. vt in Λεύκολλος pro Λεύκουλλος. Sed inuenitur & tertia scriptura Λούκουλλος. Maior verò est in Ῥέμος & Ῥῶμος differentia, & in quibusdam aliis. Quinetiam in nonnullis nominibus quæ locorum sunt propria, diuersa scriptura cernitur. Exempli gratia, Παλλάντιον & Παλάντιον scribitur, vt tertiam scripturam omittam. Sed hac de re obiter monuisse contentus nunc ero. Fecit certè illa interpretum quam dixi diligentia circa propria nomina vt minus mihi de illorum emendatione laborandum fuerit. Atque adeò aliqua etiam nõ annotassem, si iam annotata fuisse ab eorum altero sciuissem. qualia sunt quæ scripsi de emendatione huius loci, ἐκ αὖ κατόρθωσιν. ἀφροντίστως δέ, circa finem vitæ Pompeii.

Vt autẽ aliquid & de aliis quibusdam quæ ad opus istud pertinent, dicatur, primùm quidẽ quod

attinet ad hunc titulum παράλληλοι βίοι, (pro quo παράλληλα habent editiones quæ meam præcedunt) multi eum loci confirmant. Nam legimus in Theseo, περὶ τὴν τῶν βίων τῶν παραλλήλων συγγραφήν. in Pelopida, παραλλήλους αὐτῶν γράψαι μὴ αὐτῶν τοὺς βίους. In Demosthene autem habent παραλλήλων editiones quæ meam præcedunt, sine adiectione, quum vet. cod. illic quoque habeant substantiuum βίων. Atque vt in his aliisque locis παραλλήλους βίους appellat, sic in fine vitæ Gracchorũ dicit λαβεῖν ἐκ παραλλήλου τῶν βίων τὴν ἀποθεώρησιν. Et circa finem vitæ Põpeii, ἐκκειμένων οὖν τῶν βίων, ἐπιδράμωμεν τῷ λόγῳ ταχέως τὰ ποιοῦντα τὰς διαφορὰς, παράλληλα συνάγοντες. Similis est alioqui titulo illi παράλληλοι βίοι iste inter opuscula, Παράλληλα Ἑλληνικὰ καὶ Ῥωμαϊκὰ, siue Περὶ παραλλήλων Ἑλληνικῶν καὶ Ῥωμαϊκῶν. Sed substantiuum aliquod deesse nemo mihi, vt opinor, negauerit. Id autem esse suspicor διηγήματα. præsertim quum in catalogo ex quo multos multorum qui amissi sunt librorum titulos protuli, (in calce eorum quæ in opuscula annotaui) liber ille appelletur διηγήσεις παράλληλοι Ἑλληνικαὶ καὶ Ῥωμαϊκαί. At verò vitas parallelas ĩscribendo παράλληλα, non video quod substantiuum subaudiri vel potius desiderari dicendum sit. Ideóque titulum illum probare nullo modo possum: atq; idcirco eũ ex præcedentibus editionibus sumptum alteri præfixi in tomo primo, non item in reliquis duobus.

Diuisum autem fuisse in certos libros hoc παραλλήλων βίων opus, ex ipsomet scriptore discimus, cũ alibi, tum in vita Demosthenis circa principium, ἐν τῷ βιβλίῳ τούτῳ τῶν παραλλήλων βίων ὄντι πέμπτῳ. Et in Pericle, καὶ τοῦτο τὸ βιβλίον δέκατον συντετάχαμεν, τὸν Περικλέους βίον καὶ τὸν Φαβίου Μαξίμου περιέχον.

Ordinem quoque tenuisse eum longè alium ab eo qui in editione mea sicut & aliis spectatur, ex variis eius locis cognoscimus. Nam vt ab ea vita cui primus tribuitur locus, sumatur exemplũ, primam non fuisse ipse ostendit, quum scribit, ἐπεὶ δὲ τὸν περὶ Λυκούργου τοῦ νομοθέτου καὶ Νουμᾶ τοῦ βασιλέως λόγον ἐκδόντες &c. Sed præterquã quòd parui momenti est ordinis hac in re diuersitas, ipsemet Plutarchus fortasse non ad tempora quibus singula vitarum paria scripsit, sed potius ad eos qui tempore præcedunt, respiciens, primum locum iis qui cæteris antiquiores sunt (quem habent hîc) non denegasset. Equidem vt omittam pleraque vetera exemplaria in quibus prim⁹ iis locus datur, eum obtinẽt & in illo catalogo cuius mẽtionem pauló antè feci. Hoc enim ordine ibi collocantur, cũ eæ quas habemus, tum aliæ, Θησεὺς καὶ Ῥωμύλος, Λυκοῦργος καὶ Νουμᾶς, Θεμιστοκλῆς καὶ Κάμιλλος, Σόλων καὶ Πουπλικόλας, Περικλῆς καὶ Φάβιος Μάξιμος, Ἀλκιβιάδης καὶ Μάρκιος Κοριολανὸς, Ἐπαμινώνδας καὶ Σκιπίων, Φωκίων καὶ Κάτων, Ἆγις καὶ Κλεομένης, Τιβέριος καὶ Γάϊος Γράκχοι, Τιμολέων καὶ Αἰμίλιος Παῦλος, Εὐμένης καὶ Σερτώριος, Ἀριστείδης καὶ Κάτων, Πελοπίδης καὶ Μάρκελλος, Λύσανδρος καὶ Σύλλας, Πύῤῥος καὶ Μάριος, Φιλοποίμην καὶ Τίτος, Νικίας καὶ Κράσσος, Κίμων καὶ Λούκουλλος, Δίων καὶ Βροῦτος, Ἀγησίλαος καὶ Πομπήϊος, Ἀλέξανδρος καὶ Καῖσαρ, Δημοσθένης καὶ Κικέρων, Ἄρατος καὶ Ἀρταξέρξης, Δημήτριος καὶ Ἀντώνιος, Αὐγούστου βίος, Τιβέριος Κλαύδιος,

Νέρωνος βίος, Γάϊος Καῖσαρ, Βιτέλλιος. Ἡρακλέους βίος, Ἡσιόδου, Πινδάρου, Κράτωνος, Δαϊφάντου, Ἀριστομένους, Ἀράτου. Βίοι τῶν δέκα ῥητόρων. Quanuis autem in Latina Vitarum interpretatione Græcæ editionis ordinem seruauerim, interpretis consilium nõ improbo, qui eum mutauerat vt aliqua series temporũ esset quæ memoriam adiuuaret. Libet igitur Vitas eo quo digestæ ab illo fuerunt ordine adscribere; Theseus & Romulus, Lycurgus & Numa Pompilius, Solon & P. Valerius Poplicola, Alcibiades & C. Marcius Coriolanus, Themistocles & Camillus, Pelopidas & M. Marcellus, * Annibal & Scipio Aphricanus, Pericles & Fabius Maximus, Philopœmen & T. Quintius Flaminius, Timoleon & L.Paul⁹ AEmilius, Aristides & M.Cato Maior, Agis & Cleomenes: Tiberius & Caius Gracchi, Pyrrhus & C.Marius, Lysander & Sylla, Eumenes & Sertorius, Cimõ & Lucullus, Nicias & M. Crassus, Agesilaus & Pompeius Magnus, Phocion & Cato Minor, Alexander Magnus & C. Iulius Cæsar, Demosthenes & M.Cicero, Dion & M. Brutus, Demetrius & M.Antonius, Artoxerxes & Aratus, Galba & Otho. Sunt autem appositæ asterisco notæ vitis Annibalis & Scipionis, quòd ab alio editæ sint, nimirum Donato Acciaiolo: quem vtriusq; historiæ autorem esse potius quàm interpretẽ, ex eo etiam colligere possumus quòd in Græco illo Vitarum catalogo Scipio non cum Annibale sed cum Epaminonda comparetur.

Vitas autem scripsisse eum & alias quæ non extent, possumus itidem ipso quoq; teste (vt alia testimonia taceam) probare: quum mentionem quarundam faciat. Nã in Gracchis Scipionis vitæ à se conscriptæ meminit, his verbis scribẽs, περὶ μὲν οὖν τούτων ἐν τῷ Σκιπίωνος βίῳ τὰ καθ᾽ ἕκαστα γέγραπται. Et aliquot paginis pòst, loquens de Scipione Africano, ὡς ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γέγραπται. Alibi meminit & vitæ Augusti. In libello autem quem inscripsit Περὶ τῆς Ἡροδότου κακοηθείας, Leonidæ vitam scripturum se pollicetur: inquiens, ἐν δὴ τῷ Λεωνίδου βίῳ γραφήσεται. Idẽ verò & in catalogo quem paulo antè protuli alias vitas his & aliis quæ extant, adiici videmus. Mirum autem videri possit cum Vitellii vita ibi nõ recenseri Galbæ & Othonis vitas quas sub eiusdẽ scriptoris nomine inter opuscula habemus, sicut & decem rhetorum vitas. Non dubito certè quin & alias scripserit quarum nullã notitiam habeamus. Ceteris certè vitam illis omnib⁹ adiiciemus, si Iuliano imperatori fidem adhibebimus: & quidem (nisi me memoria fallit) in libello quem scripsit εἰς τοὺς ἀπαιδεύτους κύνας. Hæc sunt quæ nunc de vitis à Plutarcho conscriptis habui quæ dicerem, præter illa quæ in calce annotationum in opuscula dixeram.

# EMENDANDI LOCI IN LATINA vitarum Plutarchi interpretatione.

Tomo 1,p.5,v.11,somnum f. P.7,v.24,ad modum f. P.12,v.22,in Thymœtad. P.15,v.vlt.nonnunquã etiã diss. P.19,v.9,Piraicam n. P.36,v.35,eo tam ven. P.61,v.29,tinctus diuin. P. 62,v.15, illic si hac. P.69,v.antepen.Plato eum regum temp. P.78,v.31,raptas,n. P.80,v.36,Amyclam trad. P.83,v.25,sermonis formæ contr. P.105, v.17,Marcio N. P.114,v.32,ab eo prim. P.118,v.36,auertit eiu. P.119,v.27,ducendo e. P.120,v.18,euerrit in f. P.121,v.15, effusa sint er. P.122,v.7,portend. Et v.8,improbarum. P.126,v. 25, priuati commodi resp. P.136,v. 32,Cirrhæi prof. P.151,v.24,vocant, reg. P.152,v.15,tiisse:hab. P.167,v.34,Capitolium,ad portam q. P.196,v.antepen.vllum Græc. P.206,v.11,Vt Sardeis ven. P.208, v.29,incurrebat imp. P.218,v.penult.superauit Lucumo,ex p. P.223, v.29,latos seru. P.237,v.10, excusauit corp. Et v.34, duce , conglobántque,coh. P.259,v.penult.expansas op. P.261,v.27,vastúmque. P.285,v.19,ad radices mont. P.319,v.vlt. Agatharch. P.335,v.24, Alcibiadis)attexit,ad t. Et v.26,Callippid. Et v.27, xystide & reliquo cultu q. P.341,v.1,exilis,h. P.370,v.22,viribus:neq. P.380,v. 12,dissensio or. P.387,v.2,esse,locum præb. P.424,v.6,valebant h. P.433,v.21,quasi vereamini magn.

Tomo 2, pag.66,v.8, Philopœmen repone pro Philopœmenes : iti démq; alibi. P.81,v.28,M' Attil. P.97,v.1,rinthi Isthm. P.111,v.vlt. deliberabundus cont. P.152,v.6,Bocchus socer er. P.175,v.11,Gemin. P.243,v.23,ad Fid. P.297,v.11,Pharnaceã sor. Et v.16,Monima Mil. P.319,v.3,regiis circum Flam. P.448,v.11,Lampridone ... P.454,v.8,& Spithridat. P.515,v. 31, Pompeio subinde,ill. ...5,v.18,Tidius Sext.

...m 3,p.24,v.21,sine.H. P.46,v.15,Chares isangeleus,Ptol. ...c versu seq.Philippus isangeleus,ins. P.50,v. 5, Cleomant ...P.268,v.31, efferab. P.282,v.vlt.quin fer. P.295,v.16,Gy... P.327,v.5,Q.Arrius,v. P.436,v.31,AEgyptiã f. P.606 ...,Bithye Dem. In append.t.3,p. 196,v. 24, primo congressu e...